COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXXVIII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. EPHRÆM.

V.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

Apud **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

Apud { **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;
ANT. **POILLEUX**, BIBLIOPOLAM;

ROMÆ,

Apud **MERLE**, BIBLIOPOLAM;

PERPINIANI,

Apud **ALZINE**, BIBLIOPOLAM.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° 1.

COLLECTIO

SELECTA

S. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES DE L'ÉGLISE.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA JACOB, Nº 26.

M. DCCC. XXXIII.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM

CLASSIS VI. — DE MORTE.

— VII. — DE RESURRECTIONE ET JUDICIO.

— VIII. — DE BEATITUDINIBUS.

S. P. N. EPHRÆM SYRI

OPERUM

CLASSIS VI. — DE MORTE.

SERMO PRIMUS.

IN PATRES DEFUNCTOS I.

I. Cor mihi dolet : compatimini mihi, fratres, servi benedicti. Venite, et audite. Anima mea dolore affligitur : dolent renes mei. Ubi jam sunt lacrymæ? et ubi compunctio, ut lacrymis ac suspiriis corpus meum abluam? Quis me in locum transtulit inhabitabilem? ubi tumultus adest præcidens atque intercipiens lacrymas, neque confusio adest impediens planctum. Exaltansque vocem meam, ploravi ad Deum, acerbas lacrymas fundens : et inter suspiria dixi : « Sana me, Domine, et sanabor[1] : » nimio enim dolore cor meum angitur; et gemitus ejus non sinunt me vel ad momentum temporis requiem capere. Conspicio enim, Domine, quod sanctos tuos, tanquam aurum electum, ex vano hoc sæculo in vitæ requiem assumas. Quemadmodum enim sapiens agricola prudenter celeriterque fructus colligit maturescentes, ne damnum ab adversitate aliqua ingruente patiantur atque lædantur : sic et tu, Salvator, electos congregas sancte ac juste laborantes.

II. Et nos interim adeo pigri, et in instituta vitæ ratione segnes, in duritie nostra persistimus : et fructus noster semper immaturus remanet absque bono animi proposito, ut pulchre maturescere nequeat in operibus bonis, et sancte

[1] Jerem. XVII, 14.

pieque in horrea vitæ recondi. Non enim lacrymas fructus ille noster continet, ut iis irroretur ac maturescat : non compunctionem habet, ut ex lacrymarum afflatu reviviscat atque florescat; sed neque humilitatem, ut æstum ingentem amœna desuper adumbratione coërceat; non voluntariam paupertatem, quæ illum ab adversariis opprimi haudquaquam permittat. Nec charitatem Dei habet, radicem, scilicet, fortem ac validam, quæ fructum sustineat. Nec contemptum continet rerum terrenarum, nec vigilias, neque sensum vigilantem et attentum in precibus. Cæterum vice istarum pulcherrimarum optimarumque virtutum contraria plane habere deprehenditur : iram nimirum gravem, atque furorem fructus decutientem, ut ad nihil jam prosit. Immodica possidendi cupiditas deorsum incurvat eum : angor ac tædium animi ingens, et reliqua ejusmodi mala, qua tandem ratione sinant fructum pie maturescere, ut Domino suo, cœlesti inquam agricolæ, usui esse possit?

III. Hei mihi! hei mihi! o anima, eloquere jam, et lacrymas effunde, quæ patribus perfectis et sanctis ascetis tam cito orbata es. Ubi sunt patres? ubi sancti? ubi vigiles? ubi sobrii? ubi humiles? ubi mites? ubi quietis studiosi? ubi continentes? ubi pii ac religiosi? ubi paupertatis amantes? ubi corde compuncti, et grati acceptique Deo? qui quidem in pura atque sincera precatione coram Deo assistebant, tanquam Angeli Dei, madefacientes atque irrigantes propemodum terram imbribus dulcium lacrymarum et compunctionis. Ubi sunt amici illi Dei, charitate pleni, qui, nihil prorsus corruptibile super terram possidentes, sed crucem suam jugiter tollentes, sequebantur Salvatorem, caute per angustam viam incedentes, sibique provide attendentes ne in præcipitia inciderent, neque oberrarent in deserto invio et inaquoso atque caliginoso, sed per viam rectam veritatis mandatorum Dei pergerent, pleni semper lumine præcep-

lorum Christi, alacriter atque ardenter in bono vitæ instituto ambulantes Deoque inservientes, ac voluntarie in hoc vano sæculo afflicti? Propterea Deus, vehementer eos diligens, in portum vitæ collegit ipsos, et in gaudium sempiternum; ut ibi exultent illicque cum magna voluptate perfruantur immortali sponso, in paradiso deliciarum cœlestique thalamo. Hinc quidem migrarunt, profecti ad Deum sanctum, habentes secum paratas lampades suas.

IV. Non est in nobis modo illorum virtus, neque in nobis jam est illorum exercitatio; non est nunc in nobis illorum temperantia atque continentia; non est in nobis modo illorum pietas atque religio; non est inter nos jam illorum mansuetudo; non est inter nos modo illorum voluntaria paupertas; non sunt inter nos jam illorum vigiliæ; non est in nobis illorum in Deum charitas atque dilectio; non est in nobis modo illa Christi commiseratio; non est jam in nobis illa membrorum compassio : sed cuncti jam sumus agrestes atque feroces, immites et atroces, nec ferre prorsus nos invicem possumus; sagittæ ignitæ sunt linguæ nostræ in alterutrum singulis horis; cuncti honorem quærimus, cuncti vanam gloriam captamus, cuncti avaritiæ studemus, cuncti relaxati sumus, cuncti somnolenti sumus; omnes perversi, ad nugas expediti, ad preces fundendas pigri; ad vagandum alacres, ad quiescendum infirmi; ad delicias parati, ad temperantiam tristes; ad charitatem frigidi, ad iracundiam fervidi; ad bona segnes, ad mala studiosi ac diligentes. Quis igitur non lamentetur? quis non deploret conditionem nostram torpore ac negligentia plenam? Patres illi, qui nos præcesserunt, utilesque Domino fuerunt, seque ipsos servarunt, non ita remissi erant ac desides; non duplicem, sed simplicem et unicam curam atque cogitationem habebant perfecti illi, quo pacto nimirum solum salvari possent. Præclarum cunctis spectatoribus propositi

erant speculum : unus ex ipsis pro multis hominibus Deum exorare poterat; duo rursus ex eis coram Deo assistere valebant in sanctis precibus, Deumque benignissimum etiam pro pluribus hominum millibus pie placare.

V. Hei mihi! hei mihi! o anima, in quæ tempora incidimus? Hei mihi! charissimi, in quæ malorum volutabra nunc devenimus? Ignorantiæ tenebris sponte obcæcamur. Nam quia non vigilat animæ oculus ob nimiam cæcitatem rerumque distractionem, ideo imbecilles sumus atque invalidi, neque propositam nobis vexationem intueri possumus. Ecce nunc sancti et justi eliguntur, et in portum vitæ colliguntur, ne conspiciant pressuras et scandala quæ propter nostra peccata nobis superveniunt. Illi eliguntur, et nos dormitamus; illi rapiuntur, et nos ad vanissimum sæculum pertrahimur; illi colliguntur, et nos somno detenti sumus; illi confidenter ad Deum vadunt, et nos in terra variis curis distrahimur. Adventus Domini præ foribus est : et nos dubitamus. Tuba cœlestis jam parata est sonitum edere ad mandatum Dei, et voce horribili commovere universa, ut mortuos excitet, et unusquisque secundum opus suum recipiat; Virtutes cœlorum paratæ assistunt in ordinibus atque agminibus suis, ut cum timore procedant coram Sponso veniente in gloria ac majestate in nubibus cœlorum ad judicandum vivos et mortuos : et nos increduli sumus.

VI. Quid ergo de nobis in illa hora fiet, fratres? Quo pacto illic pro salutis nostræ negligentia excusationem Deo reddituri sumus, nisi hic modo solliciti fuerimus, et abjecto pudore fleverimus, optimam pœnitentiam agentes in humilitate animæ et magna mansuetudine? Quomodo in tribulatione illa singuli lamentabimur, quando quisque nostrum, pœnitens ac lugens, cum amarissimis lacrymis dicet : Hei mihi peccatori! quid repente accidit mihi? Quomodo præteriit vitæ meæ tempus in negligentia atque desidia? Ignoro

prorsus quo pacto surreptum mihi sit vitæ spatium, in distractionibus transactum. Ubi sunt jam illi dies quieti atque tranquilli, quos ego in distractionibus evagationibusque consumpsi, ut pœnitentiam in cilicio et cinere agam? At nihil verba multa proderunt. Quando item aspiciemus sanctos in gloria advolantes cum luce in nubibus aëris in occursum Christi regis gloriæ, nos autem ipsos in magna tribulatione cernemus atque angustia, quis, putas, confusionem illam diramque exprobrationem sustinere tunc valebit?

VII. Sobrii igitur simus, fratres; vigilemus, charissimi; vigilemus, o amici Dei, et filii a Deo Patre dilecti: redeamus ad nos ipsos, et paululum cogitationes nostras a vanissimo hoc sæculo colligamus. Procidamus Deo cum multis lacrymis; obsecremus eum confidenter cum affectu ac studio, ut nos liberet ab igne illo inextinguibili, et supplicio amarissimo, ne ab ipso separemur dulcissimo Domino qui dilexit nos, et semetipsum pro nobis dedit in crucem. Vos cunctos deprecor, cunctos obtestor ac supplex rogo ego indignus et peccator, ut pro me inerte ac deside lacrymas fundatis in orationibus vestris ac precibus mundis, ut ego quoque vobiscum compungar et collacrymer, illumineturque parumper excæcatum cor meum, et requiram Deum sanctum Salvatorem; ut perfectam mihi alacritatem largiatur, quo studiose diligenterque pœnitentiam agam, donec tempus est suscipiendi lacrymas; ac vobiscum, fratres, salutem consequar et ego, vita quantumvis indignus. Obsecro, charissimi, suscipite deprecationem peccatoris Ephræm fratris vestri negligentis atque inertis; demusque operam cuncti pariter, ut Deum sanctum placemus, nobisque propitium reddamus, quamdiu tempus suppetit. Ecce enim in januis Dominus adest, ut consummationem vani sæculi faciat.

SERMO II.

IN PATRES DEFUNCTOS II.

I. In hoc die primo atque insigni, mysteria unigeniti Filii Dei gloriose canentes, clamemus in hymnis, in Ecclesia, quæ est Christi sponsa, prædicantes præmia sanctorum patrum, laudesque eremicolarum celebrantes. Enarremus certamina eorum qui, relictis civitatibus, cum amore ac desiderio voluerunt loca inhabitare deserta ad utilitatem omnium qui eos audirent. Et licet quis absens sit, reperiatur tamen iis tanquam præsens ascriptus, particepsque orationum sanctorum patrum effectus, ut salvetur is qui dicit precibus auditorum. Non absunt a nobis sancti patres, quoniam amor et desiderium eorum semper nobiscum est : non separemus ipsos, tanquam peregrinos atque externos a nobis; quoniam semper pro nostris deprecantur peccatis. Non enim sunt viles atque abjecti, sed gloriosi ac celebres; neque etiam minimi, sed honorabiles; neque item rudes atque indocti, sed doctores cunctorum sunt hominum in bonis operibus : ipsi enim a proprio docentur Domino. Errantes in montibus, ut feræ pascuntur. Perfecti sunt, pleni justitia : quoniam membra sunt Ecclesiæ. Non seipsos ab ovili segregant, quoniam filii sunt sancti baptismatis. Non solvunt legem : sacerdotium servant, præcepta custodiunt. Non resistunt legi, cum sint fide fervidi. Quando porro honorandi sacerdotes sanctæ assistunt mensæ ad liturgiam offerendam, ipsi primi manibus suis extensis cum fide suscipiunt corpus Domini, qui semper est, qui semper cum illis est. Columbarum instar in sublime volitant, suaque tabernacula in cruce defigunt. In locis desertis velut oves oberrant;

t statim ut vocem Pastoris audiunt, optimum Dominum gnoscunt. Mercatores sunt hi, exeuntes ad bonam inquiendam margaritam. Athletæ sunt ac probati pietatis pugiles. Præbete mihi aures, et attendite nunc, ut enarrem obis institutum vitæ patrum qui in deserto habitant. Inendite cogitationem in medium vastæ solitudinis, et ibi niraculum et gloriam videbimus. Pergamus celeriter, ac ormas describamus bonas et admirabiles vitæ illorum raonis atque instituti. Amor quippe eorum ac desiderium me lurimum compellit et urget ut abeam, et ex ipsorum theauris accipiam. Vita ipsorum mihi terrorem incutit, ut occulte mihi ad eos accedendum sit : hoc autem ipsis debetur, uod eos ego adeam, etsi ad momentum duntaxat.

II. Quando ipsi genu flexerint ad preces Deo fundendas, oterunt me ex debili ac flaccido firmum reddere ac stabiem; quando manus extensas in cœlum elevarint, dirigetur nea oratio ut fideliter hymnos canam; quando ipsi suppliant, tunc mea mens astat, et gaudet ob eorum mansuetuinem : similiterque lingua mea adest, et institutam vivendi orum rationem contemplatur. Unam saltem lacrymarum ebulam si quis ex eis pro peccatis meis effuderit, confesm exauditur. Ipsi Christo similes sunt sancti illi, et ab oso compararunt sibi domos qui in eremo sunt : nunquam nim negat bonos thesauros illis qui nona aut decima hora dveniunt; sed primum, ut optimus dominus, mercedem ibuit operario illi qui undecima hora in vinea operatus rat. Prompte apertus est thesaurus, et divitiæ distribuuntur olentibus accedere, ut ornentur gloria, quam ipsi habent emper stola gloriæ amicti atque ornati; utque formas pulhras et gloriosas recipiant, imitatoresque vitæ illorum efficiantur. Si quis rursus abire contendat, ut stola quam ipsi erunt vestiatur atque ornetur, mox divitiis eorum locupleitur. Quod si aliquis apud eos manserit, subito incipit do-

nare postulata petentibus, sicut ipsi omnibus deposcentibus largiuntur, cunctisque præbent quæcumque possident.

III. Adeuntes ergo, pulchram ab iis largitionem accipiamus, precum simul et deliciarum. Accipiamus charitatem ipsorum, quæ gloria et honorificentia lapidem pretiosum et smaragdum inæstimabilem excedit : et pro margaritis fidem ipsorum accipiamus. Gloriosa virtus atque potentia per quam ipsi in montibus et collibus, in speluncis atque cavernis errant, vim et potentiam mihi præbe, et confirma linguam meam, ne deficiat ab enarratione optimi vitæ illorum instituti, neve prorsus relinquat præclarum eorum certamen. In altum igitur ducentes, projiciamus a nobis arma Satanæ; et vehementer corda nostra expurgantes, alasque columbæ nobis ipsi facientes, expedito volatu pervenire contendamus, ut eorum spectemus instructionem qui, relictis civitatibus earumque tumultibus, potius montes et solitudinem inhabitare desiderarunt. Hinc eo abeuntes intueamur ipsorum habitationes, et quo pacto ibi resideant velut mortui in sepulcris : abeuntes videamus illorum delicias, quibus perfruuntur ipsi jugiter cum lætitia atque oblectatione in medio montium : abeuntes conspiciamus eos qui mundum oderunt, et vitam potius in eremo transigere desiderarunt : abeuntes cernamus illorum corpora, quomodo suis ipsi capillis seipsos vestierunt atque ornarunt : proficiscentes aspiciamus saccos atque cilicia illorum, quæ ipsi cum gaudio gestantes Deum glorificant : discedentes hinc, contemplemur illorum faciem atque aspectum, quo pacto sua ipsi vultus austeritate animas exhilararunt : hinc profecti, aspiciamus cum ipsis Angelos magna lætitia canentes atque psallentes : hinc profecti, aspiciamus ipsorum pocula lacrymis eorum permista : hinc profecti, videamus illorum mensas herbis agrestibus semper plenas. Venite, aspiciamus illorum lapides, quos suis ipsi capitibus jugiter suppo-

nunt: hinc profecti, capiamus ex capillis sanctorum, ut mitem atque benignum nobis habeamus Dominum.

IV. Si latro eos viderit, confestim procidens adorat, quoniam cruce semper amicti sunt atque ornati. Si fera animalia saccos eorum aspexerint, illico recedunt, tanquam maximum miraculum cernentia. Omne serpentis genus ipsi suis conculcant pedibus, quoniam fide justitiæ succincti sunt. Quando autem eos aspexerit Satanas, confestim exhorrescit, et cum dolore exclamat, protinusque recedit; quoniam infinitos perfregit laqueos illos insequens, et in nullo prorsus justis illis nocere valuit. Neque enim erant remissi ac segnes, sicut nos stulti ac dementes; at fortiter cuncti hostem debellabant, donec tandem penitus Satanam sub pedibus suis contrivissent: ideoque insidias ipsius spreverunt, et quascumque machinationes ejus non reformidarunt. Si divitias eis ostenderit, eas nihili faciunt, sed illas veluti petras contemnunt: nam divitias in cœlis cum sanctis Angelis habent. Fames ipsos non affligit; nam pane vitæ, Christo, repleti sunt, ex cœlis sanctis descendente: neque sitis eos adurit, quia in sua semper anima habent, similiter et in lingua Christum fontem vivum. Nequit vel unam ipsorum turbare cogitationem improbus Satanas, quoniam super petram fundamentum posuere. In speluncis et rupibus habitant, tanquam in cubiculis: montes porro et colles quos in circuitu habent, non secus ac muros excelsos, amant atque desiderant. Mensa ipsis est omnis terra et montes; cœna autem ac prandium, herbæ silvestres atque agrestes. Præcipuus ipsorum potus est aqua ex rivis; vinum autem similiter, ex cavernis ac foraminibus petrarum. Ecclesias habent suas ipsi linguas, per quas jugiter suas preces peragunt: per duodecim horas, quas dies continet, continua est ipsis ad Dominum precatio. Gloria quam in montibus et speluncis concinunt, est Sacrificium acceptabile, quod Deo

offerunt. Ipsi sibi sunt sacerdotes, et nostros suis precibus morbos curant ac sanant : nam deprecatores atque intercessores nostri perpetuo sunt.

V. Non sapiunt alta, neque primas cathedras requirunt : gloria quippe eis est humilitas, imitatores Christi facti, qui propter nos miseros factus est pauper. Non sibi requiem aliquam in mundo tribuunt; quoniam ibi solatium atque refectionem recipiunt. Reddamur et nos similes illis qui in montibus habitant, et pariter vitæ illorum instituti participes. Oberrant hi cum bestiis, ferarum instar, et tanquam volucres in montibus volitant : velut cervi cum feris animantibus pascuntur : mensa autem eorum semper parata est, nam gramina et herbas semper hi comedunt. Tanquam lucernæ ipsi resplendent, errantes in montibus : et cuncti lumine eorum illuminantur qui magno amore ac desiderio ad eos accedunt. Muri firmi instar sunt patres in deserto; atque ideo in pace custodiunt locum in quo inhabitant. Quandocumque autem vel unus aliquis ex patribus occurrerit, omnis deinceps finitima ipsis regio pace perfunditur. Collibus velut columbæ insident, et sicut aquilæ in montibus excelsis et speluncis. Et regi quidem forte suum nimis angustum est palatium; ipsis vero etiam spatiosæ sunt cavernæ atque foramina terræ. Magis sancti illi patres vestibus suis gloriantur cilicinis, quam alii vestibus quibus induuntur purpureis : dissolvitur atque destruitur purpura; sed saccus propter sanctorum patrum patientiam magno est in pretio. Abominationi quippe illis est superbia, et valde magnam humilitatem amplectuntur.

VI. Oderunt omnem vani sæculi gloriam; et ecce ab omnibus hominibus ob humilitatem magnamque eorum mansuetudinem æstimantur et honorantur. Neque tali tantaque perfruuntur reges quiete, quantam patres in eremo possident; quoniam Christus est ipsorum exultatio. Ferarum

instar, herbis in eremo pascuntur; quoniam jucunditatem paradisi excipiunt. Cum autem defatigati jam fuerint, errantes in montibus, tanquam in deliciis sese in terra componunt : postquam vero dormierint, mox studiose surgunt, et velut tubæ Christum desideratum collaudant ac celebrant. Ordines porro Angelorum semper ipsis adsunt, qui et protegunt eos et custodiunt semper. Gratia Domini semper cum eis est, nec sinit eis inimicum occultari. Ubi genuflexerint, lutum ante se faciunt et rivos ex propriis manantes lacrymis. Postquam vero divinas laudes concluserint, surgit Dominus ad ministrandum servis suis. Mane jam facto, statim velut alis elevatis per universum volant orbem. Non enim est illis illustris habitatio sanctorum patrum in Eden : ubi sol eis occumbit, ibi pernoctant; ubi nox advenit, ibi commorantur. De monumentis ac sepulcris non sunt solliciti; nam, mundo crucifixi, mortui sunt in amore ac desiderio Christi : ubi enim aliquis ipsorum jejunium absolverit, illic eodem in loco ipsis monumentum construitur. Multi ex eis sunt qui, flexo genu precibus intenti, placide atque mansuete coram Domino requieverunt : alii similiter in petris ac saxis firmati, suas proprio Domino animas tradiderunt : alius simpliciter in monte deambulans mortuus est, factusque est locus ei in tumulum et sepultorem : alius rursus seipsum componens sepelivit, gratia sui confirmatus Domini : alius porro herbas depascens Domini, obdormiensque in sua ipsius mensa expiravit : alius autem rursum in divinis constitutus laudibus, a sui flatus voce abreptus est : alius dum in monte psalmis et divinis precibus recitandis vacat, venit ab inferis mors, ipsiusque preces obsignavit terminavitque. Vocem expectant quæ ipsos excitet, ut instar florum suavem odorem spirantium efflorescant; quando terra mortuos jussa erit educere, subito germinabunt velut lilia efflorescentes.

VII. Et tunc Dominus pro magnis eorum laboribus quos ipsi amore Christi pertulerunt, vitam æternam eis largitur; et pro capillis ipsorum, coronam nexus atque ornamenti honorifici; et pro ciliciis quibus rigidam duramque vitam duxerunt, stolam ac vestem gloriosam nuptiarum præbet eis : pro herbis autem et exigua aqua, Christus eis cibus simul et potus efficitur; pro terræ cavernis in quibus ipsi habitarunt, magnum eis Christus paradisum tribuit. Quia tribulationibus atque angustiis in hoc mundo premi et affligi desiderarunt, magnum ipse gaudium eis concedit. Nequit enim oratione declarari magna lætitia in quam intrabunt cuncti sancti, qui, in hoc sæculo voluntarie afflicti, nefariis ac turpibus passionibus fortiter restiterunt, devictoque hoste, præcepta Dei altissimi servaverunt. Ideo quoque Angeli sanctos felices atque beatos prædicant, et ad eos dicunt : «Beati estis vos, qui Christi amore ac desiderio bene prudenterque magna cum vestra patientia scapham vestram in terra tuto in mandatis Christi optimi Domini gubernastis atque direxistis : quapropter ad tranquillum jam portum pervenistis, et Christum recepistis, quem tantopere desiderastis atque amastis. Nunc vero gratulamur vobis, o beati, quoniam laqueos inimici effugistis, et ad Christum, qui vos coronavit, pervenistis, factique estis regni ipsius hæredes, sanctam perpetuo collaudantes Trinitatem, quam decet omnis gloria, honor et adoratio in sæcula.» Amen.

SERMO III.

IN EOS QUI IN CHRISTO OBDORMIERUNT.

I. Quid ita hodie, charissimi, serio seduloque simul hic congregati sumus? nam convocaverant nos omnes, uno

onsensu, qui ad Christum ex nobis antea sunt vocati fra-
res; ideoque alacriter ad Christi laudes celebrandas conve-
imus. Excitarunt quippe nos, qui in carne nos reliquerunt,
d celebrandos eos in terris qui cum Angelis Deum glori-
icant in cœlis, chorosque cum supernis illis choris hilares
gunt; et mensam nobis spiritalem apponunt, cum sint ipsi
eliciis paradisi satiati; vinumque compunctionis nobis
roponunt, qui ibi omni consolatione pleni sunt; et lumina
ccendunt, qui ipsi sua corda illuminant, et ad lucem inac-
essibilem contendunt. Abstraxerunt enim a nobis sanctos,
ui ipsi apud Dominum sancti sunt; et emigrarunt a nobis,
ui bene sancteque ad Dominum profecti sunt : reliquerunt
ios orphanos, et ad propriam patriam abierunt; relique-
unt corruptionem, et ad immortalitatem concesserunt;
nundo occubuerunt, et apud Christum exorti sunt; e terra
xierunt, et jam supernam Hierusalem inhabitant; vitæ
præsentis felicitatem reliquerunt, et ad supernam beatitu-
linem pervenerunt; inanes sæculi tumultus dimiserunt, et
ad loca tranquilla perrexerunt; ex mundi hujus procellis
ac fluctibus excesserunt, et ad tranquillissimos portus ap-
pulerunt; caliginosam istius vitæ umbram deseruerunt, et
ad Solem justitiæ sursum concurrerunt. Et cum adessent
nobis, non erant nobiscum; sed mentem ad Deum eleva-
tam habebant : et cum in terra adhuc essent, vitæ institu-
tum in cœlis tenebant : et in carne cum viverent, non erant
in carne; non enim permanentem hic civitatem habebant,
sed supernam mansionem sibi patriam ducebant. Non hic
fluxas atque caducas opes possidebant; sed cœlestes divi-
tias expetebant. Peregrini et advenæ hîc erant, sicut om-
nes patres eorum : peregrini, inquam, hujus mundi, et
omnium quæ in mundo sunt; semperque animas suas dis-
ponebant atque ornabant, superna considerantes, superna
meditantes, superna sapientes, et pulchritudinem quæ illic

est desiderantes, mansionesque ac tabernacula quæ ibi sunt requirentes; supernos choros, supernas hymnodias et festa quæ ibi celebrantur, sempiterna bona, ac perpetua Dei dona, animo complectentes. Ad illa respiciebant, ad illa currebant, et ad illa properabant : quare et comprehenderunt.

II. Festinaverunt, et ideo in patriam supernumque thalamum intrarunt; currebant, ideo et consecuti sunt; jejunarunt, et ideo jam exhilarantur : non neglexerunt, ideoque exultant; sapienter egerunt, quoniam caducam hanc vitam contempserunt. Exierunt, et viam suam bonam Deoque acceptam confecerunt; egressi sunt, et in regionem sanctam æternamque peregrinati sunt; excesserunt repente, et velut castæ et immaculatæ columbæ evolarunt; evolarunt ut turtures solitariæ et purissimæ; evolarunt ex nobis, tanquam hirundines suavem vocem edentes; ex nostro segregati sunt ovili, quasi agni puri ac sancti : ex mandra ac caula nostra transmigrarunt, et mœstæ sunt oves; nostrum reliquerunt nidum, et pullorum instar clamamus; separatum est a nobis membrum, et reliqua dolent membra. In lacrymas prorumpamus, quod pulchra illa nostra destituti simus dispositione; suspiremus, quod pulchros vestros jam non intueamur characteres; lugeamus, quod et nos hinc cito abituri simus; doleamus, quod ita repente hinc abripimur; tristemur, quando virtutis vestræ recordati fuerimus; contristemur, quando oculos nostros circumverterimus, et charitatem vestram non aspexerimus : lacrymas effundamus, quoniam et animalia super aliorum ejusdem secum generis separatione lacrymantur; lugeamus, quoniam et boves suos compares requirentes mugiunt, quoniam et hirundines abreptis sibi pullis clamitant, quoniam et agni nuper nati a fratribus separati vociferantur. Et quamvis vobis hinc utile acciderit, tristitia tamen affecti sumus : quod expetendum vobis erat, grave

atque molestum nobis factum est. « Pretiosa in conspectu » Domini mors sanctorum ejus[1] : at mors peccatorum pes- » sima[2]. » Et propterea dicebat Propheta : « Cur timebo in » die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me[3]. »

III. Veniet enim dies et hora, fratres; veniet, inquam, omnino et non præteribit, quando relinquet homo omnia et omnes, et solus abibit derelictus, abjectus, confusus, nudus, omni auxilio destitutus, absque tutore et sine ullo comitatu, imparatus et loquendi audacia destitutus; siquidem in negligentia præoccupatus fuerit, in die quam non novit, et hora quam non expectat, interea dum genio indulget, dum thesauros sibi parat, dum deliciis vacat, dum secundis rebus utitur, dum absque cura atque sollicitudine vivit. Veniet enim repente hora una, et cuncta cessabunt; una febris, et omnia in vacuum et inane abibunt; una nox profunda et tenebrosa, atque ærumnosa, et abducetur tanquam judicatus ac condemnatus, ad pœnam quo lictores eum abducent. Multis sane tunc opus tibi erit ductoribus, o homo, multis adjutoribus, multis orationibus, multisque sociis in hora separationis animæ a corpore : magnus tunc erit timor, magnus tremor, magnum mysterium; magna tunc corporis in illo mundo futura est calamitas. Nam si, cum ex una regione in aliam transimus super terram, aliquibus viæ ducibus ac directoribus indigemus; quanto magis, quando in infinita transeundum hinc erit sæcula, unde nullus rediit! Multis tibi, rursus dico, adjutoribus in illa hora opus erit. Nostra illa erit hora, et non aliorum, nostraque via : nostra, inquam, hora, et quidem tremenda hora; noster pons, et transitum non habens : omnium finis, et omnium terror : extremum grave atque difficile, sed per quod omnes transimus; arcta et angusta via, sed per quam omnes iter facimus. Amarum sane ac dirum est tale poculum; sed cuncti

[1] Psal. cxv, 5. — [2] Psal. xxxiii, 22. — [3] Psal. xlviii, 6.

illud, et non aliud bibimus. Magnum et occultum est mortis arcanum, et nullus enarrare illud potest : tremenda sunt ac terribilia, quæ tunc anima subibit; sed nemo nostrum ea novit, nisi soli qui illuc permearunt, nisi soli qui illuc præcesserunt, nisi soli qui ibi periculum eorum fecerunt.

IV. Non vides apud fratres morientes animamque agentes, quibus assidemus, quam terribilia tunc eis accidere cernantur? quo pacto suspirent? non aspicis eos sudoribus frigidos et amarulentos, instar messorum in agro, quomodo oculos huc illucque retorqueant? quomodo alii dentibus strideant? quomodo obtorpescant et expavescant, tumultuarieque agant? et quo pacto multi etiam capillos suos evellant? quo pacto ex lecto exiliant, fugere volentes, licet nequeant, videantque ea quæ nunquam prius viderunt, et audiant a potestatibus quæ nunquam antea audierunt, et patiantur quæ nunquam alias passi sunt; quærentes qui eos redimat, et nemo est qui liberet; requirentes socios, et nemo adest qui ipsos comitetur; requirentes advocatos ac patronos, et nemo qui ausit? Quos aspicientes tunc, contremiscimus et plangimus; tenentesque eorum manus, salutamus atque complectimur, lacrymis irrigantes : sudorem vultus detergimus, et oculos eorum siccamus; linguam æstuantem aqua madefacimus atque refrigeramus; aurem nostram ori eorum admovemus, ut tenues saltem atque subtiles ipsorum voces exaudiamus : deinde interrogamus, dicentes : « Quomodo teipsum nunc intueris? Noli timere, benignus est Deus. » Ista et similia ad eos dicimus, et lacrymis pectora irrigamus; et cor nostrum talia loquentes accendimus.

V. Non est tunc apud nos lascivus amor; non est tunc apud nos pecuniarum sollicitudo; non est nobis tunc ciborum cura : sed magnum et formidandum mortis intuentes mysterium, contremiscimus; nostraque capita movemus,

et tristem aspectum exhibemus, et nos ipsos miseros ducimus et deflemus; et væ supra væ amarulentum dicimus, quando ad nos qui recedit, quippe omnibus nobis conjunctus est, omnes salutans, dicit : « Valete, fratres, valete, fratres boni, et pro me in ista hora attente diligenterque ad orandum evigilate : in viam namque longinquam nunc abeo, quam ante nunquam ingressus sum ; et in regionem mihi peregrinam, unde nullus rediit; et in terram tenebrosam, ubi ignoro quid mihi occurret; et in profundum infernum, unde nemo revertitur. Valete, fratres mei charissimi, valete; mihi enim deinceps non est amplius frater : valete, amici; non enim amplius ego vester amicus, sed peregrinus : valete, amici, vale, pulcher comitatus; at non amplius meus comitatus, sed lamentatio ac luctus. Valete, consanguinei mei atque affines; valete, valete : adhuc modicum, et huc sequemini; modicum, et post nos venietis. Expectabimus vos ibi, expectabimus vos, ut veniatis ad nos : non enim nos amplius ad vos veniemus, non amplius in hac vita intuebimur vos. Si quid novimus, novimus; et si quid egimus, recipimus. Ecce hinc abducor, et ad vos non amplius revertor. Nunc si quid boni egi, hoc ipsum et mihi lucrifeci; et si quid mihi præmisi, illud ipsum etiam ibi occurret mihi. Si quid vero hic thesaurizavi, quid mihi modo proderit? Si cujus porro hic misertus sum, in hac hora misericordiam consequar; si quem protexi, etiam nunc protegar; si quem liberavi, etiam hac hora occurret mihi. Quoniam angusta mihi et gravis est præsens hora exitus animæ meæ; super omnem horam angusta, et dolore plena est mihi præsens hora : imparatus enim præoccupatus sum. Caliginosa mihi præsens nox est; sine fructu enim aridus ac siccus excisus sum : gravis et molesta mihi præsens via, quoniam nullum bonum est mihi viaticum. Quare amare atque acerbe deplorate me, et succurrite mihi; misereminí mei, et adju-

2.

vate; compatimini, et deprecemini pro me, ut ibi misericordiam inveniam. Non requiro multum, quoniam in multis peccavi. Quorsum igitur cereos accenditis mihi, fratres? non enim ego lampades animæ meæ accendi. Cur me vestibus splendidis induitis? non enim in meipso splendida indumenta habeo. Quorsum vero aqua corpus meum depurgatis? non enim meipsum aquæ per lacrymas admiscui. Quorsum porro etiam in tumulis atque sepulcris me cum sanctis deponitis, quorum vitam et mores non peregi? Quomodo meipsum decepi? quomodo mihi ipsi illusi, dicens: Juvenis sum, adhuc perfruar rebus sæculi; vacabo deliciis mundi, colam animalem hanc vitam atque præsentem; tandem aliquando pœnitentiam agam, benignus enim est Deus, et omnino mihi veniam concedet? Hæc quotidie cogitans vitam ipse meam valde male consumpsi. Edocebar quippe, et non attendebam; admonebar, et deridebam; audiebam Scripturas, et tanquam non audiens agebam; audiebam de judicio, et subsannabam; audiebam de morte, et velut immortalis vitam traducebam, quasique æternus contemnebam : et ecce imparatus præoccupatus sum, et nullus est qui adjuvet; ecce impœnitens anticipatus sum, et nemo qui redimat; ecce rogo, et nemo qui exaudiat; ecce judicor atque condemnor, et nemo qui salvet. Nam quoties apud meipsum resipiscere constituebam, et denuo pejora peragebam! quoties Deo procidi, et rursus eum sprevi! quoties ipse mei misertus est, et iterum ipsum exacerbavi! Et ecce miserabilis hinc jam abeo. Quam multa ipse mihi bona concessit, et ego mala peregi!»

VI. Hæc et similia moribundo homine ad nos præsentes edisserente, repente constringitur ei lingua, immutantur oculi, concutitur mens, silet os, impediturque vox. Quando Dominicæ copiæ atque satellites advenerint; quando formidabiles exercitus invaserint, atque apprehenderint; quando

divini nuntii atque emissarii animam ex corpore migrare jusserint; quando inexorabiles apparitores in judicium nos trahentes detulerint, quos miserabilis tunc speotans homo, etiamsi rex sit, etiamsi magistratum ac præfecturam gerat, etiamsi tyrannus sit, etiamsi imperator ac monarcha fuerit, omnino commovetur, et sicut a terræ motu concutitur; totus contremiscit, velut folium a vento raptum; totus turbatur, ac tanquam passerculus a venatore totusque pavidus et attonitus redditur, videns horribiles ante se exercitus, videns formas peregrinas et validas, videns figuras horribiles, videns facies severas et austeras, videns ordinem atque comitatum quem nunquam antea conspexerat; cogitansque apud se tunc dicit : Benedictus qui solus immortalis est, solus Rex æternus. Quid est, obsecro, cum his collatum regnum terrenum? quid est momentaneus hominum principatus? quid est vana et inhumana illa nostra potestas? Ecce vere exercitus cœlestes; ecce potestatum potestates æternæ; ecce figuræ formidabiles illius qui solus tremendus est; ecce ministri fortes illius qui solus fortis est; ecce potentatus ejus qui solus potens est; ecce fortes Dei fortis; ecce formæ terribiles atque horrendæ. Ista tunc qui abripitur solus videt : nos vero non intuetur amplius, sed ad præsentes potestates stupefactus extra se rapitur. Fortasse tamen etiam preces quasdam apud seipsum recitat, susurrans, sicut lingua potest.

VII. Ex quibus verbis ac modis figurisque præsentes frequenter et audimus et consideramus eum Dominicas spectasse potestates : quare omnes tremebundi exhorrescimus, et nobis mutuo annuimus, dicentes : « Quiescite, atque tacete jam, et decumbenti deinceps molestiam ne exhibeatis, tumultumque omnem comprimite : silentium servate, et ad ipsum posthac ne loquamini; a clamoribus et vociferationibus abstinete, ut ei tumultus turbasque non

concitetis. Orate, ut cum pace anima exeat; rogate, ut locum quietis accipiat; supplicate, ut Angelos benignos habeat; precamini, ut mitem atque benevolum Judicem inveniat. Bonos odores incendite, atque offerte; nam Angelicam præsentiam conspexit : orate; nam in magno nunc agone constitutus est. Considerate eodem modo vos quoque, atque orate; aspicite, et mysterii atque secreti hujus ne obliviscamini; fixis oculis intuemini, et de ista maxime hora estote solliciti. Quid est enim homo? nihil; quid homo? vermis; quid homo? cinis ac pulvis; quid homo? somnium; quid homo? umbra. Ecce jam transivit; ecce ascendit; ecce præteriit; ecce cessavit; ecce requievit, et defunctus est; ecce desiit et finem accepit magnus ille invictus leo, tyrannus fortis, potens atque elatus. Qui cunctis formidabilis erat, jacet quavis ove mitior atque mansuetior. Recessit, abiit et præteriit, qui magnus videbatur super multos; factus est tanquam nullus : qui alios tenebat, detentus est; qui ligabat, jam vinculis constrictus est, et ecce abducitur ad locum quo abducere satelles solent. In illa die peribunt omnes sermocinationes ac cogitationes ejus; in illa die quando divini exactores in medium prodierint excepturi animam, ex aëre supervenientes in quo Principatus consistunt ac Potestates, mundique rectores adversariarum copiarum : acerbi illi nostri accusatores, sævi tributorum exactores, calculatores atque censores, occurrentes et rationem exigentes, examinantes et hominis peccata ac peccatorum chirographa præferentes, quæ in juventute, quæ in senectute, quæ sponte, quæque imprudenter, quæ operibus, quæ verbis et quæ cogitationibus acciderunt. Magnus ibi tunc timor, magnus infelicis animæ tremor. Inexplicabilis necessitas, quam tunc subit ac sustinet ab immensa infinitorum hostium multitudine ipsam calumniis proscindente, ne ad cœlum ascendat, ne in lumine viven-

tium inhabitet, ne in regionem vivorum ingrediatur. Cæterum sancti Angeli excipientes animam secum abducunt. Tunc nos, mortale curantes corpus, et tanquam peregrinum atque alienum ex propria domo ad sepulturam efferentes, magnum aliud et formidandum mysterium cernimus ; consideramusque ibi parvos et magnos, reges et plebeios, tyrannos ac servos, cunctosque alios in unum cinerem ac pulverem redactos, in unum fœtorem ac putredinem vermemque resolutos : et sicut est hic Æthiops, ita et ibi, qui olim fuit formosus; sicut senex, ita junior in putredinem versus; sicut debilis, ita quoque fortis et invictus : omnes, ut ab initio, in unum pulverem cineremque redacti; quemadmodum et ex Scriptura audimus : « Terra » es, et in terram reverteris[1]; » et terra es, iterumque pulvis efficieris. Quos sæpe dum liquefactos ac putrefactos in sepulcro jacentes conspicimus, digito nobis invicem demonstramus, dicentes : « Ecce hic talis, et ille talis: hic est ille talis tyrannus; hic est ille miles, et hic est ille rex; hic illius talis nepos, et ista filia illius talis : hæc est, quæ olim adeo pulchra apparebat puella ; et hic qui antea ita comptus atque ornatus incedebat juvenis. »

VIII. Hæc et ejusmodi frequenter in sepulcris cum suspirio dicimus; et illacrymamur, videntes omnem ibi juventutem incertam esse et incognitam; videntes magnum vere ac tremendum mysterium; videntes omnem ibi ætatem esse dissolutam; videntes omnem corporum pulchritudinem ibi evanuisse; videntes omnem aspectum jucundum ibi extinctum; videntes omne facundum os ibi obstructum; videntes omnem linguam velocem ibi conticuisse; videntes omnem dentium pulchritudinem ibi dispersam et omnem capillorum nexum ibi computruisse; videntes omnem ætatis decorem ibi contritum; videntes omnem principatus ac

[1] Gen. III, 19.

magistratus potestatem ibi cessare, omnemque tyrannidem et jactantiam ibi desiisse, et omnem juventutis superbiam atque despicientiam ibi desolatam; videntes omnem vanum hominum laborem illuc recidisse, ibi cessasse et ibi finitum esse. Loquimur, et nemo est qui audiat; plangimus, et nemo qui attendat. Nominatim ibi jacentes compellamus, dicentes : « Quonam abiistis, fratres nostri ? ubi jam degitis ? ubi estis ? quomodo nos ita repente dereliquistis ? Vocem nobis edite, sicut edebatis olim ; loquimini nobis ; respondete nobis. » — « Nos, inquiunt, qui ex humanis excessimus, illi sumus quorum cujusque anima in locis sibi congruentibus versatur, ut quæque est commerita. Hic autem qui vestros ante oculos in sepulcro cernitur pulvis, iste quem conspicitis cinis, hic fœtor, ista putrefacta ossa , immundi hi vermes, corpora illorum sunt adolescentulorum et puellarum, quos concupiscebatis olim : hic cinis, illa est caro quam complectebamini, et quam insatiabiliter osculari solebatis : hæc putredo, illa est facies quam dies noctesque inexplebili voluptate deosculabamini : hæc tabes et fluxio immunda, illa est caro inter cujus complexus peccabatis. Ideo videte, et plane credite, qui adhuc carne in vita vana versamini, certoque scitote, quod dum in lecto inter complexus vestrarum conjugum puellarumque jacetis, vos cinerem lutumque tunc complecti; scitote, inquam, dum cuncta earum membra circumplectimini, vos tunc fœtorem et putredinem amplecti; discite, quando earum amore ac desiderio adeo flagratis, vos tunc vermes et cinerem tetrumque odorem concupiscere. Nolite seduci, o juvenes et juvenculæ insipientes; nolite decipi in vana juventutis pulchritudine : nam et nos, qui vestros ante oculos putridi jacemus mortui, in vita olim sicut vos apparuimus, et accurate ornati odoramentisque inuncti fuimus, atque in bonis dies nostros duximus ; et

ecce, ut videtis, in cœnum ac cinerem et pulverem, fœtoremque gravem, universa illa jam reciderunt. Quocirca deinceps ne vos ipsos fallatis; sed a nobis, qui vos præcessimus et in sepulcro nunc sumus, edocti, resipiscite et firmiter credite, apud infernos judicium esse, et sine fine supplicium, et tenebras omnis lucis expertes, et gehennam inconsolabilem, vermemque non dormientem, et fletum absque silentio, et stridorem incessabilem, et tribulationem atque angustiam incurabilem; esseque citra personarum acceptionem Judicem, et ministros nemini ignoscentes, luctumque ibi amarum ac sempiternum. »

IX. Hæc quamvis non verbis, rebus sane ipsis, ad nos fratres nostri, qui illuc præcesserunt, loquuntur, ac nos docent; quorum sicut memoriam facimus, ita et ab illis aliquid desideremus addiscere, vel audire, aut nosse : veluti ubinam sint, vel quomodo se habeant eorum animæ, utrumne apud superos, an apud inferos existant; anne intueantur nos modo, aut ipsi eos aliquando adhuc conspecturi simus; numquid amplectemur ipsos ibi, vel an omnino eos amplius agnituri simus. Cæterum nemo ista novit : nullus enim illinc unquam rediit, nullusque nobis de iis quæ ibi contingunt, ubi sint, vel qualia sint, indicavit; nam ea sejunxit a nobis Deus : verum abscondit, et operuit, atque obumbravit res illas a nobis, donec et nos, hinc profecti, ad ea quæ ibi sunt pervenerimus, quando ex mortuis resurgemus omnes, et astabimus, et confitebimur; ratioque omnium a nobis exigetur, in illo magno ac tremendo, in illo formidabili et inexplicabili Judicis tribunali, quando e cœlo veniet, universum judicaturus orbem terrarum, ab ortu solis usque ad occidentem; quando voces horribilissimarum illarum tubarum resonabunt; quando timore ac tremore omnis sub cœlo creatura commovebitur atque turbabitur; quando sepulcra aperientur, et omnis caro nuda atque detecta exurget;

quando omne os obstruetur, et omnis spiritus confitebitur; fluviusque igneus ante judicem decurret, de quo ait Daniel : «Aspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum » sedit : thronus ejus, flamma ignis; rotæ ejus, ignis fla- » grans. Flumen ignis trahebat in conspectu ejus. Millia » millium ministrabant ei, et dena millia denum millium » assistebant ei. Judicium sedit, et libri aperti sunt[1].» Atque illa dies est ac hora, de qua etiam David : «Cur timebo, » *inquit,* in die? iniquitas calcanei mei circumdabit me[2].» Diei illi maledixit Job, dicens : «Maledicat ei, qui maledicit » diei illi qui est magnum cetum oppressurus[3],» hoc est diabolum. De illa die etiam alius quidam clamat propheta : «Ecce venit, dicit Dominus Sabaoth : et quis sustinebit » diem introitus ejus? quando Deus manifeste veniet, Deus » noster, et non silebit. Ignis ante conspectum ejus præce- » det, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit cœlum » sursum et terram discernere populum suum[4],» omnemque carnem ad tremendum illud tribunal ubi non erit parvus et magnus, servus et liber; ubi non erit rex et subditus : sed æqualiter omnes judicio obnoxii, omnes vincti, omnes nudi, derelicti, tremebundi, plorantes, turbati, anxii atque solliciti erunt quid singuli ipsorum dicturi sint, quidve Judici de male actis responsuri. Ubi tunc ibi regum superbia? ubi tyrannorum jactantia? ubi insipientum inanis gloriatio? ubi juventutis mollities? ubi superfluus atque lascivus vestium ornatus? ubi tunc, qui principibus assistebant, et a latere discurrebant famuli? ubi comptæ atque ornatæ tunc filiæ? ubi aurum? ubi argentum? ubi auro infrænati equi? ubi unguenta? ubi suffitus? ubi aromata? ubi quæ frustra perduntur alia? ubi tunc epulæ atque deliciæ? ubi quæ dies noctesque fieri solent convivia? ubi qui cum tympanis et saltationibus vinum bibunt et deliciis indulgent, Deum vero

[1] Da . VII, 9. — [2] Psal. XLVIII, 6. — [3] Job, III, 8. — [4] Psal. XLIX.

et pauperes despiciunt? Nihil horum ibi erit : sed amarum væ! væ!

X. Non amplius ibi locus erit ditescendi, sed pertimescendi; non tempus ibi erit prosperitatis, sed excusationis atque defensionis; non erit ibi ornatus ac claritas, sed obscuritas; non erit ibi locus tripudiandi, sed lugendi atque plorandi; non erit ibi juventutis jactantia, sed apud inferos exilium; non erit ibi propitiatio atque commiseratio, sed timor ingens. Nulla in die illa formidabili atque terribili erit consolatio; sed justa et accurata retributio. Bonum in illa tunc hora tibi subveniet auxilium, si pauperibus atque mendicis hic compassus fueris; boni pro te apud Christum tunc erunt advocati, qui hic egeni a te enutriti, et misericordiam consecuti, protecti ac conservati fuerint; boni et præstantes pro te ibi consolatores aderunt fratres Christi, pauperes, orphani atque pupilli, viduæ, advenæ ac peregrini, inopes, debiles, claudi, cæci, captivi, derelicti, quique in tormentis et solitudinibus, in carceribus, in exiliis, in infirmitatibus et aliis calamitatibus constituti, per te hic salvati fuerint, et misericordiam consecuti. Magni hi tunc patroni tibi isthic erunt, magni defensores, magni fautores atque auxiliatores, exhibentes tunc Christo quæcumque ipsis hic dederis, quemadmodum ipsos paveris, quomodo ipsos refeceris, et quo pacto ipsis deservieris. Boni tibi hi fratres isthic reddentur, sicut sunt fratres Christi : si enim unus aliquis frater regis, plurimum se patrocinando ac deprecando potest ad proprium fratrem regem; quanto magis ubi fratrum interpellat multitudo! Quod porro fratres Christus denominaturus sit pauperes in tremenda illa hora judicii, ipsummet ad justos qui a dextris stabunt dicentem ausculta : « Quamdiu » fecistis uni ex his, *inquit*, fratribus meis minimis, mihi » fecistis [1]. » Hoc autem dicens, omnes ostendit digito ibi

[1] Matth. xxv, 40.

præsentes, et ad pedes suos consistentes. Quis porro dignus, quis porro felix in illa erit hora, quando cuncti exhorrescent ac contremiscent Angeli et homines, ut tunc nominari mereatur frater Christi? Quam multis tibi istud thesauris erit potius! quam multis opibus, quam multis coronis vox ejusmodi excelsior atque præstantior!

XI. Quinam igitur illi tales erunt, ut beatos prædicemus et collaudemus ipsos? qui, obsecro, erunt illi, ut et nos imitemur eos? Qui quidem in die et hora illa horribilis atque tremendi judicii cum fiducia et securitate, intrepidique ad Christum tanquam ad patrem suum et amicum sincerum ingredientur, certo scientes se velut filios et amicos veros ab ipso susceptum iri; quippe qui ei vere atque legitime inservierint, et mandata ipsius observaverint. Quis, inquam, erit ille adeo beatus, quem quidem cernens Christus in throno sedens ad ipsum ingredientem, lætus excipiat, obviamque ipsi procedat hilari facie et aspectu arridente, atque appellatione læta et benigna allocutione hunc apprehensum amplectatur, et tanquam ex longinqua peregrinatione venientem amicum filium deosculetur, talibusque eum verbis compellet: «Bene venisti, o amice bone et fidelis; bene venisti, educator et altor meus, hospes meus et protector meus: gratiam habeo bonæ menti et voluntati tuæ, et non sum oblitus charitatis tuæ. Memini quanta mihi bona præstiteris; novi quoties me refeceris.» Quæ dum ad eum ait Christus, tenet ipsum manu coram omni illa magna celebritate, coram Angelis et Archangelis, et omni Principatu ac Potestate, coram omnibus justis, et Prophetis, et Apostolis, ac sanctis; statuensque hunc in medio, simul prædicat et ostendit eum omnibus, ac dicit: «Hic homo esurientem me aliquando conspexit, et pavit; sitientem, et potavit; frigescentem, et cooperuit me; hospitem, et suscepit me; infirmum me vidit, et ministravit, et in domum suam introduxit; pedes mihi

lavit, vulnera mea abstersit, super lectum suum me collocavit, portas domus suæ mihi aperuit, cum gaudio mihi occurrit, ex animo me refecit, in necessitate me respexit et liberavit; in carceribus me invenit, et redemit. Propterea et ego dico ipsi : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca » fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium » Domini tui[1]; » perfruere deliciis paradisi mei; ingredere in vitam æternam. » Neque vero ista duntaxat tunc dicet Christus eis qui complacuerunt et servierunt ipsi; sed et faciet ipsos discumbere, et transiens ministrabit eis.

XII. Ut igitur nos quoque tali perfruamur voce et gloria atque honore, curramus hic nunc, dilectissimi; festinemus, præoccupemus, ut non anticipemur; rapiamus, ne repente abripiamur; introeamus, ne foris remaneamus : demus, inquam, operam, charissimi, properemus, præripiamus, antevertamus; negligentiam atque pigritiam in qua adhuc torpescimus, expellamus; vanos timores atque dilationes removeamus et e medio tollamus; spem inanem, nos dies noctesque subsannantem, abjiciamus : ne deinceps in errorem impellamus seducamusque nos ipsos; ne nobis ipsi illudamus, ne nos deinceps irrideat inimicus. Ne nos in hodiernum vel crastinum diem impura relaxet cogitatio; quoniam multi, dum multa secum statuerunt, ad crastinum non pervenerunt, at subito rapti sunt, sicut passerculi ab accipitre, et velut agni a lupo, et quasi captivus a latrone; nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem ullam edere : alii enim vesperi cubitum sani concedentes, ad mane non pervenerunt; alii ad mensam accumbentes expirarunt; alii inter ambulandum et ludendum repente sunt mortui; alii in balneo morientes idem lavacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt; alii vero dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali subito

[1] Matth. xxv, 21.

atque inopinate abrepti sunt, et eadem sibi vestimenta pro nuptiis pararunt atque pro funere; successeruntque in locum tibicinum lamentantes, et in locum saltantium atque tripudiantium lugentes atque plorantes. Et ista omnia novimus ac scimus; quodque gravius est, sponte interim et scienter peccamus, nobisque ipsi illudimus : et propterea nullam a Deo veniam consequimur; quia non ex ignorantia, sed scientes erramus. Scripturas quidem sacras audimus, et collaudamus; sed quæ dicuntur non facimus.

XIII. Quare hortor et obsecro, ut non solum auditores simus doctrinæ, sed et factores. Si quis ergo, post jam dicta audita, depravatam fornicandi consuetudinem, quam habebat, præciderit; bonus hic revera auditor fuerit : si quis, præteritarum injuriarum memoria, quam in proximum tenebat, deposita, ei reconciliatur; hic bonus auditor : si quis, præsenti sermone compunctus, misericordiæ et beneficentiæ operibus sese dederit; hic bonus auditor : ut non in judicium hæc et similis cuiquam lectio fiat, dum audimus quidem et non facimus. Nisi enim mors fratris tui ad saniorem te mentem reduxerit, nullus te juvare poterit; nisi dum mortuum cernis resipiscas, quando tandem converteris? nisi ex jam dictis compunctus fueris, nunquam a peccato recedes. Hanc, charissimi, divinorum eloquiorum mensam, qui ad Christum præcesserunt fratres nobis instruxerunt atque proposuerunt; hæc vivifica ac salutaria nobis fercula ipsi pararunt; hoc nobis doctrinæ vinum miscuerunt; hanc nobis lætitiam deliciasque in salutem subministrarunt : ut hæc ipsa meditantes dies noctesque, ac singulis horis, in ecclesia, in foro, in domo, in mensa, in prætoriis, in lectis, in balneis, in conviviis, in conciliis atque consessionibus, valeamus ab improba et vana peccandi consuetudine desistere, et animam nostram ad pœnitentiam convertere, et deinceps a malo declinare, et Dominum

placatum nobis reddere, regnumque cœlorum consequi : gratia, et miserationibus, atque benignitate Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi; quoniam ipsi gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

DE MORTIS COGITATIONE, SEU DE HABENDA SEMPER IN MENTE DIE EXITUS VITÆ.

I. Nescitis, fratres mei, qualem timorem et necessitatem sustinere debemus in hora exitus nostri ex hac vita, quando anima a corpore separatur? Magnus timor ac magnum mysterium ibi consummatur. Aderunt enim in ipsa Angeli boni et multitudo cœlestis exercitus, et omnes adversariæ potestates et principes tenebrarum, utrique cupidi sumendi animam ac constituendi illi locum. Si igitur anima ex hoc tempore possedit virtutes bonas, vixitque vitam honestam, ac virtute prædita fuit, die exitus sui, ipsæ virtutes quas possedit in hoc statu fiunt Angeli boni, eamque circumdant, neque sinunt ullam ex contrariis potestatibus ipsam tangere; sed cum gaudio atque exultatione cum Angelis sanctis illam suscipiunt, cantantes hymnos victoriæ Deo, illamque offerunt Christo Domino et Regi gloriæ, eumque adorant cum ipsa universoque cœlesti exercitu; et ducitur deinde ad locum quietis, ad inexplicabile gaudium, ad lumen æternum, ubi non est dolor, neque gemitus, neque lacrymæ, neque sollicitudo, sed vita immortalis atque æterna lætitia cum omnibus aliis qui Domino placuerunt, in regno cœlorum. Si vero in hac vita turpiter vixit, ver-

sata in passionibus ignominiæ, voluptatibus carnis abstracta, et mundi hujus vanitate, in die exitus ejus ex hac vita, ipsæ affectiones et voluptates quas habuit in vita hac, fiunt dæmones mali, et circumdant animam miseram, nec sinunt ut Angeli Dei accedant; sed assumunt eam, cum contrariis potestatibus dominis tenebrarum, et abducunt ipsam misere lugentem, demisso vultu incedentem ac lamentantem, in loca tenebrosa et obscura, et infesta, ubi peccatores omnes servantur in diem judicii suppliciique æterni, quo Diabolus ejectus est cum angelis ipsius. Oportet igitur nos ex hoc tempore omnem curam ac sollicitudinem habere de exitu nostro, et præparare virtutes quæ debent nobiscum ex hac vita proficisci, ac nos suscipere in hora necessitatis.

II. Quæ autem sunt virtutes quas diximus Angelos fieri, et obsistere dæmonibus, hoc est, passionibus nostris? Hæ sunt, dilectio, humilitas, longanimitas, continentia, patientia, discretio, subjectio, tranquillitas, fortitudo, justitia, atque his similia : hæ virtutes suscipiunt nos illa hora, et nemo est qui iis repugnet. Passiones vero quas diximus dæmones fieri, sunt hæ : odium, animi elatio, asperitas, acedia, otiosi sermones, acerbitas, contentio, æmulatio, invidia, superbia, vana gloria, injuriarum memoria, socordia, negligentia, ignorantia, mœror, iracundia, ira, pigritia, contemptus, nequitia, cupiditas, tumor, mollities, gula, intemperantia, et præter hæc omnia, avaritia, omnisque prorsus satanica astutia : hæ igitur passiones in dæmones mutatæ, die exitus nostri accipient animam; et merito : quas enim hinc assumpsimus et præparavimus, his conceditur potestatem in nobis exercere; hæ etiam post mortem simul nobiscum veniunt, atque ibi in nobis dominantur, et non est qui ab ipsis eripiat. Cogitemus igitur, atque intelligamus, dum tempus habemus, qui sunt super nos, et curra-

mus ex toto corde, et eos ipsos urgeamus ut præcurrentes in hora auditionis nostræ nobis opitulentur, ac nos liberent ab adversariis : oppositos autem nobis, quicumque sint, et qualiumcumque malorum suasores sint nobis, fugiamus, ut a serpente et igne. Si vero nos etiam a virtute abstrahunt atque impedimento nobis sunt, dum tempus habemus et dum sumus in vita, curemus illos propulsare, ac per pœnitentiam exercitationesque virtutum propitium reddere Deum, et præparare nos ad exitum ; ne forte veniente et pulsante, imparati inveniamur ad ejus occursum ; quia qua hora non expectatur, Dominus noster venit : ut veniente ac pulsante inveniamur parati ad eundum ei obviam ; quia ipsum decet gloria, cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

DE RECORDATIONE MORTIS, ET DE VIRTUTE, AC DE DIVITIIS.

I. Morem gerere oportet illi qui dicit : « Consolamini invicem, et ædificate alterutrum [1] : » non quod ego sufficiens sim ad consulendum vobis, et ut meo istud studio contendatis; verum novi eum qui ait : « Benedictus Deus, et » Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, » et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni » tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui » in omni pressura sunt; per exhortationem, qua exhorta» mur et ipsi a Deo [2]. » Propterea necessarium duximus vobis scribere quæcumque ex divinis Scripturis didicimus, et de quibus a piis religiosisque viris admoniti sumus, et si

[1] 1 Thessal. v, 11. — [2] 2 Cor. 1, 4.

quid ex ipsa experientia accepimus; ne invidis illis assimilemur artificibus, qui per invidiam multa artis suæ quæ edocti sunt celant. Nos vero credimus dicenti : « Deus est » enim qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona » voluntate[1]. » Neque enim virtus a multis possessa atque exculta angustior efficitur; quemadmodum et quidam sanctorum ait : « Quoniam virtutis possessio ejusmodi est, ut, » licet cuncti illam participent homines, nequaquam tamen » ejus exhauriantur divitiæ : » non enim est terrenæ possessionis instar, quam qui in portiones dividunt, quantum uni partium adjecerint, tantum alteri detrahunt; estque exsuperantia unius, diminutio comparticipantis : unde quoque pro majori obtinenda parte, pugnæ exoriuntur inter homines, odio deterioris conditionis. At qui virtutem possidet, extra invidiam est ejus possessionis copia; et qui plus virtutis rapuerit, nullum per hoc damnum intulit secum pari jure participare volenti : imo quo quis est capacior, eo amplius ipse bona cupiditate repletur; ipsæque virtutis divitiæ in præoccupantibus non consumuntur. Exordiamur itaque de novo argumentum, gratia magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi nobis cooperante.

II. Negligentia multorum malorum fit causa non vigilantibus, paulatim a spirituali consuetudine ac ratione vivendi abducens, et fidei ardorem deprædans, efficiensque ut voluptatibus tanquam dominis serviamus; non enim sinit cogitatione complecti quæ post hanc vitam erunt retributiones. Si vero etiam negligens audierit scripturas prædicantes supplicia post mortem manentia, ea tanquam alteri alicui reservata, ipseque extra crimen sit, quasi sensus expers non percipit. Quemadmodum igitur negligentia est noxia, sic vigilantia perutilis est, et bonorum omnium conciliatrix : nam vigilanti semper præsens est memoria Dei; et ubi Dei

[1] Philipp. II, 13.

recordatio firmata est, quæcumque mali operatio cessat; insatiabile vero desiderium futurorum bonorum, semper vigens, brevem cursum efficit. Etenim ad corporeum cursum opus est bona membrorum dispositione, et acuto visu : verum in spirituali, opus est anima purificata : licet enim corpus oppressum sit, ac debilitatum nimia imbecillitate, nihil tamen nocuerit animæ vigilanti; quemadmodum neque generoso Job dolorum tempestas, et quod ipse sub dio in sterquilinio sederit. Nihil fortius pietate; nihilque miserabilius ac calamitosius vita libidinibus affectionibusque immoderatis referta : quanto enim dulciora hæc momentanea, tanto magis augent calamitatem.

III. Etenim sicut auri una aut altera drachma privati dolent, qui avaritia stimulantur; et facultatum amator parva vinea exiguoque agro culto ad pabulum idoneo privatus mœret, jacturam non ferens : ita quoque divitibus conjunctus est dolor, separationem divitiarum in memoriam reducens; et maxime quando quis seipsum ad senium declinantem aspexerit, discruciatur atque angitur, tanquam ferro aliquo aut vinculis constrictus, dum nullum artificium invenire potest quo senectutem depellat; et licet sibi videatur tibiis ac tympanis, reliquoque musicorum apparatu quibus sese exercet ac recreat, memoriam mortis a se depellere, per hæc magis eam auget : quoniam tanta penitus lætitia privabitur, cessabuntque ejusmodi plausus et ludi, ac jucundissimus symphoniacorum concentus; mœror autem intus adurere, et exedere ipsius viscera non desistit. Atqui certe dolor hic tragicus, fabulis ac bellis mortem interitumque denuntiat. Quod si mortis meminisset, omnino expectationis metus ejus mores commutaret, atque ad bene vivendum impelleret. Quis porro, diceret quispiam, infidelium et impiorum mortis meminit? Ne nobis hoc mirum videatur; quoniam omnis homo conjunctam habet mortis me-

moriam. Et infideles quidem hac male utuntur, voluptatum duntaxat abscessum deplorantes : fideles autem tanquam adminiculo et auxilio adversus turpissimas passiones, ea fruuntur. Omnibus igitur exploratum est, quia morti subjecti sumus, fideles et infideles : post mortem autem judicium esse non omnes credunt. Justi quidem semper eam ob oculos habentes, secundum eum qui dicit : « Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc » autem judicium [1], » noctibus atque diebus orationes et supplicationes Deo effundunt, ut liberentur a gehenna ignis, cæterisque tormentis, dignique sanctorum Angelorum reddantur chorea. Impii autem ac peccatores, nudam quamdam habent mortis recordationem, non de his quæ post mortem eventura sunt laborantes, sed privationem atque abscessum voluptatum deplorantes. Si cui autem ipsorum obvenerit recordatio quæ justos coërcet, tunc prior dolor peribit, obrutus a posteriori; non amplius enim congruet cum iis qui dicunt : « Manducemus et bibamus, cras enim morie» mur [2]. » Neque audebit thesaurizare inutilia, et congregare manibus infructuosa, aut potius supplicia contra seipsum : sed sollicitudo ipsum invadet, tanquam virum sapientem; præstantiorum, inquam, rerum desiderium, impiorum curam devitans. Eorum vero qui terrenas divitias amant, omnis vita in spe vana consumitur; et quanto major est divitiarum copia, tanto amplius mortis metum auget.

IV. Recordatio quippe mortis intus habitans, dolorem affert secundum proportionem uniuscujusque sensus; non ut instituantur præceptis temperantiæ, prudentiæ, justitiæ et fortitudinis; nec de gehenna, et justo Dei judicio : verum inopia laborantes consilii, secum ipsi lamentantur, deplorantque opes, dictitantes : « Quis igitur post mortem nostram, tantam possidebit opulentiam? quod quidem et regi-

[1] Hebr. IX, 27. — [2] I Cor. XV, 32.

bus gratum est nosse, quis scilicet post eos regnaturus sit. Et quis igitur dominus erit tanti auri et argenti? eccui postea deserviet tantus auri apparatus? quis possidebit deauratas et sericas vestes, ac varia et sumptuosa lintea? quis ascendet in equos aureis frænis ornatos, atque selectos? quem sequetur præeuntem multitudo servorum ex diversis nationibus congregata? quisnam habitabit in turribus et tricliniis quæ ego sollicite marmoribus ornavi, quorum pavimentum lapillis ornatur tectumque auro distinctum est? cui igitur in posterum servient pistores et pincernæ? cui assistent eunuchi ministrantes? quis accumbet in mensis argenteis et Indico opere elaboratis? quis fructus et defæcatum vinum, quis meorum pomariorum primitias accipiet? quis monilia atque collaria et zonas aureas possidebit? quis armamentariorum et curruum, et exercitatorum equorum ad iter et ad aciem bellicam, erit successor? quem famuli dominum appellabunt? quis fragrantiam unguentorum adhibebit? quis canes ad venationem et aucupia habebit? primitias porro frugum, cui mei pastores ferent? et vectigalia, quibus solventur? » In multas autem partes mente distracta, cum exitum quæstionis invenire non possit, valde ingemiscens, rursus ad familiæ administrationem revertitur, nec audet in cœlis thesaurizare.

V. Quando autem jam cuncta animo ejus placentia finem sumpserint, veluti fructuum copia, et facultas reddituum, et jumentorum fecunditas, et dignitas illustris, et res contra hostes in bello præclare gestæ; tunc mortis recordatio subintrans conturbat cor. Si autem membra declinaverint ob gravitatem senectutis, neque amplius servire possint ad absurdas et vetitas voluptates; tunc et vitam sibi inimicam æstimat. Si vero quis sævus est, crudelis atque superbus, et videatur longe recessisse a recordatione mortis, propter dissolutionis et prosperitatis exsuperantiam; non propterea

mortis periculum effugit: similis enim est ægrotanti et sanitatem simulanti, et contraria infirmitati comedenti, dum putat per hæc depellere morbum: sed non ob id etiam ægritudinem levat; morbus enim per membra dispersus, vel invito fidem faciet ægrotare: quando enim viderit ejusdem secum generis et tribus, a morte repente per varios casus raptum; tum, velit nolit, credet ad ipsum quoque mortis calculum perventurum. Si quis vero juvenis aut recens conjugatus sit, iterum mortis recordatio accedens jucundissimis tristia commiscebit: quando enim inspexerit dilectum conjugis vultum, mox omnino separationis ingreditur timor; et si audierit jucundissimam vocem, eamque se aliquando non auditurum cogitabit; et quando lætatus fuerit contemplatione pulchritudinis, tunc maxime luctus expectationem horret, considerans quod illa quidem pulchritudo interitura sit; ossa vero abominanda, etiamsi capiantur pro ea quæ nunc ostenditur forma, reddentur; et neque vestigium, neque memoria, neque reliquiæ præsentis pulchritudinis apparent amplius. Si hæc et talia animadverterit, numquid in lætitia vitam ducet? numquid confidet præsentibus tanquam utilibus et semper permanentibus? An non ex his perspicuum est, fore ut, quemadmodum in somniorum deceptionibus accidit, ita ipse difficilem se atque incredulum hujus vitæ rebus præbeat, ac tanquam alienis visis animum adhibeat? Negligentes et contemptores, obcæcati cum sint peccati fraude diebus suis præcedentibus, existimant procul abesse mortis horam, nihil de suo hinc exitu laborantes; verum annos multos et tempora longa sibi præscribunt: similes autem sunt eorum qui iter nocte intempesta suscipiunt, qui quidem arbitrantur procul abesse ab imminenti præcipitio et prærupto loco, donec præcipitatis ipsis experientia dubitationem solverit.

VI. Qui igitur vitæ hujus fallaciam mundo mentis oculo

perspexerit, et sublimior his effectus qui in hujus vitæ rebus studium atque operam ponunt, intelliget omnino quod, sive edat, sive bibat, sive dormiat, sive laboret, sive contempletur, omni die ac hora ad senium et finem temporalis vitæ a natura impellatur : unde tanquam stercora atque quisquilias, quæcumque despicit; studetque ab hujus vitæ affectione se ipsum avocare, ut nullam cum rebus humanis societatem habeat. Qui ergo ad vitam honestam se convertit, ac virtutem sibi thesaurizat, quam nullus terminus humanus circumscribit, anne patietur absque compunctione et lacrymis præsentem vitam elabi, aut ad abjecta humique prostrata animum suum inclinari? ampliusne igitur terrenas suspiciet divitias, aut potentiam humanam, vel aliud quidpiam eorum quibus ii student qui inopes sunt mentis atque consilii? Nam si quis adhuc harum rerum immoderato ducitur affectu, extra talem sane foret chorum ac cœtum, nihilque ad nostrum sermonem : at si superna sapit, et in sublime fertur cum Deo, res ejuscemodi plane superat transcenditque, omni contentione virtutem prosequens; nihil enim in vita hac præstantius, siquidem homines efficit amicos Dei : omne aurum in conspectu ipsius tanquam arena perexigua, et quasi lutum reputabitur argentum ipsi comparatum; morbus hanc non tabefacit, et ægritudo hanc non obscurat; et quæ omnibus formidabilis est mors, ab his qui virtutem consectantur despicitur, nam confidenter cum illo clamabunt qui ait : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo[1], » cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Philipp. I, 23.

NECROSIMA,

SEU

FUNEBRES CANONES.

CANON I.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Mors natam ex multiplici corporis ægritudine pugnam dirimit, justisque restituit pacem, et victores athletas coronat. Virtutem namque studiose colentibus ab infantia incumbit bellum, gliscitque magis in dies, et ad ultimum usque senium eos fatigat, nec alius militiæ finis quam vitæ fuit; adveniente siquidem reddendæ mercedis hora, mors operarios velut sub occasum diei ad quietem reducit, tamdiu duraturam, donec supremus vitæ mortisque Arbiter illos e tumulis, velut discusso sopore, excitet, et morti exemptos ad vitam traducat immortalem. Quamquam et justi a nostra sequestrati consuetudine, ac nostris ab oculis conspectuque remoti, nobiscum agere non cessant, sed somno licet sopiti ferreo taceant, nos erudire pergunt; corpora namque ægritudo quasi vestes detrivit et assumpsit, animas non item; illis extinctis, istæ permanent, suumque habitum conservant, nec prohibentur quominus nobis præsentes fiant et loquantur, ac suis præceptis et institutis nos ad pietatem informent. Animæ scilicet, permanente vitæ et rationis usura, voluptatis sedem obtinent;

corpora condit humus, velut creditum sibi depositum aliquando tandem reddittura. In nobis igitur hæret omnis dolor, qui Curatorem amisimus ; nostrum tamen ille damnum suum deputat compendium, quandoquidem fœneratam pecuniam auctam in duplum recepit : idcirco minime expavit, quod ei indicebatur iter.

II. Mors illum simili qua olim Mosen ornavit corona, et ex alto in portum invexit, vitæ mortalis ærumnis ereptum, et molesta cum ægro corpore lucta defunctum. Vir mitissimus, et in hac parte Mosi comparandus, populum sibi commissum docuit et rexit : divinarum Scripturarum codicem ei pro columna ignis proposuit, et pro nube Legem obtendit, quæ sacro rore simultates et odia extingueret. Sacratam Deo plebem ab inanium deorum superstitione prius oppressam vindicavit; in hoc etiam Mosi comparabilis, qui populum suum fraudulenti regis jugo subtraxit. Hic nos sollicitat gravis cura, ignaros qualem posthac simus habituri pastorem. Hæc enimvero nos cogitatio acerbissime cruciat ; non quod navigium ad portum, Pater, appuleris, et vita defunctus, adeptus fueris coronam. Quidni enim tui desiderio vehementer angatur Ecclesia, cui fame laboranti Eliam restituisti provisorem, depulsaque annonæ caritate, errores et profanos cultus etiam sustulisti ? Nunquam profecto non dolebit amissum Artificem qui inchoatum a Paulo ædificium terminavit, idemque perfectum consummatumque puro suarum institutionum auro illuminavit ; lugebit utique semper siccatum sacræ doctrinæ fontem, quem sensit usque suis plantariis mirifice salutarem, cujusve fluentis irrigatus ager earum frugum copiam exuberavit quas rerum divinarum scientia afferre solet.

III. Ita certe gravis mœstitia et acerbus luctus viduam derelictam subito occupavit, cum cogitaret tuis posthac institutionibus sibi carendum, tuamque conticuisse vocem,

peccantibus vitiorumque veterno oppressis datum divinitus vecordiæ desidiæque remedium. Tuam posthac frustra opperitur videre dexteram suis obtensam filiis, eisque crucis signum imprimentem, unde omnis pendet nostræ salutis spes. Nil ergo mirum si templum ingredienti continuo suboriuntur lacrymæ, quod prohibetur te sedentem ad januam interioris adyti spectare, atque intueri vultum illum placidum et omni suavitate temperatum. Iterum ubi illuxit dies statis precibus vacatura, procurrit ad templum in spem reportandi tuarum benedictionum inde beneficium : sed postquam in conferta confluentis populi turba diu requisitum minime reperit, tui jam certa obitus, dolore discruciatur, divellitur, opprimitur.

IV. Enimvero cum omnes boni pastoris partes erga gregem tuum impleveris, sibique tuis ille precibus salutem redditam fateatur, et mansuetissimum Mosen imitatus, Ecclesiam item moderato mitique regimine sine tumultu gubernaveris, illa utique non dubitat quin pari quo Moses exitu tuis fueris defunctus laboribus; quare, ut dictum est, non tua angitur felicitate, sed quod tibi decedenti nemo hactenus suffectus est Apollo similis. Mors siquidem cum Mosen Israelitis abstulisset, eam jacturam sua virtute compensavit successor Josue, et conceptum ex legislatoris obitu mœrorem omnino detersit; tum eo rem perduxit, ut nec salvatorem nec ducem populus adhuc desideraret. Cum autem Ecclesia tua alterum tui similem hactenus nacta non fuerit, non sine causa luget; qualis vidua tori consorte subito destituta, quæ quidem, antequam trunco recisum reddatur caput, victu utitur duro et amaro luctu divellitur, donec altero potiatur conjuge, qui res domesticas studiose curet, suaque sapientia ejus dolori modum statuat et finem.

V. Interea quamdiu hoc jactamur æstu, tuæ, precor, Pater, Ecclesiæ tuis succurre precibus, quas exauditum iri

non dubito : nam et pro populo suo oravit Moses; ita et tu pro tuo grege precare, ut ei Josue similis rector obtingat. Certe multo ante Ezechiæ tempora obierat David, ipsius nihilominus deprecatio periclitanti multo post Jerosolymæ subvenit, et Sennacheribi armis oppugnatam defendit. Sacerdotem te experti sumus Aaroni similem, et sacerdotum principem, qualem prædicamus Mosen : Joseph item patriarchæ pudicitiam, et Eliæ zelum in te suspeximus, tum Davidis sanctimoniam, et Abrahæ integritatem et innocentiam; ideo nec temere credimus singulari te prærogativa, qualis Jeremiæ concessa fuit, ex utero matris propter decorem tuum a Domino fuisse electum : illius certe Prophetæ vestigiis ingressus, ab adolescentia jugum Domini portasti, grave idem et leve, seu labores cogites, seu præmia. Illum interim supremum recte factorum Remuneratorem oramus, qui dum ageres nobiscum egregiis factis rebusque præclare gestis nomen tuum illustravit, ut in choro justorum pro bene gesto pontificatu tibi coronam reddat.

VI. Cæterum etsi sanctæ animæ tuæ aspectu prohibemur, tuo te in corpore intuemur, et quasi in pixide odorato unguento plena etiam olfactu percipimus. At tu, tui non immemor gregis, tuis ei succurrito precibus, eique salutem et incolumitatem exora; et præsta ut frequens populus, qui ad tuam renovandam memoriam convenit, tuis adjutus precibus, felicitatis tuæ consortium obtineat, tibique in illa beatorum sede sociatus, illum laudet qui te in eorum ordinem cooptavit.

CANON II.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Eritne aliquis cui jucundum et gratum non sit quod Beatus iste pervenerit ad palmam? at neminem fore puto

qui non vehementer doleat nobis ereptum post victoriam ducem, quem mysticum animarum nostrarum habebamus solem. Sed quoniam definitum transmigrationis momentum perstat ratum et immobile, vestras, oro, cohibete lacrymas, potius contendite voces; amplum quippe laudationis argumentum ecce vobis exhibet pugil magnis certaminibus gloriose defunctus : quapropter majoribus dignas subselliis sumite tibias, supremum vitæ mortisque Arbitrum laudaturi, qui eum sibi abstulit nobisque ademptum in sinu suorum justorum collocavit. Socius, o Beate, fuisti sanctorum, et hominibus absolutæ perfectæque virtutis par, antiquorum heroüm exemplum, et consummatæ sanctimoniæ ac integritatis imago; quidni igitur illis adjunctus beatorum sedes obtineres? quidni tibi tuus Dominus sempiternum domicilium attribueret? quidni juberet ob spretam in ipso ætatis flore jugalis tori jucunditatem, in horto deliciarum illa liquida et libera voluptate frui? Natalem ille tuum noverat unus, omnes sensere obitum, qui, secretis malis omnibus cumulatam, bonorum complexionem tibi comparavit.

II. Jam nulla tibi ex corporis contagione molestia incumbit, jam obtines locum ubi beati sempiterno ævo fruuntur. Supremi Domini ista laus est, qui te hac felicitate beandum præstitit : hæc enimvero tuis semper observabatur oculis, ad hunc scopum studiose dirigebas omnem vitæ cursum; qui vero portum monstravit, etiam tenere fecit. Talem vero exitum qui lugeat? imo quis non summopere gratum habeat, tibique tuam non gratuletur coronam, et summum recte factorum Remuneratorem, qui te tali dignatus est honore, non laudet?

CANON III.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Qui agitur nobis dies justis solummodo jucundus accidit atque gratissimus, iis videlicet qui, immutabilem æternitatem cogitantes, commodum ad tam prolixum iter providens sibi commeatum, et vestes nuptiali convivio decentes præparant, eaque in promptu habere student. Quidni proinde, Pater, te beatum dicamus, cui pro exhaustis laboribus reposita conditur merces, tum reddenda cum sempiternum ævum inieris, et in statum immortalium inque beatorum sedes fueris translatus; expertus siquidem vix tractabile pondus a mortali manu impositum, ad suave Domini tui jugum profugisti. Promissa, precor, hunc felicitate beari, Domine, jubeto : ut ipse pie tibi decretas vigilias constanter exegit, et sponte suscepta jejunia cum assiduo precandi labore sancte conjunxit; ita sane locum huic in tuo accubitu minime negabis; nec enim adhuc lugere debet, qui dies noctesque lugendo transegit. Et quoniam ad beatorum requiem se perventurum credidit, tu Domine, quæso, prohibe malum, ne ab ea exclusus doleat, sua se spe fuisse deceptum. Et ipse quidem pulcherrimam ejus felicitatis speciem quasi veritatis speculum oculis suis propositam semper habuit, obducto licet velo tectam; sed bene noverat aliquando tandem sibi Angelorum cœtibus ascripto fore detegendam. Tuam ille justitiam, severam scelerum vindicem, velut actuum suorum testem perpetuo cogitabat, solitus idcirco suarum noxarum a se ipse pœnas exigere. Qui ergo tuum nunquam non extimuit judicium, hunc, precor, tuo demum tribunali sistendum clementer absolve. Suetus per omne tempus suam in conspectu tuo effundere animam

orando, perpetuo oculos addixerat fletui, et hæc quidem modo nobis ignota, lumine gloriæ tuæ in fine pandentur. Jejunium sibi indixerat duplex, sic, ut cibos ab ore, et a corde peccata removeret, ac temperantiam cum innocentia copularet; ne committas, oro, ut a convivii tui hilaritate repellatur.

CANON IV.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Mors nostras irrupit ædes, absciditque corporis nostri membrum et abstulit. Dolori aliquis statuendus est modus, nullus lætitiæ de bono omnem excedente modum : tale nimirum credimus, ad quod beatum hunc Virum transtulit mors; exemptum enim vitæ fragilis ærumnis, voluptatis in æde locavit. Sacerdos fidelis charitate tua, quæ est plenitudo legis, floruit et excelluit; tua, Domine, precor, fidelis charitas clientis sui patrocinium suscipiat. Sed et quoniam longis jejuniis et inopi victu effrenatam vim corporis debilitare studuit, precor, ei inviolabile robur infunde ad perpetuam lucem ituro. Conticuisse vides, o salutis Reparator nostræ, citharam verba Spiritus sancti tuis ovibus resonantem; hanc, oro, tuo in convivio intermissos jube continuare sonos : obmutuit vocalis lyra legis interpres tuæ, mors abstulit vocem; hanc tu nostris flexus precibus, in ea quam inhabitas æde eidem restitue.

II. Quem tanto dignatus es honore, ut in loco sancto sacerdotali fungeretur ministerio, tuumque tuis ovibus propinaret sanguinem; hunc, precor, tua jube pura et divina jucunditate frui : et quandoquidem ille languentem labantemque populum ad firmam in te fidem excitavit, et a falsis opinionibus deduxit; tua ipsum, quæso, fides defendat, tua-

que veritas instante tuæ manifestationis hora protegat. Obsecro, Domine, os illud quod Spiritus sancti hymnos cantare non destitit, piisque jejuniis et precationibus se incessanter exercuit, tui regni consortem efficias, justorumque choro ad concinendas laudes tuas adjungas. Omnium ab ævo justorum spe erectus, concessos vitæ annos transegit, relevandis miserorum calamitatibus semper intentus; hunc, oro, Deus, placidus aspicias, et ad paratum justis portum jubeas appellere. Sic, precor, nostris faveas votis, ut te, Domine, semper laudare justum est, tuumque honorare Patrem, et sanctum adorare et exaltare Spiritum. Amen.

CANON V.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Senem videtis rebus in vita gestis venerabilem, castum moribus, pudore integrum, qui nulla impeditus cupiditate ab officio recessit : nihil unquam in vita deliquit; quo nemo fuit magis severus, mitior nemo, atque ab omni oris et oculorum contumacia remotior; quem nullus superbiæ æstus in susceptæ Ecclesiæ administratione rapuit in contrarium cursum. Ita sane Mosi comparandum habetis virum, ea ad propitiandum Deum gratia præditum, ut unus ipse ruinam reipublicæ impendentem suspendere et avertere potuerit. Quid ? quod et divinitus sibi fœneratam lucem, nostris etiam regionibus communicavit; ejus quippe virtutum splendor nostras etiam collustravit terras, et illustria ejus acta vice discipulorum sidera fuerunt nostris accensa regionibus. Adeste igitur animis, magna de magno Sene dicenda sunt; nec enim decet cum imis summa confundere, aut mediocribus maxima componere. Enimvero, quemadmodum nos lutum in iis quæ ad lævam pertinere dicuntur, et vitia sunt,

omnes absolvimus numeros; sic ille quæ ad dexteram contra referuntur, et virtutes sunt, altissimum et supremum gradum obtinuit. Hic porro precor quæsoque, Deus, ut nos iis quos ad dexteram tuam astare jussurus es, digneris adjungere.

II. Næ ille egregie fallitur, qui hujus beati viri gesta dicendo se credit assecuturum, aut propositæ laudationi vires habere pares. Morte sopitus ecce silet, ejus tamen silentium omnem oratorum facundiam superat; nec mirum, cum ipsos custodes fugiat thesaurorum ejus notitia, adeo nostri Patris opes nemo numerare potest. Unus rerum inspector Deus suscepta et confecta ab eo bella spectavit : alterum quidem manifestum, quo mundum vicit; occultum alterum, quo ipse se fregit animique pravos impetus repressit. Qui talem bellatori victoriam dedit, ipsum oro, mihi huic Victori coronam texere meditanti, orationem sufficiat parem. Sed enimvero nullum, ut arbitror, hic petendum supplementum, ubi nullus quantumlibet disertus orator victorem tot laudibus ornare potest quot ipsum suamet coronat victoria, cujus magnitudinem sola triumphi gloria declarat. Dicta vel dicenda factis raro sunt paria, nec historici commentationes rerum veritatem semper exæquant.

III. Beatus Senex, in omnibus vitæ partibus similis sibi, rectum et confirmatum sensum nunquam deposuit : quod ab initio sibi propositum habuit, precandi studium, ab eo nunquam recessit; in eodem adeo infixus, ut nec mortis jam præsentis conspectus prohibere potuerit quominus animam a corpore abeuntem sanctæ precationis hostia sequeretur. Vos autem, charissimi, obsecro ut pro me oretis; oratio namque multorum, si ex charitate fiat, admodum efficax; et communes populi preces Dominum populi non mediocriter movent. At tu vicissim, Pater, id precor exorato mihi, ut gaudii consors effectus tui, ei qui te, benefica sua

voluntate, ista sorte beandum præstituit, laudis et gloriæ hymnos decantem.

CANON VI.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Quin te hodie, Pater, beatum dicam, qui, Eliam eremi gloriam æmulatus, adolescentiam in solitudine transegisti; rursus magni imitator Mosis, senectam mansuetudine et lenitate decorasti, et integram conservasti penitusque inviolatam? Utrinque Deo magna profecto habenda gratia est, et quod adolescentiam tuam custodivit, et quod canitiem gloriose coronavit. Filii Dei Discipulorum nihil possidentium exemplo doctus, terrenorum bonorum pauperrimus esse præoptasti; qua in re tantam cum Christo gratiam inivisti, ut gloriæ suæ vicissim te consortem habere statuerit. Davidis item dilectionem erga Jonathanem intuens, omnes homines perfecta et sincera charitate complecti didicisti, suetus absentibus juxta atque præsentibus omnia christianæ charitatis officia exhibere. Quodve similiter apud justum Job idoneum visum fuit, tibi summo studio exequendum statuisti : idcirco et egenis victum subministrare solebas, et erigere afflictos. Luxuria corpori tuo nunquam imperavit, aut aliquam allevit maculam; nec turpis voluptas animi tui constantissimam continentiam labefecit : quapropter Spiritus sanctus in mentem tuam se totus infudit, tuisque in membris habitavit, et Dominus, cui fideliter serviebas, tuo capiti coronam imposuit, adduxitque diem qui te a labore ad requiem transtulit. Quidni ergo tuam, Pater, animam beatam prædicem omni in posterum metu vacaturam? qui enim infestus premebat hostis, fugit; fugæque dedecus ipse quidem tulit, victoriæ decus tibi congeminavit.

II. Atqui naturæ jura jubent pios filios parentis funus solemni comploratione efferre; nam, etsi gloriosus exitus illos lætificavit, haud leviter tamen afflixit, quod ejus consuetudine sibi posthac carendum intelligunt. Humanus sermo, Pater, tuos persequi triumphos desperat; vicisti Diabolum, contrivisti laqueos ejus, nullæ in anteacta vita a pueritia ad extremam usque senectutem hæsere tibi ex corporis contagione labes, per omnem ætatem severus et continens omnes voluptatis illecebras superasti; et juvenis quidem patriarchæ Joseph in thalamo insigne factum æmulatus, ruentis luxuriæ et licentiæ vitæ incitamentis invicte restitisti ea virtute quam tibi occultus in eo certamine adjutor suppeditabat. Laborum perinde patientissimus eamdem bene vivendi rationem persecutus es; non vigiliæ, non longa jejunia, non assiduum precandi studium, a proposito vitæ cursu te depulerunt. Eam morum integritatem servare studuisti, quæ omnibus justis inprimis placuit et summam attulit gloriam. Spes, charitas et fides, o Beate, te usque ad tumulum individuæ comites secutæ sunt.

III. Hodiernum ecce diem obitus tui reddidit Deus illustrem et gloriosum tuis de teterrimo hoste triumphis, ex hoc die tua per omnes annos recoletur memoria, honore pari quali celebrantur illorum justorum nomina qui simili virtute claruerunt. Dominus, cui servisti, justus est; ingenua quippe naturæ suæ virtute talis est, nec tibi mercedem usquequaque integram negare potest, qualem operariis ad excolendam vineam conductis in Evangelio promisit. Stat ratum ac fixum ejusdem accubito esse potituros, qui mundum et omnem ejus speciem despexerunt.

CANON VII.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Quis dabit, charissimi, acerbissimo funeri næniam componere, et in tanto luctu lamentabile meditari carmen? aut ferreum cuinam pectus erit, ut conceptam ex hujus sanctissimi Viri obitu ægritudinem sustineat? aut quibus cum questubus ejus efferendum sit funus, cum doloris magnitudo stuporem induxerit, sustuleritque fandi facultatem? Sicubi contingat regem in castris morbo decedere, vel alto confossum vulnere in acie cadere, continuo dilabitur exercitus et castra vacuata milite squalent; quid ergo hodierno die, suo extincto præsule, nostræ jam erit urbi statuendum? Ingens profecto iis qui sapiunt incubuit luctus, postquam talem mœnia nostra passa sunt labem, conciditque columna totius ædificii molem sustentans. Lampas ecce extincta est, quæ nobis ubique et semper sua luce præibat viam; cecidit corona capitis nostri, quæ fratrum decorabat coronam : animarum nostrarum medicum supremus sustulit dies, ejusque myrothecam subvertit.

II. David rex, divino afflatus spiritu, canebat : «Pretiosa est »in conspectu Domini mors sanctorum ejus[1].» Quod si Deus justorum mortem singulari dignam honore dixit, quis nostro de grege peccator (tales porro sumus omnes) lacrymarum suarum obsequium deneget morti quæ e medio armenti sui deripuit pastorem? Christe, nostras instaura ruinas; labefactatum hodie murum, quæso, reficito; nostra, precor, tuere castra, postquam nostri ductor exercitus in acie prostratus occubuit; nostrum mors immanis ad instar feræ gregem invasit, ovesque præteriens, corripuit pastorem et

[1] Ps. cxv, 5.

rapuit. Lugeant oves, pastores quoque magno animi dolore extinctam pastorum gloriam deplangant, et avulsum optimum a suo grege pastorem. David Abnerem, militum pro corporum salute dimicantium ducem, magno cum luctu funeravit; regemque plorantem secuti ejus familiares et servi, uberes profudere lacrymas[1] : quanto acerbius plorandum nobis et mœsta imo de pectore ducenda suspiria, qui spirituum nostrorum ductorem occubuisse cernimus.

III. Notus ille Propheta sui collegæ deceptor, ejusdem letho ingemuit[2], violati licet præcepti pœnam hoc esse sciret : cui ergo lugendus non sit Sacerdotis interitus, quem munere suo sanctissime functum fuisse novit? Propheta ille suo sodali et collegæ suprema solvit, extinctum amare deplorans sepelivit, eumdemque sibi optavit patronum; quapropter etiam animadversionem et ipse reus evasit : videat quisque suæ quomodo saluti consulat. Josephi ossa munimenta fuere castrorum : venerabilis potestas qua functus es, Pater, terras nostras, precor, quasi firmissimus murus cingat et protegat : urbibus et oppidis securitatem mœnia afferunt, Christi Ecclesiæ sanctorum sacerdotum præsidio muniuntur. Nunc vero, cum vox tua, Pater, in conventu nostro audiri desierit, tuæ, quæso, benedictiones nobis fluant uberiores; et quandoquidem conspectus tuus nostris oculis ademptus est, clara tui memoria animis infixa nostris nunquam obliteretur. Orphanos nos, Pater, reliquisti; tuam, oro, precationem præsta nobis esse matrem, sitque adoranda Trinitas nostræ præsidium salutis.

IV. Tibi interim, Pater, ex animo hanc gratulamur gloriam, teque felicem ac fortunatum nunquamnon prædicabimus, quod naufragiis infames scopulos enavigaveris, tutumque appuleris portum, unde trucem pelagi faciem securus tui intueris; tuam siquidem animam quasi margaritam

[1] 2 Reg. III, 32. — [2] 3 Reg. XIII, 26, 29.

Christi regis diademati inserendam in illud beatorum regnum receptam fuisse minime dubitamus. Quod nostri officii est, recipimus nunquamnon recolendam fore tui memoriam super sancto altari cui caste et pie ministrasti. Pater, Filius et Spiritus sanctus, Deus quem sancte confessus es, tuo, Pater, spiritui quietam vitam, et ab omni cura vacuam, fructum quem meruisti retribuat.

CANON VIII.

IN FUNERE EPISCOPORUM.

I. Rem novam narro, fratres: Ecclesia nostra ad felicem beati Patris obitum vestem mutavit, atrata funus prosequitur. « Quæ nobis infesta vis, inquit queribunda, sustulit afflictarum mentium consolatorem? aut quis violentus adversi flatus turbo lampadem nostram impulit et extinxit? » Talibus excitæ questubus Ecclesiæ convenere propinquæ, dictis amicis solaturæ lugentis dolorem. « Non te, soror, angat optimi parentis excessus, sua illum comitantur præsidia, quæ sunt precum vestrarum suffragia. — Equidem confido fore ut, quemadmodum ille vigil et insomnis sua me administratione ornavit (rector quippe fuit mitissimus et moderatus, meque sine fine dilexit), sic suis me lætificaturus sit officiis. — Sacra virgo es, perfecta tui præsulis imago; non est cur ejus tumulum tuis urgeas lacrymis, et natos tuos conturbes; quin illum, qui ipsum elegit, laudare magis tibi consentaneum esse ducito. Notus ille plurimis fuit, ejusque integerrimæ vitæ cursus sub multorum oculis versatus est; omnium porro sensus est, nunquam forte similem præsulem tibi aliquando obventurum. Euge ergo, patronum habere cœpisti, cujus patrocinio munita incolumitatem atque securitatem tibi promittas. Mosen

merito prædicamus heroüm maximum, justitia et mansuetudine præsertim insignem; vitam tamen reliquit, mortemque gustavit et ipse : pœnæ communi tuum parentem haud fuisse exemptum, certe ægre ferre non debes.

II. » —Affectus varii et curæ tristes corripuere me statim ut vidi coram positum cadaver filii et sponsi mei, et adeo graves, ut afflictam erigere nulla jam consolatio possit. — Davidicos percurre Psalmos, incidet in limine apta dolori tuo medicina locus ille : « Pretiosa in conspectu Domini mors » sanctorum ejus[1]; » quem cum legeris, lauda eum qui sua singulari providentia illos ad hanc sortem destinavit. — Squalet ecce domus, filios meos video intus lacrymantes; et quis potis erit cohibere fletum? dulcis vita fugit, irrupit truculenta mors, meas desolavit ædes, meque viduam reliquit. Ad mortualem conjugis lectum accedam, permittite, antequam efferatur cadaver meisque subtrahatur oculis.— Minime id abnuimus; at prius veniat in mentem Moses, hujus exemplum te ad pristinam animi æquitatem referre debet : ille mortuo Aaroni fratri siccis oculis tumulum composuit; vide ut recte factum imiteris, et pro lacrymis psalmos Domino decantes. —Mors id prohibet, quæ filiorum meorum gloriam abstulit, mihique coronam detraxit : hoc ictu labefacta atque convulsa cecidi, tu, Domine, dolorem relevato meum.

III. » — Jesus, summi Patris Unigenitus, rebus afflictis feret opem, confide; sanctorum astat chorus pro salute tua supplicantium, supplices exoratus audiet Deus. — Omnis vicinia casum collacrymatur meum, nati mei orphani facti sunt, et ego vidua; tua, Domine, clementia causæ patrocinetur meæ. —Ohe desolata conjux, tuus sic affatur sponsus : Lethum noli flere meum; etenim si te sine liberis reliquissem, jure meum forte quereremis decessum; sed cum

[1] Ps. cxv, 5.

domi habeas viros probitate et sapientia claros, consolatores jam desiderare non debes. — Oro, Domine Deus meus, ne deseras me in viduitate mea; prohibe, quæso, malum, ne videlicet nati mei domesticis distracti seditionibus dissipentur. Sublati præsulis suppleto vicem, populum miseratus qui a lacrymis sibi temperare nequit, dum clericos in odeo congregatos cernit, recolitque ipsorum occubuisse caput. — Veniet olim dies ille, quando cœlitum agmina et Angelorum chori sua fundent tonitrua: tum vero tu, quæ nunc viduata luges, novo collustrata sole, festa inchoabis nullum habitura finem. — Si sic res est, facessat mors, et in antrum relegata suum contremiscat; de ipsa nempe queror, quod modo, subtracto statumine, mei labascunt pedes. Tu, Domine, confido, mihi pristinam animi æquitatem restitues. »

CANON IX.

IN FUNERE PRESBYTERORUM.

1. Obtestor vos per Deum, sodales et fratres, ut cum in sacro ministerio contigerit consistere psallentium choros, mei memineritis: vestra mihi oratio subveniat, oculisque meis aspersum tergat pulverem: tum iterum adsit e sepulcro resurgenti, verbaque suggerat quibus mortuorum suscitatori vitam mihi redditam gratari sufficiam. Orietur, nullus dubito, inferorum regionibus Sol justitiæ, et offusam mortis interjectu noctem dispellet, meque excitabit e tumulo. Evigilabunt utique, quos mortis somnus oppressit, et redivivi testabuntur acceptam a phosphoro gratiam, ut qui faustissima sua luce mœstos exhilaraverit. Proh quantum imminet ignavo servo malum qui inerti otio utilem laborem posthabuerit! quod, heu! doleo a me commissum.

Cum venerit illa dies in qua operarum conductor stipendia cuique juxta ejus opera rependet, justamque pro merito singulis mercedem solvet; mea, quæso, Domine, suscipe vota placatus ea clementia qua preces Latronis in cruce pendentis ratas effecisti.

II. Cunctis mortalibus tritam ecce viam ingredior iturus in regionem vivorum, in qua justis præmia pro meritis reddentur; ubi te quoque, Pater, tuorum laborum mercedes manent: te, pie Genitor, supplices oramus ut nobis in eo termino constitutis, ubi de salute dimicandum erit, tutum sub precum tuarum alas perfugium exhibeas. Ita, Pater, justis tui similibus definitum ac certum esse locum credimus, ubi perpetuis plenisque gaudiis beatam vitam ducunt nullo malorum interventu perturbatam, ubi metu solutus animus ab eventu non pendet, unde nullus reflantis fortunæ impetus, nullus deficientis naturæ labor, illum dispellere possit; illic obsecro te, Fili regis, tuo me beari aspectu jubeto.

III. Miserum me, cui, cum bonorum operum vacua fluxerit ætas, nullæ hactenus comparatæ sunt alæ, et quæ me levent in aëra pennæ præsto non sunt! Quid inter has angustias positus consilii capiam, incertus hæreo, quandoquidem tempus instat quo mihi succensi ignis pelagus trajiciendum erit? Qui potis ero supervolare flammarum vortices, aut immensum tranare fretum? Piarum precum alæ aëre leviores, et Angelorum pennæ, quibuscum consuevisti, Pater, te ad summi cœli confinia comitabuntur, quo nec levis vapor cuncta licet infra torrentis ignis pertingere possit.

CANON X.

IN FUNERE PRESBYTERORUM.

I. Vitæ ecce meæ supremus appetit dies, meaque defluxit ætas, jamque funeratores mei quasi strenui venatores approperato gradu appulere. Certus itaque me hinc propediem abiturum, proindeque has quas habeo sedes descrendas, et non in loca mihi penitus ignota migrandum, mecum ipse statui doloris mei testamentum conscribere, calamoque et attramento quæ mihi dicenda sunt consignare. Justum namque est hæredes partem sibi ex hæreditate obvenientem cernere : bona itaque meo mihi labore quæsita, et fœneratas mihi pecunias hæredibus suo singulis jure decernam; vereor namque ne fœnerator improvisus me opprimat, repetatque sævus exactor traditæ pecuniæ rationes. Video itaque mihi minime cessandum, sed naviter et strenue commissæ negotiationi insistendum, et animarum salutem (hoc enim negotium mihi commissum est) sine cessatione curandam.

II. Appetit messis tempus, arista sum, in aream subire necesse est; vindemiæ venere dies, quasi racemus vinitoris incuria forte hucusque relictus, et ipse colligendus sum : amicos idcirco obsecro et notos ut pro me orent, eo, si placet, affectu quo ego ipsos votis omnibus supplico obtestorque. Equidem vehementer timeo ne forte illic lolium deprehendar, qui hic triticum dicor; neve arguar labruscæ racemus, qui cum electis uvis cœlestem bibi rorem; ne illic perferenda mihi lampas extinguatur, oleumque in mea lucernula desiderem ; neve sordido involutus palliolo sistar invitus cœtibus divina luce coruscantibus. Actutum e casa mihi ad breve tempus concessa eo migrabo unde remeandi

nulla relinquitur spes; sic mihi desperatus est reditus, nec vos, charissimi, iterum revisam, nec vestro conspectu alloquiove fruar : vera etenim locutus est justus Job, tum quando in sterquilinio doloris positus aiebat : « Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra » in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus; » et donec atteratur cœlum et terra, non resurget[1]. » Tum vero dormientes expergefacti deserent lectulos in quibus eorum jacuere corpora in regione silentum. Negotiator, patrium solum relinquens, celerem sperat reditum; agricola post sementem præstolatur messem : mihi autem, fratres, certum est animam meam haudquaquam suum repetituram corpus, aut suis decorandam membris ante supremum diem omnium mortuorum restitutioni præstitutum.

III. Equidem obitum haud moleste fero, nec mortem obire piget, quæ me a meis vitiis absolvit : utilis siquidem est peccatori approperatum lethum; profectum namque suum negligenti concessa longiora vivendi spatia, tristiorem e vita exitum parant. Oh! quales gemitus ciebit morienti imminens mors, quæ fratres a fratribus dividit, amicos a sodalibus separat, parentes a natis, ab ovibus pastores, et ab auditoribus magistros! Vos ego præceptores et patres semper reveritus sum, et impense colui, et nunc supplico obtestorque, ut mei vos subeat memoria eo tempore quo Sanctum dispensatur : nam, etsi omnium mortalium deterrimus sim, orthodoxam fidem, quam professus sum, inviolatam servavi; lolium in agro ejus non seminavi, nec ullam Christi Regis nostri Evangelio aspersi maculam; neque aliquando de trino Numine dubitavi, aut impiam aliquam cogitationem suscepi adversus eum qui me condidit et ornavit. Nunquam Patrem temere pervestigavi, nec Filio unquam in corde meo detraxi, vel incidit mihi aliquando

[1] Job, VII, 9, 10.

de Spiritu sancto ambigere : horum nempe trium nomina, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti, in mente habui, cultuque pari complexus sum et adoravi. Quid enim? num cæcus, quo solem vituperat, eo vilem reddit ; aut deterit laudem excellentis atque præstantissimæ naturæ stultus tantæ majestatis scrutator? In sua cæcus orbitate se contineat, vitium oculorum esse intelligat suum monitorem ; sua item protervo scrutatori confusio sufficiat, quod Conditoris sui magnitudinem allatrasse dicatur.

IV. Dixi. Post hæc vos, omnes astantes, obsecro obtestorque, ut mihi a Deo veniam et pacem impetretis, eumdemque mihi in imminente judicio propitium faciatis. Faveat, oro, ille votis meis, et eos qui funus meum curaverint, seu mihi propter sacerdotii prærogativam aliquem honorem operamve detulerint, ad sanctorum felicitatem pro sua bonitate mecum in fine perducat. Jamque iterum oro vos, fratres et amici, vosque omnes qui Ecclesiam frequentatis, lacrymansque precor, perque Deum obtestor qui me a vobis discedere jubet, ut, cum ad statas preces peragendas conveneritis, mei memoriam habeatis, Dominum obsecrantes ut in die judicii misereatur mei, proque sua clementia mihi quæcumque coram eo admisi peccata, remittat.

V. Ecce autem, frater, cum tempus sit, tritam mortalium viam ingredere; neve porro moleste feras quod te a nostro convictu separat mors : aliud ac longe præstantius domicilium tuus, qui te a nostro conspectu removet, Dominus parat in luce et in regione justorum. Fratres et parentes tui vita pridem defuncti, te suo mox accensendum cœtui opperiuntur, respectantque suis locandum sedibus. Cæterum, etsi apud nos in sacro ministerio os tuum nunc sileat, in choris beatorum spirituum certe non silet; et licet quod fundere solebat suave melos, nostris subtractum

sit conventibus, superum tamen adjunctum cœtibus symphoniam profecto canit longe jucundiorem. Et quamvis, postquam a nostro te abstraxerit Dominus contubernio, tui quidem pedes ejus limina terere jam nequeunt, obtines tamen supernam illam ædem omnium bonorum complexione beatam. Quapropter vere dicimus diem obitus tui mœrore simul et gaudio nos affecisse : mœrore quidem, quo te a nobis ille separaverit; gaudio autem, quo ad lucidas sanctorum sedes transtulerit. Nec sane secus fieri potest ut tui nos non angamur desiderio et doleamus absentem, ac simul etiam gaudeamus, dum te cœlitum numero ascriptum cogitamus. Rerum omnium Dominum interim oramus, ut te quidem cumulata bonorum omnium complexione beatum efficiat, nos autem suo præsidio nunquam destituat; teque in supernam domum introducat, nos vero in sancta Ecclesia stabiles conservet Deus, cui debetur honor et gloria a vivis et mortuis. Etiam, Domine, justum est ut omnes de te loquantur mentes, nullæque ætates de tuis laudibus conticescant.

CANON XI.

IN FUNERE PRESBYTERORUM ET MONACHORUM.

I. Portus est mors justis suo perfunctis labore, statioque tranquilla unde pericula amittendi quæsitas opes securi prospectant ; cumque pie viventibus perpetuum sit cum Diabolo bellum, mortem deputant laborum et militiæ finem. Enimvero, quorum anteactam vitam commendant pia divinarum Scripturarum lectio, vigiliæ, jejunia, et assiduum orandi studium, iis profecto jucundissima accidit mors, somnusque videtur suavissimus ; quapropter imperatam e corpore migrationem minime perhorrescunt, quippe qui

promissam post obitum operum mercedem præstolantur. *Mors* tua, Pater, *pretiosa in conspectu Domini;* tuus e corpore excessus gratissimus superis est, cunctisque beatorum spirituum ordinibus admodum jucundus conspectus convictusque tuus. Mortem mortali naturæ tuæ cymbam esse puta, pontem, trajectum viamque minime salebrosam nullis tentationibus morbisve infestam : eadem tamen quo te a nostro conventu separavit, magnum luctum nobis attulit et dolorem acerbissimum, absentes juxta atque præsentes perculit, torsitque vehementer amicos et familiares; quippe qui tuo se orbatos consortio cernunt, et longum tibi indictum esse silentium. Heu ! quonam illa sacri thesauri vena defluxit ? quove receptus ille suavis sapientiæ fons se condidit ? quis illud os aureum obstruxit talium aquarum scatebram ? Dulce melos citharæ tuæ conticuit, cantum dura mors abstulit, et cantorem in regionem silentum deportavit, sublatoque fidicine, fides araneis vestiendas reliquit. Lethifer æstus hanc profluentem siccavit, lampadis hujus lumen extinxit inexorabilis mors, quæ furtim irrepsit, et oleum subtraxit.

II. Venatores tui, Pater, acceleravere gradum, migrationisque simul tibi approperavere diem; eripuere vitam, teque in ordinem mortuorum redegerunt. Eheu ! castrum eras magnarum dives opum, magnificum divinæ bonitatis opificium ; quis muros tuos diruit ? quis firmissimas portas perfregit ? agrum felicissimum et amœnissimum hortum quis ad hanc vastitatem et squalorem adduxit, suppositoque igne, ejus septa cremavit ? quis navim freta alta tranantem, ac ingentes gratiæ et sapientiæ vehentem thesauros diripuit, ejusque pulcherrimum instrumentum allisit ? Portum ecce tutissimum fidamque stationem laborantibus nautis apertam decumani, morte ciente, fluctus subverterunt. Sertum multa arte contextum, et multiplici florum

varietate illuminatum validam mortis impressionem non tulit, discussum disjectumque est, extabuit, et omnis species ejus evanuit.

III. Eheu! quid accidit nobis miseris! vitale flumen, quis tuum siccavit alveum? talentum tanto cum fœnore receptum, quis nobis tuas deripuit opes? arbor pulcherrima, quis tua decussit poma nobisque abstulit? magnus sapientiæ thesaurus, et sacrarum institutionum bibliotheca, quis eruditionis tuæ fluenta oculis subduxit nostris? Columen fuisti et decus Ecclesiæ nostræ, Prophetarum tuba, præco Apostolorum, utriusque Testamenti oraculum, doctrinæ divinitus inspiratæ interpres, naturæ in novam vitam rediturae nobis allegatus nuntius, felix agri nostri cultor, diligens vineæ custos, et nostrorum proventuum amplificator : en quæ colebas arva, tuum queruntur interitum, et absentiam amare flent. Vir bonus segregatus in Evangelium, qui nostrum habitantibus orbem quasi novus lucifer fueras, quis tuum extinxit lumen, tuorumque certaminum conatus elisit? Euge nunc, optime et docte nauclere, qui hæreditarias opes et luculentum patrimonium conservasti constans et immotus adversus tumentes idolomaniæ fluctus! jam superi inferique inter se certant, et accenso ex æmulatione studio contendunt quo qui te ampliori honore afficiant, et utrique suo quique in ordine per triumphum te ducunt.

CANON XII.

IN FUNERE PRESBYTERORUM ET DIACONORUM.

I. Audivi mortuos quandoque redituros ad vitam, indeque perspexi suis eos in tumulis nec semper nec diu moraturos; audivi rursum, fratres, animarum in propria corpora reversionem secuturum judicium : talia prospiciens, alta

enimvero duxi suspiria, et criminum scelerumque meorum conscius expavi, quoniam si in vitæ exitu condemnandus eram, mihi potius erat nunquam aspexisse lucem. Sed etsi revocatus a corpore, sum igne probandus, tum, quæ mihi salutis spes esse potest, qui fœnum me esse novi? et si vitam hic vivo miserrimam, et illic me manet formidabile judicium, quo meo bono in lucem eductus sum, aut quid mihi profuturus est ad illam reditus? Quid enim? si severus est Judex, num parcat nocenti? ac si ejus tortores robustissimi sunt, leviane tormenta erunt? si gladios stringunt igneos, corpus utique et animam occident. Si abdita atque retrusa manifestanda erunt, quis me proteget locus? si intimas cordis cogitationes discutit Judex, quis ejus conspectum feret? si oculorum idem examinat nutus, quis inter natos homines non erit nocens? et si hic nemo integer, quis illic purus erit? et si inquirit in verba, quis non offendit in verbo?

II. Atqui si nihil illic clementiæ loci est, utinam e sinu matris nunquam prodiissem! Profecto si adolescentiæ meæ peccata vindicanda sunt, senectutis meæ pœnitentia nulla est. Si in tenebras abjiciar, quid tum me meæ juvabunt preces? Jam si mihi contingat e sepulcro ad pœnam vocari, indeque apud inferos derelinqui, doctus parabola divitis et pauperis, satis intelligo cum in carcerem detrusis nec quantulamcumque humoris guttulam concedendam, quantam videlicet extrema minimi digiti pars capit, nec ad brevissimum oculorum nictum, aut concessum avi ad explicandas alas momentum, laxandas fore damnatorum pœnas, nec ulli parcendum reo quominus meritas dependat pœnas. Tartarum quis oculis subjiciat meis? si ejus tormenta absens non timeo, fortasse discam timere præsens. Aut quis mihi dabit cernere a longe iniquorum carcerem, ut tristi commotus aspectu Jeremiæ planctum concipiam, scelerum

memor meorum? Aut quis beatas piorum sedes mihi describet, ut in ea cogitatione defixus, damna fleam mea, mecum revolvens a quali quantoque bono me mea voluntas prohibuerit? Non inutiles nec vanæ fortasse fluent hic lacrymæ, illic namque nec preces nec vota curabit Judex, nec gemitibus commotus remollescet et remittet iram.

III. Cæterum non unum est gehennæ pœnarum genus. Circumstant reos undique tortores, et alium quidem in lacum demittunt, alium triclinio exclusum in tenebricosum carcerem detrudunt : hunc scelerum conscientia exagitat, et illum vincula coërcent; alter torretur flammis, et alter ferreis manicis et duro compede constringitur; alius immortali vermi arrodendus traditur, et alius in immensæ profunditatis baratrum præcipitatur; alium non suscipit Pater, et alium non confitetur Filius. Talibus ego si adjungendus sim, male dispereant voluntates et opes, dignitates et honores, mihi tanti causa futura mali. Equidem si mihi compagibus corporis incluso vita ducenda est plena lacrymarum atque mœroris, inops, despecta, humilis, et hinc eductum excipiet terribile judicium, vermis, ignis, nox; sepulcri tenebras evasisse gratia non fuit, nec mortem cum vita commutare beneficium erit : supremus namque dies decretoriam feret sententiam; quidquid in eo judicio statutum fuerit, id ratum et immutabile constabit, nulla vi, nulla regia etiam potestate infringendum. Qui piis semel fulsit dies, nunquam contenebrabit, nec impiis semel offusa nox aliquando dissipabitur; nec illorum beatitudo minuetur, nec istorum mitigabitur luctus; nec illa felicitas deficiet, nec ista pœna finem habebit : lux justos excipiet, flamma nocentes; luxuriosos sitis, esuries, hisque mala graviora manent, piis Christi gratia esurientibus et sitientibus omnium bonorum copia et saturitas præparatur; in impios igneus acuitur gladius, piis corona lucis procuditur.

IV. Oh! qualem triumphi materiem supremus mundi dies a corporum restitutione piis dabit! quam amplum ovandi gaudendique argumentum subministrabit tempus, quo regalia dignitatis suæ insignia assument, in quales erumpent voces, audita Judicis sententia! quam rapido ferentur volatu ad provisa sibique patentia amœnissimi illius horti limina! quali rursus exultabunt lætitia corpora resumentes suis educta tumulis, Christi in primis martyres, quantove dices eos gaudio triumphaturos, quando res ipsa loquetur, corporum tormenta in argumenta gloriæ cessisse! At contra quam acerba reis ad lævam in judicio locandis accidet decretoria illa sententia : « Discedite a me, maledicti, in » ignem[1], » in gehennam, in tormentum! Ego vero, fratres, quid faciam, præsente illa, quam semper extimui, hora? In tartarum utique videor mihi protrudendus; nec enim circumstantes lictores mihi permittent ad sanctorum chorum profugere, nec istos inexorabilis Judex in mea causa deprecatores admittet. Quorsum evadam? num in propinquum justorum agmen clanculum irrepam? facerem nisi astantes Angeli id prohiberent : quid igitur? num ad januam supplex consistam? sed sat scio, eo appropiantem me inde protinus abigendum.

V. At enimvero dum hæc mecum ipse revolvo, miserum me exclamo, cui sua omnia tunc maleficia objectabuntur! Angelis namque et hominibus occulta quæque et secreta tunc pandentur. Reus itaque convictus carceri perpetuo addicar, pœna exercendus nullum habitura finem. Quoniam e corpore excedentem animam nullæ sequentur opes; mors quippe rerum humanarum ultima linea est : idcirco cum ad sepulcri limen ventum fuerit, omnia quantolibet labore parta dilabuntur. Viribus pollentes et divitiis cernis utique bene multos, neminem tamen ultra sepulcrum : huc-

[1] Matth. xxv, 41.

usque facinorosi excurrunt sueti vivere rapto, nec hanc transcendere metam licebit indoctis doctisve, præceptoribus aut auditoribus, quin statim eos excipiat statera justitiæ singulorum exploratura rationes, atque tribunal nesciens graduum ac dignitatum discrimina. Sua proinde reges diademata ante fores deponent, suaque exuent magistratus insignia; qui ante sederunt judices, tunc stabunt, actore et Judice præsentibus, causam dicturi; quique nocentium immeriti tulere probrum, rescisso priore judicio, gloriam recte factorum fructum referent. Quibus ante familiaris res copiosissima fuit, potus aquæ frigidæ negabitur; mendicis contra bonorum omnium copia suppeditabitur. Valentes opibus et imperio claros ignis involvet et atra nox; lucis contra paradisus excipiet humiles ascetas : nituit ille quondam bysso et purpura, nunc mutata sorte torretur flammis; hic sacco olim sordebat, nunc regiis fulget insignibus.

VI. Divisis hunc in modum sortibus, detrusi in tartarum impii pios conspicati præstitutum sibi regnum et paradisi gloriam adeptos, mœstis ipsos vocibus fatigare non desinent, suis ingemiscentes malis, et horum quantulumcumque levamentum flagitantes : quemadmodum igitur dives ille Abrahamum sublato ab inferis clamore rogasse fertur, orabunt indidem iniqui justos : « Nostram, dicent, miseremini vicem, nobisque quantulumcumque levamen impetrate, saltem ut ad momentum nostra mitigetur pœna. » O voces saluti suæ desperantium nullam afflictis allaturas consolationem! o preces intenso licet cum clamore et profundo cum gemitu effusas, nullam tamen impetraturas opem! sunt namque discreta quibusque pro actuum suorum ratione supplicia vel præmia ; nec enim justum est immeritos plectere, et criminosos impunitos dimittere; nec decet eadem sententia innocentem involvere cum improbo, qui hunc fictis causis oppressit.

VII. Atqui si sic res est, dicite, fratres, quis me hinc excedentem excipiet locus? quosve tum socios et contubernales sum habiturus? nam si me manent quæ sceleratis et perfidis statuta sunt supplicia et flagrans ignis, inanes ergo et inutiles fuere meæ mihi hostiæ et preces, nihilque meis profeci concionibus, nec me soluta statarum horarum pensa juvabunt. Ne me, quæso, Domine, cum impiis constituas; sed contra qui te pie confessus sum, tu me vicissim confitere; neque me ad lævam tuam abigas, qui Diabolum fugi. Æquus es, ne, precor, meam in flammis doleam vicem lamentis, gemitu mœstoque ululatu, qui tibi nunc pia verba et gratum fundo melos; neque suis in tenebris vociferantem audiat me tartarus, qui stata hora nocturnos tibi decanto Psalmos : justus es, ne me, obsecro, confundas cum rectæ fidei hostibus, quem ex severa ascetarum disciplina rerum divinarum studio vacare non piguit; neque me tuæ mortis auctoribus accenseas, qui crucem dixi præsidium et perfugium meum. Peccatorem me esse fateor, quia tu solus sine peccato es : quisquis corporis expers non est, nec item culpa vacat, alioquin nec tu corpus induisses. Parce corpori, parce animæ quoque, quandoquidem corpus tuum corpori nostro immiscuisti, et spiritum tuum spiritui nostro infudisti. Baptisma tuum nostra retinent membra, corpus tuum vitæ origo nostræ in nobis manet : in nobis, Domine, pars magna tui est ; ne nos partem sui habeat ignis, precor; gratia tua miserente, quidquid reos nos facit, umbra fit.

VIII. Tuum est sine provocatione judicium, supremum est tribunal tuum, nec licet tua damnatum sententia alium appellare judicem. Si quis ficto crimine se oppressum queritur, rescindi judicatum a principe postulat; sique salutarem ab eo referat sententiam, evasit et causam obtinuit : quem Deus absolvit, huic humanum judicium nil officit. Ultimum porro judicium erit simile primo : illi, inquam, in

quo dimittitur protoplastus reus, scelerisque pœnam terra maledicta luit; illi ignoscitur, plectitur ista. Non hoc novum, quod Diabolus ejusque satellites damnantur ad ignem, et homines gratia et misericordia digni deputantur. Diabolo ille rogus præstructus est ab initio, ex quo tempore manare cœpit homini peccanti misericordia, atque ad supremum usque diem fluet. Mitis es, Domine, et valde misericors; ne, quæso, desinas esse talis qualem te tuus prædicavit Filius, quando tibi proprium et verum discrevit nomen, teque solum *Bonum* nuncupandum edixit: ratam, precor, habeto Filii tui sententiam, neve committas ut tuum istuc cognomentum occultum passim ignoretur. Tuum est, Domine, egentium miserari conditionem, et peccantibus ignoscere: quin ergo supprimis criminum nostrorum notam, et scelerum nostrorum memoriam obliteras? Num confundes manum quæ sanctum corpus tuum participavit, cum manu militis qui impertita sibi a te dextera tibi alapam inflixit? num os quod te manducavit, illius ori conjungas a quo derisus et consputus fuisti; et ambo pari affecti supplicio frement?

IX. Cæterum si statutum est nos semel e nihilo eductos, in nihilum nunquam reverti, persuasum tamen nobis est nos huc nunquam redituros; noster enim ex hac luce abitus futuri reditus spem omnem et in omne tempus abscidit. Restat igitur ut, nisi nostra hic mora usque ad absolutam perfectamque pœnitentiam protrahatur, tu, Domine, quod debemus tibi de tuo ipse dependas. Ne, quæso, tuos cultores cum inanium deorum adoratoribus confundas; sed e tumulo prodeuntes tua nos excipiat clementia. Talia me diu noctuque meditantem rerum meliorum expectatione sustenta, Deus meus, refugium meum; neve committas, o magnus judicum Judex, ut a judicio tuo tristis demissa fronte recedam. Ne me, precor, illudat gehenna, nec mea involet

in membra. Converte me, ut convertar ad te, et cognoscam te, ad te confugiam, atque indulgentiam obtineam, tuaque miserante clementia inferni pœnas evadam.

CANON XIII.

IN FUNERE DIACONORUM.

I. En videtis abscissum e corpore nostro membrum, atque a turbido ac turbulento domicilio ad tranquillam lucis æternæ stationem translatum : nostrum est, qui recte sapimus, orare Deum ut cui decessum imperavit, mitem eidem et misericordem se præbeat. Vir modestus ac temperans mores ad virtutis normam exegit, animo utens optimo; placidus et misericors nulla in fratres malevolentia suffundi visus est : hunc, oro Domine, jube in triclinio tuo beate agere. Cujus oculi, ad tua excubantes limina, noctes traduxere insomnes, et uberes orando profudere lacrymas, præteritæ vitæ noxas sibi dimitti rogantes, hos, precor, a tuo conspectu nunquam prohibeas; sed quem jussisti in sanctuario tuo sacris fungi ministeriis, tuumque corpus tuumque sanguinem gregi tuo porrigere, ipsum ad communem cum tuis agnis pastum vocari, quæso, jubeto.

II. Qui si plane benignum, facilem et blandum fratribus præbuit, et eximia in peregrinos et advenas charitate excelluit, huncne tua charitas a charorum tuorum consortio excludet? Quem sapientiæ tuæ præcepta legere magnopere delectavit, et pios de te sermones audire summa voluptas fuit, huicne beatæ resurrectionis tubam audire negabis? Siccine sapientiæ tuæ divitiarum perpetuum admiratorem, qui a sancti Spiritus tui præceptionibus didicit animi corporisque puritatem tueri, a sanctorum tuorum choro repelles? Vel plane potius deliciarum contemptorem, et inertis otii

osorem tuo exceptum triclinio, tua item luce frui cum justis tui amantibus decernes.

CANON XIV.

IN FUNERE MONACHORUM.

I. Sit Deo gratia, qui ob suam in dilectos suos charitatem ad immortalis vitæ convivium eosdem invitavit; quorum proinde post vestigia cum aliquando cogitationes curæque meæ per semitas mortis provectæ fuissent, rem visu mirabilem vidi, impressum singulis immortalis vitæ præsagium: nostræ siquidem Reparator salutis sibi obtemperantibus fidem reddendæ immortalitatis dedit, datamque fidem secuta descendit illius gratia, et in ipsis conquievit: fidem, inquam, dedit, et ex parte præstitit, priusquam omne quod pollicebatur exhiberet; promisso vim quamdam conjunxit, quæ illico eos in sacros transformavit fontes, unde cunctis mortalibus in posterum vita manaret; postquam enim gratiæ suæ donis illos ad societatem sanctorum transtulit, hausitque orbis terrarum profluentem ex ipsorum gestis suavem liquorem, continuo rerum Dominus cœlestis regni inter mortales constituit politiam, et in hominibus imaginem quamdam Angelorum adumbravit. Angelorum enimvero regimen sancti Dei homines induxerunt in Ecclesiam, et ad terrigenas cœlitum mores traduxerunt; correxere pravas quæ ex proprii corporis contagio oriebantur affectiones, et laborum patientia domuerunt, suaque membra in vasa sanctitatis conversa sui Conditoris consecravere voluntati: interiores vero animi facultates in contemplationem curamque rerum divinarum conjecerunt, studueruntque animum a quovis alio negotio feriatum, rerum omnium Moderatori talem præparare, ut ipsum delectaret inibi velut in sua sede morari.

II. Quidnam hic magis mirabitur, qui mentis et rationis compos admiranda mirari potest, vel quis hominem dabit ea dicendi facultate pollentem, ut quod jure miratur pro dignitate eloquatur? Et sane quidnam majorem nobis admirationem creare debet? an singularis in servos suos Dei bonitas, an invictum animi robur eorum qui limo concreta corpora in vasa sancta mutare potuerunt? Quam tamen jure sibi primam vindicat divina in suos charitas laudem et gloriam ipsi tribuamus, ut omnes in omnibus ejus testemur majestatem.

III. Ad sanctorum contubernium, hominum causa, ejus gratia descendit, quo collata suis servis beneficia faceret communia universis. Quamobrem sancti Dei homines divinorum consiliorum conscii, ejusdem charitatem per vitæ præstantioris calles deducentem secuti, ad promissa bona per objectas ex corporis contagione difficultates sibi enitendum statuerunt; quod ut ad effectum perducerent, illud etiam fixum animo habuere, justitiam colere, servare ordinem, et quæ sui officii essent explere : sic demum veræ pietatis ope in portum invecti, mutata ibidem conditione, vitam oppido quam tranquillam adepti sunt.

IV. Istorum ego progressus sedulo mecum animo revolvens, intellexi tandem quampridem occidisse mortem, rediitque in mentem illud in eamdem jactatum cavillum : « O mors, ubi est morsus tuus ? » tu quæ corpora quæque rapere et vorare solebas : ecce autem nomen tuum ipsis etiam mortalibus memoria excidit. Quale porro dices ab ea responsum te laturum fuisse, qui hoc illam scommate perstringeres? « Valete, mortales, eam dicturam fuisse imaginor, concidit regni mei status, cuncta periere mihi : Adæ peccatum sibi posterisque me peperit malum, regnavi usque dum mortalium natura noxa liberaretur, et restitueretur in pristinum; quo peracto, mors fui et esse jam

desii. » Hæc et hujusmodi a morte fuisse reponenda mecum cogito, tacente tamen; nec enim seu sermonis seu silentii compotem esse dico. Mors audiri cœpit, postquam capitalis sententia in naturam lapsam lata fuit; illa rescissa est, postquam ista restituta fuit, gradu reposita pristino. Quo autem Dominus rerum mortem mortalibus intimavit et intulit, generi videlicet nostro cautum voluit ne quis in posterum auderet legem infringere.

V. Vitam per hunc modum æviternæ similem nactus homo, incredibili ejus amore exarsit, suscepitque contra mortem irreconciliabile odium : ejusmodi porro odium et amorem ille homini dedit, tanquam corporis custodes, qui dederat vitam, quo videlicet præsidio acceptum vivendi beneficium a contrariis quibusque tueretur; ut autem amor vitæ ad consulendum ejusdem incolumitati ipsum sollicitat, sic meminisse jubet quantum debeat muneris hujus largitori; mortis profecto metus depravatum ejus ingenium a noxa cohibet, dum in mentem reducit hinc ei ingens fluxisse malum, rei videlicet sibi charissimæ jacturam.

VI. Istuc scilicet præstantissimæ mentis consilio dispositum est, eaque statutum potestate, cujus nutu omnia administrantur, ut ærumnas vitæ præsentis experti, mox secuturæ donum pro sua præstantia æstimaremus. Vitam ille dedit immortalem, quam interjecta mors ad tempus interrumpit : mors quidem dicitur, quies tamen est et somnus brevis, eo ordine ab illo dispositus ut hoc qualecumque interstitium vita perennis exciperet, et temporali servitio libertas æterna succederet : vitam cum vita ita commutavit, ut mortem inter utramque collocaret, indeque vitæ usura præsens ex præteritorum laborum ærumnarumque recordatione fieret jucundissima. Sic summus ille rerum Constitutor operum suorum cursus exitusque sapientissime gubernabat, ut per ea quæ gerebantur, quibus-

que de genere nostro ille optime merebatur, ad sui nos cognitionem adduceret : mortis formidine malos frenavit, ne ab honesto discederent; peccatum et mortem tandem etiam sustulit, et genus humanum ab utriusque tyrannide liberavit.

VII. Porro restitutæ generi nostro libertatis et vitæ documenta in corporibus sanctorum nobis in terris proposita, ævum adhuc illud sempiternum plenissimæ felicitatis otio exaggerat et absolvit; absunt siquidem a sanctorum sedibus lacrymæ et gemitus; omnes quippe dolores procul arcent concentus quibus illæ resonant, et gaudia nullum habitura finem. Justi namque ut in mortis portum appulere, statim resedisse vident excitatos a corporis contagione motus, seque brevi trajectu ad cernendam promissam regni cœlestis hæreditatem transvolasse : quanquam ipsum hoc regnum adhuc post obitum filiorum lucis in ipsorum reliquiis quodammodo perseverat, id videlicet testatur liquor credentibus inde scaturiens. Scilicet intemerata fides, quam justi in suis membris prodiderunt, ex eorum tumulis per singula momenta se pandit; et vera charitas, quam in proprio corpore exhibuerunt, cum viverent, eadem nunc ad hominum utilitatem se fundit. Fons vitæ facta sunt justorum quiescentium corpora : mirabiles cujuslibet morbi curationes ubique gentium ab iis factas prædicat orbis universus.

VIII. Jam si hæc mirabilia præstant justorum inanima corpora, qualem putamus vim et dignitatem adeptura cum supremo mundi die proprio spiritu iterum animata reviviscent ! Laus proinde illi et gloria tribuatur cujus charitate confirmati sancti Dei homines corporeas affectiones subjugarunt, iisque debellatis, in beatæ vitæ portum invecti, susceptæ navigationis cursum felici exitu coronarunt. Rursus ei habeantur gratiæ qui vivis contulit gratiam, ut justitiam colerent, et mortuis potestatem qua cæteris mortalibus

prodessent. Mirare tantæ majestatis inexhaustam bonitatem nostræ naturæ profusam, quæ nos morti pridem addictos ad novum vitæ genus extulit, et amplitudinis suæ vim numenque vivis in mortuis ostendit, atque utrosque ad gratiæ suæ familiaritatem invitat : cunctis illa impertit vitam, et charitatis suæ magnitudinem omnibus declarat, etsi beneficiorum ejus copiam mentes quas ipsa condidit minime comprehendant. Pium iterum generis nostri restitutorem admiremur et amplificemus, qui vivis quantumlibet immerentibus vitam conservat, et mortuos a cinere suo revocat, et immortalitate donat, cunctaque ordinat, instaurat et gubernat; qui universo generi nostro ineluctabilem consiliorum suorum vim in vivis et in mortuis prodit, qui extinctorum servorum suorum memoriam magnificat, adeo extingui non patitur.

CANON XV.

IN FUNERE MONACHORUM.

I. Oh! quam acerba nobis tua, Frater, accidit mors, quam grave auribus nuntium, quam triste et lacrymabile spectaculum oculis! Ecce autem dum ærumnosum anteactæ vitæ cursum et præsentem beatæ mortis exitum intuemur, animis contrario æstu distrahimur. Quantùm enim tuus obitus nos perturbavit, tantum lætificare debet tuus de prostrato hoste triumphus. At vero quibus argumentis populus ad tui funeris pompam excitus comprimere se queat; nec enimvero potest, sed cogitur inter gemitus et lacrymas talibus sua damna querelis utcumque solari. « O cœlestem Negotiatorem, ait lacrymans, qui dum nobiscum versaretur, animum a rerum caducarum studio ad vera lucra convertit, et hinc tandem bene opulentus discessit, ad beatorum

semperque viventium regionem profecturus. » Sed non te sane, sicut cæteros, dura mors nobis abstulit invitum; ille cujus potestas superos et inferos continet, mortem, quæ omnes sibi subegit mortales, cum imperio legavit, jussitque de medio populi nostri te deripere, commodatum ei speculum, quo consulto disceret sua corrigere vitia, et ad justitiam, pulcherrimum animi ornamentum, quærendam inflammaretur. Improvisa mors lucem extinxit, eripuitque nobis diem, teque tuus Dominus a nostro convictu avulsit : quocirca tibi potius beatum otium gratulamur; quid enim? num tua nos felicitas offendat, qui non ignoramus mortem tibi meliorem multo, quam qui in vita fuit, attulisse statum? Nostra magis querimur damna, quod repente nobis ereptus fuerit solertissimus Provisor, et ad ferendam nostris miseriis et calamitatibus opem paratus.

II. Et sane quidni te beatum prædicemus, qui vigiliis et jejuniis perpetuoque precandi studio hostem prostrasti, et coronam adeptus es, cœlestibus mox sedibus locandus et regalibus ornandus insignibus? Vera siquidem et certa narramus, si te prædicamus virum plene sanctum, et cum viris perfectæ cumulatæque virtutis comparandum censemus; quippe qui inter æquales, morum tuorum integritate, velut insigne astrum fulsisti, quique animo excelso et alto Christi operariorum exhausisti labores, inter spectatæ probitatis ascetas integerrimus, adeo ut jure merito affirmemus in te uno collectas multorum sanctorum virtutes, Samuelis constantiam, Eliæ caducarum rerum despicientiam, Elisei modestiam, Mathatiæ zelum, castimoniam Josephi, et mitissimi Mosis mansuetudinem.

III. Prophetarum siquidem et Apostolorum longe lateque pervagata documenta virtutum in tuis descripsisti membris, et externa corporis specie adeo exacte repræsentasti, ut quisquis te præsentem spectaret, illos habere ante oculos

sibi videretur, adeo perfecte ipsorum mores in te formaveras, expresseras modestiam, atque severioris disciplinæ indueras habitum, et erga calamitosos misericordiam tam alte imbiberas; quin, et illorum abstinentiæ corpus assuefecisti, unde fluxit illud, quod modo memorabam, assiduum precandi studium; inde fiebat ut virtutum tuarum fama erudiret absentes, et præsentes tua exempla inflammarent; et quoniam domi forisque probitatis expertæ exemplar fuisti, tibi tuus ubique labor cœlestes colligebat opes, et ad similes thesauros sibi comparandos socios sollicitabat. Sic remotos tuarum virtutum notitia, et oculis observantia facta vicinos recreabant; tuaque tyrones monita, perfectos documenta consiliaque juvabant; sustinebas labantes, et lapsos erigebas; strenuos suoque operi intentos commendabas, castigabas ignavorum desidiam : omnis generis virtutum exemplaria omnium oculis subjecisti, ut quæ spectare eos delectabat imitari non pigeret, laudans imitantium studium, et increpans negligentium segnitiem.

IV. Quid, quod cupiens omnes homines habere tui similes, doctus ab Apostolo qui omnia omnibus se faciebat, cum magnis magnus eras, cum parvis parvum te fecisti, ad eos descendisti ut tecum ascenderent, tuosque in se formarent : et licet assiduus oculos obsideret fletus, haud tamen aberat in usu familiari modestus risus, et sermo suavis, qui tuum luctum quem dixi perpetuum temperarent. Sic e duplici thesauro duplici hominum generi divinas opes dispensabas; speculum namque, ut aiebam, populo nostro datus es, e. forma plene sancta : in te quisque se inspiciebat, respectansque ipse se tibi dissimilem accusabat. Consuluere desidiosi, tuosque labores admirati, suam correxerunt inertiam; suum languorem damnavere socordes; prostratos tuus ad perfectionem consequendam ardor erexit; fortiter certantibus tui in virtute processus

magnos ad eamdem attulere spiritus : in studio abstinentiæ multos post te reliquisti, singularem inde consecutus gloriam; non erubuisti morum innocentiam, pudicitiam et honestatem cunctis approbasti. Magna illa duo mandata : « Diliges Dominum Deum tuum, et proximum tuum [1] , » ad normam novæ legis indivisa observasti; ambo pari charitatis ardore complexus, sua utrique jura integre cumulateque reddidisti. Sic sanctorum virorum exempla audiebas, ut ad exequenda audita paratus accederes; sic exequebaris, ut cœpta perficeres.

V. Prostant adhuc ubique misericordiæ tuæ, atque religionis monumenta, accedentibus et participantibus non modo utilitate proficua, verum etiam aspectu jucunda. Precationem aiunt esse currum menti, non sensui notum, media inter cœlum ac terram spatia permeantem; tuam hanc, Pater, quadrigam clam conscendebas, ut olim suam Elias palam ; illa vectus ad contemplandum non aspectabilem Deum ferebaris: talem, precor, Pater, nobis filiis tuis scribito hæreditatem; hujus namque præsidio obtentos ab adversario laqueos et objecta offendicula nos facile evasures confidimus. Vigilandi precandique labore assiduo attritas corporis vires, nec balneum nec unguenta recreabant, ut qui statueras sordibus undecumque in cute contractis internas, si quæ animo hæsissent, labes abstergere. Insomnes oculi tuas tibi custodiere divitias, semperque tibi præsens animus tuos tibi thesauros conservavit; cæteris quippe inerti otio languentibus, somnoque sepultis, tuum tibi semper fervebat opus. Cum vero patientiam et duritiam vitæ adamasses, non te nives cœlo cadentes a satione prohibuerunt, vel æstus ab excolendis quæ seminaveras remoratus est; semina quæ terræ commiserat jejunium, vigilia mox lacrymis rigabat : usque adeo nullum tibi otium, sanc-

[1] Matth. XXII, 37, 39.

tissime Pater, sine negotio fuit. Quis thesauros tuos non participavit? quis tuis non est locupletatus opibus? sedenimvero, cui conspectus tuus jucundissimus non fuit, et acerbissimus obitus?

VI. Oculi tui somnum vigiliis et jejunio expugnarunt, et quandoquidem in domo dormientium insomnes Angelos æmulatus es, Angelus dormientium e medio te suscitabit. Sic porro tuam curvasti frontem, Deum precatus ut tua susciperet sacrificia, ut ipse te faceres hostiam, teque ipse offerres victimam. Escam ventri subduxisti, cordi nequitiam; perfectum jejunium tibi indixisti, quod os et animum contineret; ciborum sapores et condimenta gulosis renuntiasti; lugentium victu contentus carnes appetentium intemperantiam simul et maledicentiam reprehendebas, ut qui carnes comederent et dictis amicos morderent. Vini usum et cætera sensuum oblectamenta fugiens, ori injeceras frenum, tanquam domesticæ pacis et quietis firmamentum; labia insuper canticis, Spiritu sancto dictante, scriptis obarmasti.

VII. Porro cujus hi constant triumphi, quomodo obitum non doleant amici? vel cujus laudantur tam præclara gesta, quemnam trophæa offendant? Noster enimvero mœreat conventus, et prodeat atratus; lugubri veste suum testetur dolorem, tua consuetudine et colloquio repente privatus. Cæterum inter obitus luctum ac triumphorum lætitiam ancipites hæsere tuorum discipulorum et filiorum cœtus; scilicet quanto eos affecit mœrore decessus tuus, tanto gaudio tua cumulavit victoria. Et sane cum ingressi conventum fratrum inde te abesse sentiunt, lacrymas et gemitus continere non possunt; mox vero tuum illustre certamen et felicem exitum recogitantes lætitia exultant. Quis te, sanctissime Præses, sanctæ Ecclesiæ cœtibus abstulit? quis te, venerabilis Pater, a nostra consuetudine separa-

vit? quis in tuam lucernam insiliit flatus, tuisque lumen eripuit oculis? quis te ecclesiasticæ disciplinæ purum fontem obstruxit, qui lætas segetes in cordibus piorum audientium rigare et augere solebas? quis te populi coronam rapuit, et locum tuum ex improviso vacuum reliquit? Atqui profecto nunquam te, Pater, e corpore excessisse pigebit; inde quippe ad beatorum domicilium tuus te Dominus trajecit.

VIII. Jure itaque beatum te prædico; quippe qui sanctorum socius adlectus cœlestis regni felicitate frueris. Restat igitur ut, quod nostrum est, maximas quas possumus illi agamus gratias qui tibi militiæ vacationem indulsit, deditque frui pace et otio sempiterno. Ora et deprecare pro nobis, Pater, ut detur nobis aliquando te in superna domo videre, ut cœleste regnum adepti Dominum tuum in omne ævum laudemus, qui jure laudandus est a viventibus et mortuis in sæcula sæculorum. Amen.

CANON XVI.

IN FUNERE MONACHORUM.

I. Justitiam et pietatem colentibus mors est laborum et miseriarum jucunda quies; luctum parit peccatoribus, impiis etiam desperationem : probis et honestis nec metum nec dolorem affert; magnas incutit formidines scelestis, objecta impendentis judicii imagine. Imperatam a corpore separationem dolebunt omnes qui cum ipso naturali nexu conjuncti fuerunt; consortis quippe absentiam ægre ferre a natura inditum est. Qualem quisque peregit cursum, talem sentiet exitum et vitæ finem: quorum ergo vitæ socia virtus fuit, mortis comes est lætitia; utque hi beati, sic contra illi miseri qui se vitiis manciparunt.

II. Talia reputantes, tuus nos, Pater, obitus magnopere

exhilarat, quanquam aliunde vehementer discruciet : quem enim tuus a nobis discessus non angat? quem contra tuum de sperata felicitate gaudium non recreet? Sacerdos optime, qui sacra in templo ministeria sancte obibas, te altare reposcit cui ministrare solebas, tuumque ad consueta officia reditum opperitur; sacra squalet ædes te absente, et nostra conticuere odea : tuam collegæ consuetudinem usumque familiarem desiderant. Siccine cinyra tua audiri desiit, obmutuit cithara divinis sueta resonare laudibus? Quænam invida te nobis deripuit manus, ævo dignum instrumentum intra templi adyta repositum? Os illud ad canendas Deo laudes datum, quis obstruere non dubitavit? quis contraxit manus sacra ministeria usque ad defatigationem obire solitas? En video pedes per sanctuarium ingredientes, perque tritam templi viam discurrentes, subita mortis impressione prostratos omnem amisisse motum. Tui videlicet clementissimi Domini voluntate mors delegata venit, te hominem integerrimum in Paradisum deportatura : sacerdotalem quippe dignitatem, quasi fœnebrem pecuniam tibi a Domino ad negotiationem traditam, in duplum auxisti fœneratione et contractibus.

III. At tu quidem istam cœli dominam nec vi fraudibusve rapuisti, neque numerata pecunia aliove pretio tibi comparasti; divini quippe Spiritus donum est: nec illam adeptus luxuriæ ancillam addixisti, nec mancipasti avaritiæ, aut lasciviæ fecisti sociam; nec vero quidpiam ei æquale et comparabile duxisti, nec unde illa te super omnia exaltabat, licere tibi inde putasti per fas et nefas illam invadere. Chore et Dathan atque Abiron ambitionem nunquam-non abominatus fuisti, qui noveras qualemquamque tristem illi tulissent exitum : nec tu præsulibus, sicut illi Mosi et Aaroni sanctissimis viris, fastum et superbiam objectasti, qui non ignorares eos qui talia ausi fuerant incendio ab-

sumptos male periisse. Divinas contra Scripturas a puero versare suetus, inde miram per omnem vitam morum integritatem hausisti et servasti; hac nimirum sapientia te imbuerunt sacri Codices, quos accurate legere et assidue meditari solebas. Sed in primis animum perculit quod tibi occurrit in Pentateucho, qui quidem salutarium documentorum ærarium est, hominem ab eo a quo ad suam imaginem formatus fuerat accepisse legem, eamque cum fregisset, in lutum, de quo fuerat fictus, recidisse.

IV. Prophetarum itaque et Apostolorum oracula mente et cogitatione complexus, quæ legeras opere præstabas, quæ alios docebas ipse observabas, tuamque prudentiam intelligentiamque ad aliorum utilitatem conferebas, apprime sollicitus de filiorum filiarumque tuarum salute; verebaris nimirum ne, tanquam acceptæ pecuniæ dissipator in fine deprehensus, mulctam subire cogereris. Omne vitæ tempus lucrandis fratribus contrivisti : nec enimvero ore docebas uno, ora quippe plurima tibi tua sufficiebant opera; hæc, te tacente, præcepta dabant : adeo tuum quoque silentium disciplina fuit. Charissimi fratrum, quis te sustulit? quis te nobis subduxit, vir probitatis optimis quibusque invidendæ? quis impedivit currentem? concionantem quis interrupit? quis disertissimum oratorem fecit infantem? præpositum et socium multorum quis te ab eis avulsit? quis œconomum domini sui exauctoravit, eique administrationem ademit? quem modo grex tuus opperietur diligentem et providum pastorem? quem consolatorem in luctu et dolore prensabit? Prudente curatore subito destitutus, cultum funebrem protulit, maxima qua poterat pompa cadaver elaturus ad tumulum : noluit nimirum in sordido luctu te minus ornatum relinquere, mœstitiæ insignia explicuit; sic tamen ut splendidis vestibus cum quibus vivus sacra faciebas, te exornaret, tanquam Ecclesiæ sponsum; ne tuorum te laborum præmio

fraudare velle videretur, tibi post mortem persolvit amplissimum. Feretrum gradu sacerdotali digna cinxit corona patrum et fratrum, tuorumque filiorum et filiarum conserta choris, qui etiam solemni cum pompa cadaver efferrent, et ad tumulum cum hymnis et canticis prosequerentur : næ id factum bene, ut qui psalmos divini Spiritus instinctu compositos tuarum commentationum materiam delegeras, cum viveres, rebus sublatus humanis cum eorumdem concentu ad regionem mortuorum deducereris. Sic de terris peregrinorum in Ecclesiam translatus requievisti, ut e fatiscente domo in ædes sempiternas migrares.

V. Astant ecce tibi sacerdotes primi, latera stipant ministri, adest populi conventus universus; spiritualibus cantibus simul omnes funus prosequuntur; confluxere videlicet omnes Præsuli suo parentaturi. Habes hic sacrum ministerium, divinarumque Scripturarum lectionem, et sacros hymnos, ea scilicet quæ, cum viveres, unice dilexisti et complexus es. Non hic audis nænias et ejulatus, sed psalmos et carmina Prophetarum; non inanes fletus et tristes gemitus, sed divina oracula; opportuna scilicet doloris levamenta, et magnæ argumenta spei. Ecce autem defluxit omnis exequiarum honor, funeris pompa peracta est, tuorumque fratrum vox conticuit; defecit amicorum fletus, et famulorum sublatum est obsequium : fletus quidem, quia post ejusmodi discessum desperatur reditus; exequiarum vero pompa, quia sepulto cadavere funeratio transacta est.

VI. Sedenimvero nos alter jam excipit luctus a tuo ad paratum tibi domicilium transitu; hinc enim triste tui desiderium nobis suboritur, et gravis cura : nec enim hujus temporis leges permittunt vivis ad suos vita jam functos commeare, videre, colloquiove potiri. Quanquam, Vir optime, mortuus non es, vivis adhuc et loqueris; somnus, non mors opprimit viros sanctos *qui in Christo moriuntur.*

Scilicet illa dies affuit qua mortalis quisque suum cogitur repetere domicilium, tibique proinde necesse est tritam inire viam ad sepulcrum, commune generis nostri receptaculum ; nec puto tibi molestum fore a charissimorum fratrum convictu abesse, aut ab hominum gubernatione curaque vacare. Non te invitum violenta rapuit mors; Domini illa tui executa est mandatum, corpori tuo finem laborum attulit : ille misso viatore accersivit, suavissime tecum agens, et longe secus quam olim cum Dathan et Abiron, quos immisso igne consumpsit; non enim tu sacrificium, nullo temporis servato ordine, Regi regum obtulisti, nec thura sacrorum Lege rejecta in interiora templi adyta intulisti; quod quia filii Aaron ausi sunt, incendio periere. Hophni et Phinees Dei ædem violarunt, cæsique in acie occubuere : longe a te fuit ut scelus, sic pœna sit sceleris. Non tu Hozæ levitatem imitatus, qui, quod pius videri vellet, ad sustinendam Arcam temere prorupit, et virtute quæ vincit omnia prostratus concidit : non tu peregrini servi falsa delatione oppressus, sublatus es letho quo insontes sacerdotes impius sustulit Saül. Alium tu, Pater, habuisti exitum, qualem summus sacerdos Aaron, agmine patrum et fratrum stipante elatus, et qualem tulit Moses, quem Deus, cujus est omne quod est, e corporis custodiis eductum, suo excepit sinu. Et quandoquidem in obitu pacem et honorem consecutus es ab eo a quo naturam acceperas, placeat corpori tuo usque ad communem corporum restitutionem tantisper quiescere, donec præstitutus reddendæ sibi mercedis adveniat dies.

VII. Interea vero Deum exora, Pater, ut charorum tuorum remuneretur lacrymas, quas ingenuus de tua morte dolor elicuit : suorum eis delictorum veniam ab eo deposce; preces quippe tuas curat, et votis benignas applicat aures. Attolle manum tuam super populum qui tuum ex-

tulit cum honore cadaver, et quæ ante solebas bona a Deo optimo ei precare; justi siquidem morientis deprecatio accepta est, et ad impetranda quæ petit admodum efficax. Valedicito gregi tuum ploranti exitum, pacem apprecare conventui qui funebri carmine tuas exequias prosecutus est : veniat in mentem sacrum altare super quo sancte sacrificabas; in generali illo sanctorum consessu res sanctæ Ecclesiæ curare memento, quippe quæ materna charitate te funeravit, deduxitque ad tumulum eo cum luctu quo majore fratris funus neutiquam illa duxisset, cujusque amor vicem parentum, consanguineorum et affinium supplevit. Atque tunc illa quidem tuum obitum vehementer doluit, sed nec certe minus nunc tui angitur cruciaturque desiderio : enimvero cum vacuam cernit exedram tibi in consessu filiorum suorum designatam, simul ei redit in mentem tuus e corpore excessus, simul exaggeratur dolor; cumque filios suos videt congregatos, ac te non videt, erumpunt lacrymæ, undique luctus gemitusque audiuntur, et inde reor discedere nunquam non recusaturam, nisi cura funeris eam ad se revocaret. Naturæ scilicet leges prohibent mortuum cum viventibus commorari, idcirco domicilia geminavit, alterum viventibus dedit, seposuit alterum mortuis : nec vivum sub humo, nec mortuum super humo manere permittit. Veniet olim illa dies in qua mortui resurgent, unusque omnes recipiet locus; istam respectat Ecclesia lucem, in paradiso et in deliciarum sede sperat te sibi reddendum : interim dum medium istud effluit tempus, jubet te agere vitam a curis et ab omni labore vacuam; dum porro vacat, precare ut tu illam in cœlesti ac beata domo revisas.

VIII. « Patres et fratres, valete, mea desideria, salvere vos jubeo, a vestro convictu nunquam rediturus discedo. Non sic vita privari displicet, ut non magis pigeat a vestro

separari consortio; sique molestum est in alias migrare terras, a meis avelli fratribus adhuc multo gravius est : mea in hac regione mora contracta est, hoc non doleo, sed quod terra obrutus ex universo Ecclesiæ conventu neminem sum amplius visurus; hoc enimvero me cruciat. Pro me, quæso, orate, charissimi, nec vos aliquando prætereat memoria mei. Dies judicii magnam mihi affert formidinem, terretque vehementer me mihi decretus post obitum ad hujus lucis usuram reditus. In multis peccavi, quæ autem perpetravi mala me ad Judicis tribunal præstolantur; lex lata docet, et promulgata supremi Domini edicta satis aperte declarant fore ut servus qui compertam ejus voluntatem contempserit, nec imperata fecerit, vel non ea qua oportuit cura ejus mandata exhauserit, multum vapulet, durissimamque sustineat quæstionem : et ego quidem, qui ista legeram aliosque docueram, ac recta et honesta esse ignorare non poteram, nil minus quam ea præstare curavi; quamobrem magnopere formido ne a severo Judice gravissime plectendus sim, et pœnas hausurus sim acerbissimas. Acceptam pecuniam abscondi, nec eam justo fœnore augere et geminare studui; quæ mea summa ignavia fuit.

IX. » Conjectare porro difficile non est, qualia immineant mala mihi scelesto et inerti servo; sat scio me illa severa objurgatione statim in exitu excipiendum : « Quanam objecta cura pecuniam traditam fœnerare detrectasti? cur talenta magnum paratura quæstum in terram defodisti, quo facto negotiationis lucrique viam interrupisti? satius erat, inepte, tibique conducibilius oblatum argentum recusare, quam acceptum recondere. An censes te constitutam tui similibus pœnam evasurum? Et ego quidem te in ordinem sacerdotum adlegeram, ornaveramque levitarum honore; qua, cedo, spe illectus statuisti a propositis piorum sacerdotum exemplis discedere? » Talia, fratres,

dum mecum attente revolvo, imminentis judicii tela magis quam hora mortis me perturbat.

X. » Cæterum quandiu vita manebat, uti supremi diei, quo corpori restituendus sum, judicioque sistendus, nulla suberat recordatio, ita nullus gehennæ et supplicii metus; at postquam vitæ exitus appropinquavit, incubuitque necessitas in aliam migrandi regionem, tum vero in mentem venere mihi peccata mea, indeque subortis lacrymis invocavi Deum, et anteactæ vitæ malefacta dolens : « Precor, dixi, quæsoque te, Deus, laboranti mihi succurre, fer opem afflictis rebus; neve januam miserationum tuarum occludas supplici servo, tu qui latronis ad tuam dexteram e cruce pendentis vicem miseratus, violatæ majestatis tuæ reum absolvisti; miserere mei in exitu meo, proque tua summa clementia integrum me conserva; malum averte, ne fiam alienus a beato Ecclesiæ tuæ cœtu, unde gaudeant extranei intuentes me flammis gehennæ addictum, et irrideant me propinqui domestici fidei. Sed aspice me, Omnipotens, qui flecteris precibus hominum, et præsta ut, quoniam sacerdotum collega fui, et in prædicanda gloria tua socius, eorumdem consors et socius in tuo regno fiam; ne inde rejectus, atque a dilectorum tuorum societate divulsus, apud inferos pœnarum atrocitate cogar furiosis vociferationibus insanire, ego ipse qui quondam tuis laudibus omnia complere solebam : istud, oro, prohibe malum, nec unquam me deserat facultas prædicandi nomen tuum. Æquissime Judex, meam, precor, causam ea qua soles clementia dijudica : peccasse me fateor, ac si pro merito plectendus sim, despero me gehennam evasurum; cumque vita me defecerit, morsque mihi imperaverit silentium, nec proinde scelerum veniam deprecari licebit, meam tua charitas causam peroret, quæ me e luto formavit : illa mihi peccata mea ignoscat, et, modo a gehennæ incendio me

liberet, quem me habere locum voluerit, suo jure decernat. »

XI. Reliquum est ut, quod nostri officii est, pro defuncto fratre Deum supplices oremus. Sanctissime Deus, qui diligentium te preces clementer exaudis, nec vis mortem peccatoris, sed magis ut vivat, famuli tui miserere bonitate tua atque clementia : non intres in judicium cum servo tuo, pie Domine; quia nemo mundus a sorde : ne memineris multa in quibus peccavit et graviter deliquit; sed peccatis absolutum, ad dexteram tuam astare jubeto. Ne despicias preces ejus qui te moriens invocavit, et opem tuam imploravit, flevit et pro delictis suis oravit; ne, precor, despicias vocem orantis, nec avertas faciem tuam ab eo cui in Evangelio tuo indulgentiam spopondisti : « Invo- » cate me, *dixisti*, et exaudiam; pulsate misericordiæ meæ » fores, et illico aperiam [1]. » En promissis tuis confisus te inclamavit, et Evangelii tui fide fretus clementiæ tuæ januam quatere non destitit; ratas habeto preces ea pietate quam semper calamitosis adhibere consuevisti, eique regiam tuam aperi, et gratiæ tuæ dono regnum justis promissum cum ipsis obtineat, atque una cum sacerdotibus hoc ministerio rite perfunctis, ad lucidas sedes translatus, communi felicitate potiatur, tuamque inexhaustam bonitatem sanctis et justis sociatus amplificet. In tabernaculis dilectorum tuorum lætetur, exultet et munificentiam tuam prædicet, carmen illud eucharisticum decantans : « Laudem dicam ei qui gratia sua misertus est mei. »

[1] Matth. VII, 7. Luc. XI, 9.

CANON XVII.

IN FUNERE MONACHORUM.

I. Cujus labia Spiritus sancti cecinere psalmos, tu, Domine, peccata dimitte, et concede, precamur, ut in eo loco ubi beati ævo sempiterno fruuntur, illud tibi moduletur carmen : « Optimo Maximo, qui mei misertus est, sit honor et gloria. » Qui ab adolescentia sua suave jugum tuum constanter portavit, hunc tu, Domine, delictorum suorum vinculis exemptum, illam maxime optatam securitatem habere jube. Cælibem, quique a nuptiali hujus temporis thalamo abstinuit, et alium viris perfectæ virtutis paratum expetiit, ipsorum numero ascribito. Et quoniam dissidentes fratres habere studuit mutua charitate conjunctos, remotisque odiis ad bonum conspirantes, huic tribue hortum voluptatis adire : tum quia tuis obsecutus mandatis, sociis servire et parere sategit, atque infimum locum semper appetiit, tu, Domine, tuo ipsum dignare convivio; et quandoquidem te confessus est coram hominibus, tu, quod pollicitus es, confitere eum coram Patre tuo.

II. Hominis afflicti, oramus, misericordia, Domine, te capiat, eique mala quæ gessit ignosce. Tu, qui solus bonus es, et extra quem nemo peccata dimittit, hunc miseratus, reum absolve. Frequentibus ille morbis in senectute tentatus; tu, Domine, in horto voluptatis domicilio locatum, juventuti restitue senem; repubescet utique in tuam receptus domum. Et sane qui ægro corpore defectisque viribus ædis tuæ curam nunquam deposuit, æquum est ut justis sociatus, et illa cumulatissima bonorum complexione potitus, laudes tuas ore pleno persequatur.

CANON XVIII.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. «Fratres Ecclesiæ filii, oratum ite Deum ut res mihi fauste feliciterque eveniat, neve me a fidelium in cœlo degentium consortio excludat. — Pie frater, quem abstinentia aluit, et educavit oratio, in superna illa Jerusalem nos te spectatum venturos speramus, tuamque tibi gratulaturos felicitatem. — Illum propitiate mihi qui me a vobis avulsit, jussitque ad diem generalis mortuorum resurrectionis in sepulcro manere. Ne, precor, mei oblivio vos capiat sacro ministerio statisque precibus pie vacantes. — Cave putes nos tui unquam immemores fore, quos rata spes tenet futurum ut dies illa quæ a malis est segregatura bonos, eadem te nobis iterum repræsentet, conspectuque tuo nos recreet. — Me mors a vobis, charissimi, divisit, conticuitque cithara mea divinas sueta cantare laudes; id videlicet mortis jura vetant. — Jesus, quem cum viveres unice amasti, in suas te recipiet ædes, ubi cum Angelis in cœlo ejus munificentiam prædicare prohibebit nemo. — Verumtamen Judici æquissimo in ea, quam peto, regione ante sistendus sum: vestris, oro, precibus illum ad misericordiam flectere contendite; remollescet, spero, ejus adversus me ira; mutabit sententiam. — Quia paternæ domus commoda deseruisti, et, Christi amore plenus, eidem constanter adhæsisti, in ea, ad quam tendis, te regione beabit. — Interim vero mihi lux hodierna lucis usuram auferet, cogetque totos desidere dies. — Atqui, bone frater, hoc eodem die coronam idem imponet, quem dilexisti, Jesus, atque in suas introducet ædes. — Hoc equidem spero, at proh! quam amarum est poculum, fratres, quod haurire cogor, ut, quem sim habiturus receptorem, ignorem!

II. — Impiis et sceleratis in eum diem paratur malum, tibi contra magnum reservatur bonum, quia ejus corpus sumpsisti. — Labascit mens severæ quæstionis perculsa metu; quippe qui audiverim Deum judicaturum per ignem. — Justi, quorum gesta præclara tuis expressisti moribus, causæ tuæ patrocinium in eo judicio suscipient, crede. — Scelerum meorum me piget pudetque; parce, quæso, fatenti reo, neque me probibeas die adventus tui ab aspectu lucis pulcherrimæ et inoccidui solis. — Sponsus unica tui cordis cura suas tibi reserabit ædes, suisque amicis paratum obtinebis hortum voluptatis. — O beatum hominem, fratres, qui talem se esse novit, caducum et mortalem, atque his angustiis quas natura dedit non contentus, commeatum immutabili æternitati idoneum sibi providit. — Quin ergo te beatum prædicemus, qui hujus vitæ evaseris ærumnas, tibi thesaurum in cœlo comparaveris, nullo temporis decursu defecturum? — Quo die omnium iniquorum scelera, juste Judex, vindicabis, ea qua latronem complexus es clementia, me quoque crucis tuæ merito prosequere. — Dies qui superum Regem in terras reducet, ille te e mortuali tumulo extractum, immortalis gloriæ insignibus decorabit. — Mors, charissimi, mœrore me complevit, cum a vestris abscedere tectis compulit, et omnem huc remeandi facultatem ademit.

III. — Atenim cithara quam, in tua exedra considens, apud nos pulsabas, etsi ad tempus cantum intermisit, in cœlesti tamen illa Jerusalem Deum laudare nunquam absistet. Interea vero dum tantum respectamus bonum, etiam atque etiam te, Domine, rogamus ne aliquando faciem tuam avertas a servo tuo in illo supremo die, tum quando tuam patefacies majestatem. Cave, frater, ne credas Christum merita tua conveniente mercede fraudaturum; ratum quippe est tuis laboribus amplissima pa-

rari præmia in ea ad quam profecturus es regione. Sedenimvero, quotusquisque est qui non contremiscat timore illius diei perterritus, in quo seu pœnam seu præmium pro merito quisque suo recipiet? Dominus ille optimus, cui te conjunctissimum professus es, cujusve mandata fideliter exhausisti, dignam laudabilis vitæ moribus factisque sedem tibi designabit. — Ignem quem fecit Deus iniquis reservavit, hinc mihi horror, hinc metus ne forte in eum sim ego conjiciendus rogum. Tuo, Domine, adventu aperi mihi diem, et cum justis qui te dilexerunt regni tui sorte dignare me, precor. Tua me gratia dulcis calamitosorum spes, et grande afflictorum præsidium in suam me reum convictum suscipiat clientelam. — Ille qui spe rerum meliorum per dies et noctes te hactenus sustentavit, in generali mortuorum ad vitam reditu in hortum voluptatis transferet. — Fer opem supplici mihi, Salvator meus, cum tua miseris affulserit misericordia, et præsta ut erecta fronte et hilari vultu bonitati erga me tuæ gratias quas potero agam maximas. — Illa utique beatorum sedes te nobis, speramus, conspiciendum dabit in subselliis justorum qui eximiæ fortitudinis specimen illustre ediderunt, et martyrum qui, hoste debellato, consecuti sunt coronam; illic, vestro ascripti consortio, profusam in nos Dei beneficentiam laudabimus.

IV. — Interim, fratres et amici, iterum salvere vos jubeo; vestras, oro, pro me conjungite preces, prosperum iter et benevolum receptorem apprecamini mihi. — Aperi, quæsumus, Domine misericors et clemens, regni tui aditus fratri nostro, cui nullus vacavit vitæ dies ab oratione et jejunio. — Istuc, oro, fratres, speroque, fore ut vestræ preces ad eum quo pergo locum me deducant, et quasi alites me submissis alis ad ædem vitæ per sublime trajiciant. — Filii Domini tui crux, qua redemptus est mundus,

tibi aditum patefaciet ad beatas sedes, ubi, cum e corpore excesserit, animus viget et vivit. — Ego vero oro quæsoque Deum, ut quos in meo obitu cecinistis hymnos, Angelorum cantibus adjungat. — Etiam, Domine Deus clementissime, servum tuum ad te venientem misericorditer excipito, et supernæ Jerusalem scribe civem, quia in te fidem habuit.

V. — At instat abeundi tempus, salvete fratres; me meus Dominus, misso viatore, accersit; vestras mihi preces addite comites. — Clementissimi Judicis benignitas, quæ Latronis miserta est, tibi, frater, præsidium et comitatum præstabit ad eum quo tendis locum. Tibi vero sit honor, sit gloria, qui lucis adhuc usura fruentibus facilem et misericordem te præbes, et vitam amissam cunctis mortalibus aliquando restitues. Tuum, confide frater, nomen in libro vitæ conscribet in cœlo Christus, quem ardenter amasti, cujus præcepta fideliter servasti. Verumtamen cogitate, fratres, quales in angustias nostra nos opera conjicient supremo illo die, quem Filius Regis suo in terras adventui præfinivit.

CANON XIX.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Conventum, fratres, cogite; mei memores, meum celebrate funus; Deum oro ne meam sinat occidere memoriam, postquam a vestro consortio me separaverit, sed in suo adventu corpori meo vitam conferat immortalem. — Animi tui, frater, dolorem lenire stude, divinæ voluntatis jugo collum subjiciens, tu qui plurimos exhausisti labores ad colligendos quæstus ex legitimo liberi arbitrii usu provenientes. Quamobrem ei qui te modo coronat, et mox in

regno suo exaltabit, gratiam habere memento. — Actum est, charissimi, Judex non mutat factum; vitæ spes omnis accisa est. Quæcumque hactenus occultavi, pandere ratum est, cum ille manifestus paruerit. Quanquam propitium mihi illum fore confido, qui me sua cruce redemit. — Labor tuus spes tua est, et abstinentia tua tuus est thesaurus, vigiliæ tuæ præsidium tuum, et Dominus tuus fiducia tua est, ipse corpori tuo ademptam restituet lucis usuram; in ejus namque fide labores quicumque tibi inciderunt, fortiter tolerasti. — Domino venienti assurgent omnes, etsi non omnes scient qualem habituri sint vitæ rationem; examinis quippe dies sortem cuique suam decernet. Confido tamen, tuam, Dominé, mihi affluxuram gratiam.

II. — Infixum animo hæret victoriæ signum, quod pie sumpsisti, Christi sacramentum; hoc te ad eumdem perducet, ejusque jucundissimo conspectu beabit. — Scelera me mea terrent, Domini mei promissa me recreant; magnum interim cogor sustinere metum, dum decretum cunctis mortalibus judicium dirimat causam, indeque certior fiam Judicem mihi esse placatum. — Bonus est Deus, pius et misericors : idcirco æquo animo esto, præsertim cum tua te comitetur victoria; scilicet professionis tuæ humilitas suppressos excitabit citharæ tuæ cantus. — Stat alta mente repositum, fratres, illum nunquam non fuisse severum scelerum vindicem, refugitque timido sanguis, et contremisco revolvens terribilem ejus sententiam : « Discedite a » meo conspectu, qui unquam iniquitatem attigistis. » Hunc ego orare non desinam, ut suo me judicio absolvat fatentem reum. — Justus est Deus tuus, neque tuos labores digna mercede fraudabit : molestiæ et ærumnæ quas, ejus confisus promissis, in monastica professione pertulisti, dabunt tibi in ejus regno locum. — Ægritudine animi ita laboro, fratres, ut sanari plane non possim : horrendi ju-

dicii metus membra quatit, et mirum quantum exagitat mentem. Ille, precor, meorum cognitor scelerum, me sibi aliquando sistendum clementer accipiat. — Dominus et Deus tuus te, frater, corpore exolutum hac te abducet sollicitudine; nec enimvero despiciet cor attritum curis Majestati suæ gratissimis, ut in suo adventu congruentem non solvat mercedem. — Suave Domini jugum humeris meis ab adolescentia impositum constanter portavi, et qui fiat ut audacissimus quispiam sugillator improbus in ejus insurgat gratiam? Quod si contingat, quem mihi patronum quæram? Misericordia tua, Domine, innocentiæ, oro, patrocinetur meæ. — Spes illa, quæ te modo sustentat, quave hactenus munitus corpus tuum servituti ab Ada et Eva generis nostri parentibus in posteros propagatæ exemptum Domino reddidisti, ipsa tibi adjudicabit causam, inducetque Judicem, ut te magnis honoribus exornet.

III. — Cæterum quæ hucusque, charissimi, produximus argumenta, ea nobis suggerit præsens tempus gratiæ, ut hinc discamus nostrum lenire dolorem; nam quæ post secutura sunt penitus ignoramus, nec ad ea pernoscenda patet aditus. Quamobrem obsecro te, Deus magne, summe, supplici parce. — Filius Viventis juravit se revocaturum ad vitam immortalem pios in eum credentes; quid ergo, num tibi, frater, qui eamdem professus es fidem, hanc mercedem negabit, aut aliquid ad perfectam felicitatem deesse patietur? — Ignota nobis Dei voluntas nostram perspicit voluntatem, et fidei modum, in eo statu in quo ejus judicio astabimus, causam venturus Judex dijudicabit. — Oris tui fructus Domino litabis, quos nempe dixisti hymnos, et laudes quibus vox tua ejus munificentiam ornavit. Confide, frater, ille pro sua bonitate te in suo adventu despectum et humilem non deseret. — Illius tamen dies meam prætervolat intelligentiam, et disertissimi

cujusque superat facundiam, et ejus terribilis adventus omnium mortalium animos concutiet, ejusque conspectus superum inferumque corda consternabit. Vere beatus prædicandus est quem ille in sua majestate venturus se dignum inveniet. — Quibus a puero assuevisti cantibus, ipsi tuam excitabunt citharam, et ille cujus promissis fidem habuisti, in amplissimo suo triclinio te collocabit, ut in domicilio voluptatis eo quo ad vitam rediturus es die fruaris complexione omnium bonorum cumulatissima. — Accedite, fratres et amici, mihique Dei misericordiam exorate, ut venturus Judex habeat me tanta felicitate dignum, postquam a vestro consortio separatus ad aliam regionem migravero, ibi mansurus usque ad præfinitum generali mortuorum restitutioni diem.

CANON XX.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Iterum valete, fratres, hoc unum precor, ut vobis non excidat memoria mei: misero Dei opem exposcite, nec unquam vos pigeat mei meminisse, cum in templo stantes constitutis precibus vacabitis. — Æquævus Genitori Filius, qui Lazarum sepultum e tumulo excivit et extulit, idem te, Pater, ad cœleste regnum e sepulcro super astra sublevabit. — Interim vero omnes meæ mentis partes dolor exagitat, et gravis cura sollicitat reputantem me eo esse deportandum ubi nil precibus loci est. — Sedenimvero, quod a nostra consuetudine divelleris, Pater, neutiquam te perturbare debet; effuso namque sinu excipient venientem Angeli. — Non ita, sed ingens, charissimi, incumbit mihi a severa quæstione timor, fugamque circumspicienti non paret locus; nec porro Judicem donis aut

precibus flectendum credo, ut de salute vix sperem. Te, Pater, oro, Fili et Spiritus sancte, me sine comitatu ad te venire prohibe, a tua nimirum pendeo clementia, et supplex mea mihi condonari scelera posco.

II. Formidandus est, fratres, et horrendus ille dies, meque enimvero vehementer angit: Judex æquissimus est, nec disciplina, sed natura consultus jura describit. Ego vero meorum conscius criminum, quale perfugium non desperem? Non id tamen committam, ut me mea destituat spes; illum potius orabo qui sontes insontes facit, ut mihi mea peccata dimittat. Hei mihi, quale malum impendet inertibus servis mei similibus, qui damna ignorans mea per omnem vitam alia super alia deliqui! — Imo qualem putas futurum Diabolo et morti luctum, cum te ad Christi dexteram astantem suspicient, et audient divina recinentem? — Nihil dicitis quod animum ingenti metu consternatum valeat erigere meum, qui cogitans quo vultu me Judex accepturus sit, anxius et anceps hæreo. — Crucis loricam paratam habes, insuper et baptismum, corpus et sanguinem Christi, quasi libellos assertorios, mirum quantam vim habentes et quantum pondus!

CANON XXI.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Sanctissime Pater, quod tibi bonum, faustum fortunatumque esse potest, tibi prope discessuro precamur, et confidimus fore ut tuus te Dominus in illa omnium bonorum complexione beatum efficiat. — En itineri longinquo, atque adeo periculoso, me committo; adeste, fratres, meque viam ingressum vestris comitamini precibus, ut mihi res feliciter eveniant. — Non sic pericula timeas, Pater, ut

non memineris benefacta tua te præcursura, ad Domini conspectum festinantem. — Acta mea comperta sunt Domino, quem offendi; quamque summus ille Judex infliget pœnam, vehementer exhorreo. — Sed nec tuum latent Dominum cordis tui arcana, tua in eum charitas, unde ille vicissim tuo in amore mirifice conquiescit, ut qui ejus jussa plane perfecteque exhauseris. — At nunquam fiet ut animus meus sese colligat, deposito metu illius judicii; persuasum siquidem habet iniquis nullam eo in loco adhibendam fore indulgentiam, aut pœnæ remissionem. — Imo tibi, beate Pater, promissum justis regnum reservat Dominus, tuum erga se studium remuneraturus, ubi confide te ad novum vitæ genus traductum iri.

II. — Ecce autem ego exul, inops, egenus ex hac luce discedo; adeo vixisse nil profuit, cum vita mihi præter peccata nil plane reliquerit. — At etiam tranquilla, Pater, tibi res est, ecce quietus et placidus, quasi alter Moses, rebus excedis humanis; quare una tibi restat cura, ut pro populo nostro orare non desinas. — Hei veris vincor, nec vana est sollicitudo quam excitat timor Judicis, qui non gratia, vel pretio, sed justa severitate judicia exercet sua. — Dira potius augurare ei qui negavit fidem et Christo renuntiavit; te autem beatum dicere debemus, tibique cuncta prospera ominari, qui Dei leges et jura servasti. — Parcite, fratres, talia suspicanti ; pepulit aures terribilis illa tuba cujus voce totus contremiscit orbis. — Meliora tamen precamur, quæ speramus futura, ut Angeli in generali illa mortuorum restitutione ad Judicis dexteram te transferant; id enimvero persuadet vita vitio carens et sine labe peracta, tum abstinentia, pietas, religio et effusa in egentes liberalitas: idcirco amissum te dolemus, et obitum lugemus tuum, quoties tuum in mentem redit nomen, venerande Pater. Secus non erat, cur tuam ægre

ferremus mortem? justi quippe felicitatem sine fine duraturam adepti, cum resumpto corpore vitam ducent beatissimam, Dei laudibus sine cessatione vacaturi. Tuus, Pater, Dominus in cujus fide fuisti, cujusque legibus vixisti, sua erga te utetur clementia, cum idem te gregis sui pastorem ac præsulem etiam creaverit.

IV. —Bone Jesu, perfugium et præsidium meum, pœnis quas merui eximito me, tuæque lucis claritate lætifica. — Annuet utique tuis Jesus votis, reddetque sui amanti, ejusque præceptis obtemperanti, auctam in centuplum laborum mercedem. Hoc scilicet præmium caste et integre viventibus paratur, corona videlicet gloriæ, quam justi suo imponent capiti, remuneratori Deo laudis hymnum modulantes, cum rediviva resumpserint corpora. Quapropter confide, Pater, hæc merces tuis reservatur moribus; nec dubites ut, socius justorum factus, in omne ævum vitam traducturus sis jucundissimam. — Vestris, oro, Deus annuat votis; interim obsecro vos, charissimi fratres et patres, ut vos Deum pro communi salute oraturos, mei memoria nunquam prætereat.

CANON XXII.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Beate Pater, alumnos solare tuos : ecce tuam mœsti, solliciti, præsentiam reposcunt. — Pater omnipotens vos, qui me amastis, jacentes erigat, vestroque dolori finem imponat. Sed et æviternus Filius vestras pro sua summa munificentia exornet coronas. Parcite jam, filii, lacrymis; nec enim vos decet generis humani commune fatum, quasi proprium deflere. — At enim patriarcha Joseph, ut parentem vidit extinctum, quantum erupit in fletum! tale profecto non dedecet imitari exemplum, tuumque, Pater,

dolere et collacrymari lethum. Eheu! quis te nobis eripuit spiritus nostri thesaurum? arcem munitissimam siccine mors te cepit et diruit? Et vero tui corporis exuvias cernere, ut admodum utile, ita valde obvium est; at voces quis nostris referat auribus?

II. Ecce autem atrati prodeunt omnes quibus obtigit non ignorasse te virum sanctum et discernendi motus animorum prudentia insignem, qui animam suam virginem castam Christo desponderat : quare confide vicissim ab illo te fore separandum a perditis et sceleratis sibique sociandum. — Omnipotentis Domini in fide sumus, seu morimur, seu vivimus : caveamus ergo ne divellamur ab illo, tum vero maxime cum mortis metus animo insitus et infixus mentem exagitat. — Nobis te, Pater, magistrum et admonitorem Filius Regis dederat, qui nostris identidem auribus ista occineret. — Cogitate, sacri Ecclesiarum stationarii, præfinitum vobis ad immutabilem æternitatem iter, et viaticum providete.

CANON XXIII.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Siccine, Pater, veritatis athleta, nos deseris, seditque tibi hinc demigrare, orbosque natos destituere? Moses utique popularibus suis extremum dicturus vale, te, Pater sancte, morientem adumbravit : at idem moriturus administrum suum genti suæ designavit ducem, ejus capiti imponendo manum; quo facto futuri Hebræorum in terram sibi promissam introitus præsagium dedit, et aperiendæ nobis ad salutem viæ symbolum descripsit; suoque functus officio, vita mox pariter defunctus est. Ecce autem extorres et exules in alieno solo nos deseris, Pater, quis jam pa-

triam repetentibus dabit ducem? Dabit sane, qui te dedit fratribus fratrem simul et præsulem, Josepho proinde comparabilem, quem fratribus per id tempus in Ægypto exulibus pater filium sibi similem præfecit; talem te sibi summus ille Pater adoptavit, nobisque gubernatorem dedit, unde fieret ut omnes mutua charitate conjuncti, bonis quæ nobis apprecabaris nos haudquaquam indignos præberemus : patuitque profecto in tuis moribus conspicua adoptantis effigies Dei, quem Jacob patriarcha vidit, quemque tu unice dilexisti, ut ipsius gratia tuos reliqueris parentes, vicissim ab eo vitam relaturus tibi in omne ævum mansuram.

II. Quoniam vero tuo, Pater, sacerdotio fixi sunt limites quales Aaronico positi fuere, ut videlicet pater haberet filios in officio consortes (cum Aarone siquidem Eleazarus sacra administrabat in ritibus legis egenæ, utpote a sacramentis vacuæ; rursus ut sublato rebus humanis parenti filius rite succederet, indeque factum fuit ut, Aarone mortuo, Eleazarus sacrorum curam susciperet, et Josue Mosi suffectus jura describeret); hinc supplices te, Pater, etiam atque etiam rogamus, ut, pro luctu in quem tuus nos conjecit obitus, tuam populo tuo virtutem transfundas, quemadmodum Elias spiritum suum auctum in duplum Eliseo transcripsit; quo fiat ut in tuæ disciplinæ alumnis expressam magistri teneamus effigiem, magnum dolori nostro allaturam levamentum, neque plane nec usquequaque tua destituamur præsentia. Ditissime pauper, qui pauperes bene multos locupletasti, tuam profecto munificentissimam manum a tuis non continebis.

III. Ecce autem in sepulcrum tecum descendit ille qui Mosi trajectum petenti mare divisit, tibique lucem in tenebris accendet columna designata Israëlitis viæ dux; in tuis namque membris reconditur corpus suscitator mortuorum,

et spiritus tui sanguini immixtus est calix salutaris; haud illa te in periculo destituent, cui in regione justorum parant coronam. Officia officiis compensare debemus, tibique mortuo habere gratiam, quod plures divinæ Scripturæ libros, quando vita manebat, explanasti. Præterquam quod æquum et justum est te cultorem agri delibare fruges tuo labore apud gentem immundam quæsitas; justorum siquidem adhuc populus te, Pater, expectat, apud quem arvorum tuorum proventus in horreum vitæ conditi te manent, illic te tuæ opperiuntur opes.

IV. Pacatam pete civitatem, Pater; quam enim habitabas cives habet domestico bello implicitos, pax hinc semper exulat. Cum autem te mors ad sepulcrum deportaverit, tum vero Salvator tuus omnibus te eximet curis. Interea vero dum aliud tibi paratur domicilium, tanquam viator itinere lassatus longo, a via quære diversorium; sepulcrum hoc esse puta, in quo tantisper quiesces, donec, appetente præfinito die, destinatum tibi regnum obtineas. Interim tuarum virtutum laudatores audire non pigeat. Etenimvero quicumque tecum homine ad speciem simplici et inerudito sua quandoque contulere consilia, si docti quidem fuerunt, suam eruditionem, quasi meram inscitiam æstimarunt; si autem indocti, tales esse desierunt : sermo nempe tuus canon et norma disciplinæ fuit, et aspectus tuus gravis et dignitate plenus, levitatis et petulantiæ verber. Quicumque te aspexit, sua vitia damnavit; vitam quippe tuam omni labe integram esse animadvertit.

V. Præparationem cordis tui vidit Dominus tuus, utique ingenuam et candidam; agnovitque se a te unice dilectum, suamque gratiam rebus omnibus tibi esse potiorem. Non ille ut sæculi tui mores, sic tuos reprehendit, qui non ignoraret qualem te hactenus erga ipsum te habuisses. Euge, negotiator sapientissime, qui inter naufragia plurimorum

amplissimas collegisti opes, et de misero et luctuosissimo sæculo hausisti unde optima merce navim impleres! nunc vero quandoquidem post ærumnosam navigationem illa portum jam tenet, omnem felix nauclerus deposuisti curam.

VI. Dexteram, Pater, lapso porrexisti; te enim simili ruinæ obnoxium esse asseverans, præbuisti exemplum quo confirmatus se a lapsu relevaret, nec ipsum proinde puderet culpam fateri suam. His et hujuscemodi artibus Christo lucratus es fratres tuos, et opere complevisti dictatum a Spiritu sancto Jeremiæ oraculum : « Qui pretiosum » separaverit a vili, quasi os Dei erit [1]. » Quapropter ad tuum tumulum accedentes haud inepte consueta formula utentur : oratio tua nobis succurrat; pretiosam quippe in conspectu Domini esse mortem sanctorum, Spiritus sanctus Davidis ore canebat.

VII. Cæterum, etsi justos ingenti gaudio adventus conspectusque tuus cumulaverit, nos certe tui desiderium, ex quo decessisti, vehementer discruciat. Quanquam te cum Domino esse scientes, gaudio tuo nos quoque gaudemus : interim vero preces pro nostra salute et securitate intermittere non debes eo in loco ubi discipulorum tuorum oblivisci non potes; tui certe memoria nostris mentibus alte infixa est, nec ulla delebit eam oblivio. Indidem apprecare nobis ut charitate mutua conjuncti domi, externos bonis factis doceamus quæ a te didicimus; et discipuli exemplum imitentur illius qui fecit, deinde docere voluit.

CANON XXIV.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Saülis regis interitum David flevit, et occultam animi sui ægritudinem lacrymis patefecit; næ ego Davidem mi-

[1] Jer. XV, 19.

ror, tum quod vitæ suæ insidiatorem, ne insidiis opprimeretur, tutatus est; tum quod hostis planxit mortem, quando is suo liberatori vitam eripere meditabatur. Jam, etsi eam quam obivisti mortem vitam tibi peperisse credimus, eadem tamen optatam felicitatem tibi quidem attulit, nos contra gravi dolore oppressit; tui namque discipuli te amabant nihil minus quam Saülem et Jonathanem David. Sic suus Samuelem populus cum ingenti luctu funeravit: audierat nimirum tonitrua, vim precum ejus testantia; Altissimus nempe pura Prophetæ precatione flexus, insolito nubium fragore ejus dictis fuerat suffragatus. Si mors Josiæ regi laborum ac miseriarum quies fuit, ideoque nec lugendum fuisse putas, quis illa Jeremiæ suggessit: « Omnes qui justi» tiam colitis, viri fœminæque, Josiam mortuum lamenta» mini [1]. » Eliseum ægrotantem rex quidam invisit; ut autem ejus appropinquare mortem præsensit, lacrymatus est et ploravit, rogavitque ut pro populo oraret, non ignarus ejus preces esse maxime salutares. Annuit Propheta, et quibus valebat viribus et armis regis exercitum instruxit.

II. Josue filius Nun, cum a morte prope abesset, vitæ præcepta suis dabat, hæc plorantibus interlocutus: « Ad» estis, videtis, mihi quidem propinqua instat mors; vos » autem servate Legem, vos illa servabit [2]. » Eliam etiam ejus discipulus sibi raptum lamentabatur; quanquam certior postea factus quo ille provectus fuisset, ejus conspectum et auxilium reposcebat. In funere Lazari illa a Domino dicta legimus: « Hæc infirmitas non est ad mortem [3]; » inde namque innotuit ejus potentia, cujus spiritu cuncta vivunt, cujusque vox sepulcri, in quo tunc Lazarus jacebat, clavis fuit. Trium tunc oculi lacrymarunt, Marthæ scilicet, atque sororis Mariæ, et Domini: jam si is ex quo suspensa sunt

[1] 2 Par. xxxv, 25. — [2] Jos. xxiii. — [3] Joan. xi, 4.

omnia, extinctum luxit amicum, quisnam, si tamen mortuum amat, ejus obitum non doleat?

III. Interea tamen dum hæc suprema fratri solvimus, te, Domine, rogamus ut eumdem aliquando revicturum, iterum nobis repræsentes in regno tuo choris sanctorum adjunctum, in clara utique refulgentem luce, et gaudio lætitiaque exultantem. Et quoniam ne ad nos ille accederet, nostrasque inviseret ædes, intercessit acerba mors, ejus absentiam, confidimus, Jesus ipsius præceptor supplebit; hic nostras visitabit domos, suaque virtute communiet. — Etiam, Domine clementissime, pauperis servi tui memento, eique reddito mercedem suscepti in concinendis laudibus tuis laboris : item precor ut eo die quo meum agitabitur judicium, tua me complectaris clementia, ne si causa cadam, sanctorum obscuretur gloria; hos enim in hoc periculo meos elegi defensores.

IV. Qui mortalibus vitam tribuit, charitate, qua fervet, ossibus in tumulo projectis motum restituet; buccinam suo inflabit spiritu, qui vitali aura afflabit cadavera, inferorum valvas suo clangore recludet : hic orandus est ut mortuum Patrem nostrum jubeat ejus prædicare laudes, et nos una cum illo et sanctorum choris suave tantaque majestate dignum decantare melos. Appropinquat dies magna Filii Domini rerum, in qua mundum qui fecit innovabit. — Orate, fratres, ut commiseratione veniaque non indignus inveniar in eo quod meis actibus habebitur judicium : timeo, charissimi, illam sententiam, heu quantum terribilem! « Non omnis qui dicit, Domine, Domine[1], » eo intrabit ubi se sperat in bonis, nullo adjuncto malo, cum sanctis semper victurum.

[1] Matth. VII, 21.

CANON XXV.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Abeundi modo instat necessitas; abitum non timeo, accersitus a Domino, a quo confido coronam gloriæ mihi reddendam, nihilque proinde ad felicitatem defuturum. — Ab Angelis, qui te a nobis separarunt, ad beatorum sedes translatum iri te credimus, optatum Conditori offerendum munus : quapropter tibi beatum gratulamur exitum. Non ideo tamen de tua salute minus solliciti pro te vota suscipere absistimus; te autem, Domine, deprecari ut servo tuo tribuas cumulatam illam bonorum complexionem, atque illa maxime optata et expetita securitate in cœlo animum ejus tranquilles.

II. Clanget buccina, et tuba canet, eoque velut classico omnes mortales ad resumenda relicta corpora vocabit, etsi justi duntaxat nubibus invecti Domino occurrent, eoque ducente vitam inibunt perpetuis plenisque gaudiis beatam. Quin ergo te felicem ducam, quem manet in cœlo corona floribus conserta nunquam morituris? Istuc porro beneficium vitali illi voci te debere intellige, quæ cum inferorum locis intonuisset, cadavera perculit, et e tumulis excitavit. — Etiam, Domine, eo die quo tuba silentes ad judicium vocatura vastum clangorem fundet, dignare me congruentes tuæ Majestati hymnos tibi concinere.

III. — Flos eras, Pater, oppido quantum amabilis! mors te modo decerpit; Abrahamus patriarcha venientem effuso sinu excipiet. Cœli portæ patentibus foribus opperiuntur, ut ad æternam transmittant requiem et plenum gaudium. Vere æquum et justum est ut te, Domine, omnes quas condidisti res summis efferant laudibus, cui sic placet dissipatum Adæ pulverem undique colligere.

CANON XXVI.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Tuam, Altissime, bonitatem omnes mortales in animo et ore habere debemus, qui ad ima te demiseris, et homo factus, assumptum corpus mori, et a morte redire volueris, ut ejus contactu corpora nostra reviviscerent. Tuus nos, Pater, obitus vehementer afflixit, nec dolor is est quem tempus lenire possit. Nunc vero quisnam te nobis restituet locus, gloriæ columen nostræ, nostrique capitis corona, cujus colloquio aspectuque populus noster ovabat? Siccatus est fons illimis et purus qui placidis salientibus Ecclesiam nostram irrigabat; quid enimvero tua disciplina nitidius, quæ solis ad instar terras nostras sua luce exhilarabat? Quid charitate tua ad nostra commoda profusius, quæ nostrum nunc exasperat dolorem, et ante tum suis præceptis nos erudivit, cum statutis et ordinationibus rerum nostrarum statum composuit? Quid tuis adhortationibus efficacius, quibus ad ambiendam vitam immortalem nos inflammabas, et ad comparandum nobis ornatum cœlesti convivio non indecorum? Sed et optima exempla nobis in tuis moribus descripsisti, tuæque vitæ integritate nos adversus vitia obarmâsti. Inde, Pater, paratur felicitas tibi, nobis contra metus et gravis sollicitudo; quisnam enim tui similem nobis reddet, o speculum nostrum? Non quod jam tenes quæ beatam vitam efficiunt, eo offendimur; sed quod tibi nos affari posthac non licebit, quod abis, quod nos deseris, quod in oras remotissimas sis profecturus. Heu! quis exinde simili nos disciplina imbuet? quis nos vere pueros a vitiis timore pariter et amore frenabit, atque ad modestiam et pietatem informabit?

CANON XXVII.

IN FUNERE CLERICORUM.

I. Perii, nisi quid respicias, Domine; ædes fui beati viri, ipsius præsentia me mirifice decorabat, hic siquidem ejus citharæ cantus nostras mulcebat aures, ejusque sermo nos recreabat. Tu, Domine, qui afflictos relevas et sanas ægros, tuam, oro, mihi adhibeto medicinam; et quandoquidem ejus vocem audire non possum, tenui aliquo lucis ejus crepusculo lætifica me. Consolator optime, ne, quæso, vultum tuum avertas a me, postquam ab habitatore deserta sum : squalorem meum pax tua tergat; en oculi et manus secreta exploravere conclavia, renuntiant autem nusquam repertum beatum cujus gratia piorum me turba frequentabat. Aures item testantur ejusdem silentium, vocemque fuisse suppressam. Quis vulnus alligabit meum? Et quidem si ille me sublime extulit, utique etiam humi depressit; postquam hinc decessit mea securitas, incessit simul mea tecta pavor et horror. Ut extinctum vidi, ut obstupui, sustulit sensum, quæ abstulit decus meum mors. Conticuere sodales, quæ me beatam prædicabant, postquam occidit gloria mea; gaudium quoque fugit, subiitque mœror et luctus.

CANON XXVIII.

IN FUNERE PRINCIPUM ET DIVITIS CUJUSQUE.

I. Justitiam sepulcro assidentem contemplatus, rogabam cujusnam esset tumulus, quisve sepultus ibi putresceret; non enim, aiebam, id satis explicat informis, quam video,

ossium compactio. « Conditur hic, respondit, ex priscis regibus quidam opibus et armis rebusque gestis clarus : adesdum ejusque præsentem intuere statum. Pone jacet, vides, alter ; mendicus is fuit : summæ et infimæ sortis homines præ oculis habes ; alterum ab altero discerne, si potes. » Cum porro processissem ad ossuarii limen, occurrit prior mendicus fœde humi projectus : sordet caput telis aranearum obrutum, truncus jacet immobilis, exerti dentes, os cinere fartum ; ossa, suis exuta cæmentis, abierant magna ex parte in cineres. Ad hujusmodi sordes redactum hominem in sordibus natum non miror, mecum aiebam ; talis profecto non occurret rex, putabamque cum homine ejus dignitatis et amplitudinis, apud inferos non secus quam apud nos actum iri, ejusque proinde cadaveri plus honoris deferendum. Errorem tandem agnovi meum, postquam ad regis sarcophagum progressus, vidi fortunæ prioris altitudini successisse squalorem et nudam humum, odoratis unguentis graveolentem saniem, et omnem veterem gloriam consequente ignominia fuisse obscuratam, ut illud non regis corpus, sed fimus in sterquilinium projectus videretur.

II. Ingemui enimvero, et : O cæcam, dixi, mortalium superbiam, in quantam contemptionem te venire necesse est ! ut hominum conditiones variæ et dissimiles sint, et alter rex sit, alter mendicus, mors æquat omnia. Nemo itaque suis credat opibus, hic tandem relinquendis, vel bonis dominum hinc decedentem minime secuturis : nemo de eleganti et pulchra corporis habitudine et oris venustate superbiat ; res per se fluxa et fragilis sepulcro commissa, deflorebit et evanescet.

III. Infernum cunctorum viventium helluonem vidi fartum, nec ideo saturum ; quinimo, geminato mortuorum numero, animadverti ejus intendi ampliarique sinum, et

corpora quidem jam obtinet quorum censum extra eum qui illa in eum carcerem compegit nemo tenet : nec ulla hominum conditio, seu felix, seu misera, huic legi eximitur. Hinc processeram, cum apparuere conglobatæ cadaverum turmæ, plurimæ licet, discretæ tamen : omnes silent, non vox, non sensus manet; nemo quam ivit redivit viam, nec datur cuiquam sodalem inde educere ; nec conceditur regibus hic aliquid possidere, nec superbis se aliis arroganter anteponere, nec voluptuariis luxui vacare, nec avaris in quæstus et lucra incumbere. Regem condit humus et quod congessit aurum, pondus inutile terræ evasere ambo ; utque congregatæ opes hæredi profuturæ sint, domino certe suo, cum huc appulerit, prodesse non possunt. Sepultus jacet suo cum scelere sceleratus, in gehennam tandem detrudendus : justum excepit sepulcrum, uti ultima rerum humanarum linea, sic ærumnarum et miseriarum finis, ut aliquando ad beatorum sedes transmittat ; pauperem item spiritu secum una ferentem erogatas in egenos pecunias, ad similem sortem destinatum.

IV. Ossa potentioris simul ac tenuioris contemplabar, explorans uter sceletus compare venustior esset ; reperi pares. Nec sua formosos species sequitur, unde superbiæ et ostentationi suppetat argumentum : quos ante byssus ornabat, atratos in lugubri amictu prodire video ; quique pigmentis formam mentiri solebant, fœdum in modum deformatos, serpente tinea corrosos ac populatos oculos stibio ante renidentes : nec dissimilis luxuriosos tabes in sordidum retrimentum transmutarat. Superbi, quos gloriæ species deceperat, jam fumus et umbra erant; et ambitiosi, quos honorum splendor cæcaverat, despecti abjectique calamitatis spectaculum evaserant. Jam videre erat dominationem et primatum ambientes humi afflictos, et qui eruditionis famam captaverant, doctique videri affec-

tarant, jam nec mentis esse compotes suæ; opulentos, qui divitias, quas fugiendas esse sciebant, consectabantur, extrema inopia laborare, et obvio et facile parabili victu egere. Nemo hic pugnat, dissidet nemo; odia permixtis ossibus extinxit et sustulit sepulcrum.

CANON XXIX.

IN FUNERE PEREGRINORUM.

I. Quos infesti exercent casus, exemplum a me petant, meoque moniti infortunio discant patienter ferre quod exules, extorres et omnibus destituti subsidiis intereunt; dediscant contra divites copiosique fastum, suamque damnent insaniam amatores præstantium formarum, meo et sodalium exitu correcti; sed et delicias et oblectamenta consectantes intelligant in rebus humanis nihil non esse mortale et caducum. Sed nec leve tenent hic argumentum sapientes, unde eos pudeat sui Conditoris scientiam neglexisse; et formosi, unde suam redarguant levitatem, ut qui de naturæ dono, eoque precario et fragili, sese efferant. Castis præterea juvenibus insinuatur utile documentum, ut ex eo quo vident trepidare me metu, in timore Dei sibi perseverandum statuant; necnon virginibus, unde malorum impendentium præmonitæ sua pericula reputent, et assidue fleant. Quicumque ergo insanire nolunt, pro comperto habere debent, oram ad quam tandem nos omnes appellere necesse est, mortuorum esse regionem, in qua nos excipient cæca nox et inscrutabile chaos, quasi carceris custos atque loci domina mors, leæna cuncta circum pervadens ac semper rugiens. Catenati jacent promiscue cum plebeiis potentes quique, quorum corpora vermibus data præda putrescunt, sapientum ora silent, carnes mar-

cidæ in frusta dehiscunt. Juvenum cervicibus et virginum mors insultat, exedit toros et ossa, et omnem formosorum corporum speciem ac venustatem deperdit. Morti, quam dixi regionis dominam, astant carnifices; præses atque lictores æque immites sunt, nec illos tangunt ullæ miserorum querelæ. Immanissimi hujus regis militiam componunt malorum dæmonum catervæ, quorum opera genus humanum occubuit et perpetuæ servituti addictum fuit. Tentorium tyranno excitarunt sui apparitores, captis spoliis cum ipso simul ovantes.

II. Adami soboles prostrata draconem pascit, et in hunc detrusa carcerem ingemiscit infelix, alta ducens suspiria, et amaras profundens lacrymas, inutiles tamen, nemine miseris opem ferente. Commune fatum est, cui nec enimvero exempti fuere gigantes Sethi et Enosi nepotes, viri famosi; nec enim mors admirandam eorum proceritatem, nec immunem ab omni labe decorem reverita est, quominus humi dejectos protereret et perderet. At vero quam credas parem dicendi facultatem suffecturam carceris illius horrorem enarrare cogitanti? obsident quippe locum spectra eo intrantibus horrendum in modum infesta; mors et mali dæmones excubant ante fores, intus rabida serpit tinea, velut œconomus, corporum præcipue formosorum vorago. Me miserum, fratres, quo me mea præcipitavit sors! Meum flete et plorate casum, qui ocyus in sepulcrum detrudendus sum. Mortem jam video patulo ore in obvios quosque irruentem, suoque flatu rerum quantumvis pulcherrimarum formam extinguere, et sub humum velut sordida retrimenta detrudere. Quis dabit, fratres, veridicum nuntium, qui ab inferis redux ejus loci statum ac rationes nobis retexat, et mala quibus ejus compita redundant? Vestras, fratres, lugete clades, et communem familiæ calamitatem, quæ vos a charorum consortio avellet.

III. Interea, cum mors gaudio triumpharet, et victoria ferox exultaret infernus, portisque patefactis, omnium ætatum et sæculorum mortales promiscue intra sua viscera reconderet, nec secus ac immitis tyrannus in bonos et insontes sæviret, adeoque nec viris sanctissimis parceret; accidit ut et illum ex se Sanctum et ingenua virtute insontem raperet, sibique ipsum subjiceret qui vere fortis et potens est, atque ad propria septa caligine atra opacata raptaret, ibique deponeret : atenimvero retinere non valuit; Rex quippe fortissimus, triumphali cum pompa inde emicans, mortem invasit, et in sua sede profligavit, mox etiam in vincula conjecit, carcerique sempiterno addixit. Vilissimum insuper latronem generi humano perpetuo insultantem comprehendit et proculcavit, extirpavitque infernum omnium mortalium helluonem, et corporum sacrorum corruptorem. Malos dæmones voce tremefecit, loca tenebrosa concussit, mortisque acies cum suo duce profligavit. Clade accepta, mors ululabat, et infernus longe lateque per loca horrifico clamore resonabat.

IV. Irrugiit enimvero catulus leonis, et portas tartari contrivit, corruerunt muri deliciis affluentis et opulentæ arcis, ejusque occubuere fortes, statim ut Christus aquila præpotentis Dei soboles divina tonuit voce. Mors attonita stupuit, submisitque caput superbus qui divinitatem ambivit; Christus perditionis increpuit auctorem et dejecit prostravitque perduellem. Adamum inclamavit cæco in carcere tabescentem, vinculisque exemptum ad pristinum honoris gradum revexit : « Infelix Adam, ubi jaces, qui conjugis consiliis deceptus corruisti ? Agedum facesse isthinc vere Magni magna imago, accede et vide mortem et Diabolum jam occubuisse, et draconis contritum caput. Adesto et lauda Patrem per Filium, et Spiritum per Unigenitum, cujus gratia soboles tua extincta reviviscet, in

cœlestibus sedibus vitam auspicatura immortalem. Euge, formose Adam, divini Patris manu formatus, en patrium solum te opperitur paradisus, et hortus deliciarum, miseriarum tuarum principium, ubi prius collocatus inde ejectus fuisti. Ingredere patefactum ad immortalitatem aditum, sequantur nati et nepotes; huc nempe vocat, qui ab initio de luto finxit. Paradisi nemora hucusque tuum luxere casum; reddita jam forma decorus, imperio assuesce tyrannum qui corpus tuum misere dilaniavit; ovans et exultans irride, proculcato caput draconis tuam sobolem vorare molientis.»

V. Protoplastus Dominum venientem conspicatus assurrexit, et accedens pronus adoravit salutis suæ Reparatorem, qui cœlo ab alto se demiserat ut ipsum perditum requireret. « Adoro te, Domine, dixit; ego et nati mei mecum, beneficium agnoscimus quod veneris et lapsos sublevaveris. Te Deum, Dominum et Salvatorem nostrum confitemur, testamurque tua nos gratia liberatos a morte, quæ diu multumque corpora nostra vexavit et lusit. Rogamus te, Domine, ne in his locis nos deseras, neve committas ut immanis ille tyrannus, qui nos ante occidit, in posterum lacerare pergat : supplices exaudi nos tu, qui vita et lux nostra es; utque nos omnes tua benignitate condidisti, sic tua clementia fove. Equidem olim in Paradiso, statim ut vox tua meas pepulit aures, latebras petii, qui essem nudus; cum autem inde ejectus, extorris et omni ope destitutus æger jacerem, simul ac illa insonuit, languentem excitavit et erexit. Ego vero parem pro beneficio gratiam habere nunquam potis ero, tum quod mihi captivo libertatem asserueris, tum quod mortuo vitam et gradum restitueris pristinum. Tantam profecto in me liberalitatem nunquam non testabuntur omnes posteri mei, prædicabunt utique semper te nostrarum depulsorem calamitatum, generisque nostri restitutorem. Tibi igitur tribuatur laus in

cœlo, quod tuo numine a principio exædificatum est; tum in terra, quæ te jubente e nihilo emersit : mundus universus æternam et ex se existentem naturam suspiciat et prædicet. » Etiam, Domine, omnium ora te laudent, laudabilis quippe tu es solus.

CANON XXX.

IN FUNERE PATRISFAMILIAS.

I. Indictus singulis mortalibus hinc emigrandi dies a vestro convictu actutum excedere me compellit, et in diversorium concedere amplissimum ad inferos usque porrectum. Missus a Judice lictor, priusquam ejus adventum præsentiscerem, inopinum corripuit; cumque supplex flagitarem ut discessionem sustineret tantisper dum propinquis dicerem postremum vale, rejecit supplicantem, quin et munera offerentem : Angelum namque eum esse mortis nuntium necdum compereram, scelestis nimirum maxime infensum; sed opinabar quempiam esse ex genere mortalium, atque proinde, si non precibus, certe donis flectendum; ut autem mox intellexi inferni carceris esse custodem, continuo saluti desperavi meæ; aspectum enimvero expavi, exhorrui vocem, pavor et horror animum et corpus perculit et perturbavit : sic articulos a sua sede movere cœpit, artus ab invicem divellere, et corpus et animam collidere, absciditque stamen a telario, ac telam convolvit et abstulit; citharæ nervos concidit, suppressitque cantum; arborem vitæ extirpavit, et poma cum fructibus perdidit; loquelam linguæ abstulit, ademit oculis lucem, lucernæ lumen solvit in fumum; oris forma defloruit, et corpus in cognatum pulverem, sicut scriptum est, rediit.

II. Has inter deprehensus angustias, quid agam, charis-

simi, equidem non expedio. Ecce me mei dereliquerunt quæstus et opes tanto cum labore collectæ, ut hæredibus utiles futuræ sint, nil certe mihi, sat scio, in posterum profuturæ : amplissimas ædes, tum æstivo, tum hiberno tempori opportunas ego ipse construxi, quem hodie mors in tenebricosum carcerem compinget; neque ex tanta rerum copia quidpiam me hinc abeuntem sequetur præter vitæ præteritæ meæ malefacta, viæ quam ingredior impedimenta : si quid in bonis habui, alius deripiet herus, mihi mea peccata relinquens : utinam, quemadmodum prædia quæ possideo deserere compellor, sic quæ meam conscientiam onerant noxas deponere liceret; et sicut a mortalis vitæ oblectamentis invitus nunc abesse cogor, sic a meis vitiis ante remotus esse voluissem ! Qualem esse dices divitis laborem, qui suas non sibi collegit opes, ad alienam quippe brevi venturas manum, et veterem dominum inopem nudumque relicturas? sic utique meam alii substantiam suam facient, mihi vero viam longissimam ingressuro viaticum etiam negabunt affines quicumque, et maxime propinqui, meque tanquam extraneum nec ad ipsos ullatenus attinentem despicient.

III. At vos, filii, quo vos, amisso parente, vertetis? quis vos impuberes educabit, quis alet orphanos? hodie namque meo exitu domus diffissa est, vosque facti estis pullis similes a matre relictis. Ad vos itaque, cognati et amici, supplices tendo manus, ut sanguinis et veteris necessitudinis memores, meas in hac parte vices suppleatis, et pupillorum tutores et curatores facti, castra a suo præfecto deserta defendatis. Attendite, quæso, concionatorum monita, Spiritus sancti oracula reveremini; utraque nimirum pupillorum et viduarum curam summopere commendant. Pii auditores, exaudite precantem, afflictum sublevate, et

quæ peto diligenter perficite; confido equidem fore ut pro præstita mihi ope misericors ille vobis aliquando in simili statu constituendis propitius adsit, et succurrat eo die quo præmium pro bene factorum merito soluturus adveniet. Sed et vos, charissimi, iterum obsecro moneoque, ut quieti sitis, et mansuetudinem et misericordiam colatis : sapientum consilio obtemperate, quæ animæ utilia sunt satagite. Serio attendite, et considerate amplas quas ex mea negotiatione collegi divitias, quomodo ex his ne pilum quidem extra maleficiorum meorum sarcinam meum ad tumulum importem. Vos autem mea desideria, meo ex obitu conceptum mœrorem facessite; supremus namque Pater res vestras curabit. Præpotens illa vis, quæ patriarcham Joseph profugum comitata est, et exulem aluit, eadem, confido, pro sua immensa liberalitate vobis prospiciet et alimenta subministrabit. Quare vos viscera mea summo illi omnium viventium Parenti, cujus mente mundus regitur, cujus benignitate consulitur generi humano, etiam atque etiam commendo, ipsumque rogo ut vos afflictos recreet, et si qui infesti casus inciderint, præsenti suo numine relevet. Crux Salvatoris, nostræ salutis caput libertatisque pretium, domum cum suis habitatoribus custodiet, spero, et vos salvos atque incolumes præstabit.

IV. Reliquum est ut ad vos, sacerdotes sancti et omnis ecclesiasticus ordo, supplex me convertam, vestramque obsecrem fidem, ut Dei nostri misericordiam mihi exorare satagatis, quatenus me sinu Abrahæ dignum efficiat, et ad optatam securitatem et expetitas beatorum sedes cum Lazaro mendico me transferat, atque a divitis contubernio separatum, incendio quo ille crematur eximat : membrum utique vestrum sum et ex baptismo frater, mei proinde memores, meorum pupillorum curam suscipite; quoniam etsi

ego vos prope relicturus, gratiam pro beneficio referre nequeam, Deus, cujus maxime propria est beneficentia, quod ego debeo, vobis in regno suo liberaliter rependet.

V. Postremum, quia vehementer timeo ne, postquam sepulcro illatus fuero, arguar reus orbitatis meorum, meque meis illam accersivisse malefactis, quod unum mihi relictum est, te, summe Deus, invoco, qui Prophetæ ore illa locutus es : «Relinque pupillos tuos, ego faciam eos vivere[1].» Fer opem mihi et natis meis prospicito : et quandoquidem morti mandasti ut a filiis meis me separaret, misericordiæ tuæ, communi omnium viventium matri, illorum curam committe, meque, sicut olim Latronem miseratus, ad te prope venturum benigne excipito; natos, quæso, meos ne in orbitate sua tua providentia destituas, accepti beneficii nunquam non memores futuros.

CANON XXXI.

IN FUNERE MATRISFAMILIAS.

I. Hevæ exitum cum aliquando animo revolverem, stupui factum, exitium ingemui : mox cum eamdem in mortis et vitæ confinio constitutam contemplarer, et ascripta divino decreto hora e corpore divulsam, hæsi enimvero attonito similis, inde alta ducens suspiria : Utinam, dixi, in censum filiorum ejus nunquam venissem, mors forte modo non me turbaret, nec migrationi præstituta dies tristi sequentium malorum expectatione me suspensum teneret. Hevæ namque crimen est, quod omnes morimur; ipsa viam morti prima munivit : quid ergo profuit quod Adæ adjutorium data fuerit? imo quantum nocuit, quod natos suos morti fecerit obnoxios, totique indixerit posteritati

[1] Jer. XLIX, 11.

inevitabilem hinc migrandi horam! O lacrymabilem tuum, Heva, interitum; o infaustum qui te sustulit, diem, in quo velut in exemplari repræsentantur omnium mortalium funera, et longa mortem præcedentium calamitatum series! Sic generis nostri parens facta est laqueus mortis cum viveret, luctus argumentum cum moreretur.

II. In mortis itaque articulo constituta mater turbam filiorum ac nepotum, sororum et sodalium ad funeris exequias convocavit maximo cum animi dolore atque mœrore; qui cum convenissent frequentissimi, et circumfusi lectum obsiderent, illa confertam charorum catervam circumspectans, diu flevit, mox cœpit illorum orbitatem lamentari sic, ut simul etiam exasperaret dolorem: « Quid faciam, filii, dixit, jam præsente lictore, et ulteriorem hic mihi prohibente moram? Eheu! quis me hinc invitam excedere jubet, et repugnantem a charissima prole divellit? Mea desideria, mea viscera, quis nos ab invicem separat? siccine compellor relinquere quos inter tot ærumnas tanto cum labore alui, ratumque est ut posthac vestra consuetudine caream? Concesso virginibus honori vestri gratia ante renuntiavi, et nunc postquam facta sum mater, de suscepta prole gaudere prohibeor. Oh! quis mihi præteritos viridis juventæ annos restituat, sic ut liberis simul et culpa carerem, cælebs, sed innocens? vel quis mihi tribuat tales vos cernere, quales suos Semone suspexit natos[1]? Heva donum exitiale dedit, cujus syngrapha tanquam pro fœnore reposcit suscipientis interitum: o vitæ parentem, quæ natis suis peperit interitum, concepit, peperit et enixa est simul superaggeratis ærumnis, et miserrimo exitu eosdem tumulavit! Si mortem utique non introduxisset, nec sane in partu ipsa doluisset; doluit tamen, quia nati culpa ejus moriuntur. »

[1] Machab. VII, 20.

III. Ecce autem filia Hevæ diem mortis nobis moriendo rememorat. Superstites nati ad matris funus de more vocati, convenere, nactique cum morte luctantem, his compellant vocibus : « Mater tuorum amor natorum, oh! quæ te a nobis infesta avellit vis? habes hic tuorum filiorum catervam, vocem tuam audire cupit, oculos attollito, et circumspice charorum tuorum turbam; circumfusi lectulum ambiunt, teque dolentes inclamant, uti sponsum extinctum thalamo viduata conjux. Quid obticuisti et nihil respondes, mater? an forte tibi loquendi facultatem ademit mors? Age, porrige manus, tende brachia, ultimos dato amplexus gnatis, et suprema infigito oscula; quos cantare solebas modos, sic tuis negas infantibus, en projecti provolvuntur humi. Ubi nota erga prolem charitas? quid ita cessarunt solita hilaris vultus sermonisque blandimenta?

IV. » Porro si rebus es sublata nostris, dicito, quis te nunc detinet locus? quo te inveniendi spe tendamus iter? pullos tuos nos esse puta, eo convolabimus, magnam laboris mercedem laturi, tuo ad quantulumcumque temporis spatium beari conspectu; quandoquidem domum intrantibus jam nihil præter squalorem et luctum occurrit, ipsi parietes dum tuas enarrant et laudant ordinationes, conceptam de tuo obitu mœstitiam exaggerant. Heu! quis tuas, te subducta, ædes desolatas reliquit, luctuque implevit et questubus? quis casus tuum interrupit iter, et per cæcos tramites extra viam vagari cogit? vel quæ procella a nostro convictu abreptam procul abjecit? Natos, mater, exaudi clamantes, plorantes aspicito : medere quod moriens tute intulisti vulnus.

V. » Ecce autem tuæ te sodales reposcunt, repetunt nimirum veterem necessitudinem, mœstæ tuum nomen ingeminant; nec tamen ut ante licet nunc audire, cum natura jubente taceas. Inde lacrymæ, gemitus et mixtæ sin-

gultibus querelæ. — O nos miseras, exclamant, quid te, chara soror, obmutuisse cernimus? quidni tibi liceat tuas affari sodales? tuus ecce vacat in nostro consessu locus, postquam tibi inter nos versari et nobiscum agere deficiens natura vetat. — Heu! charissimi, quid faciam? cedo, cum mors a vestro me consortio abigere obstinet, et vestra in posterum consuetudine carere cogat Angelus mortis? is scilicet violentus insiliit in ædes, meque nec opinantem corripuit et abduxit : inexorabilis est, nec preces attendit, nec obsecrationes reveretur, nec flectitur lacrymis, nec lamentis commovetur; ad munera non respicit, aspernatur aurum; matrem a prole divellit, orphanos relinquit natos; formosos non miseratur, fortibus non parcit; labefactat formam et luto fœdiorem facit, oris gratiam corrumpit, et omnem corporum statum ac venustatem confestim perdit; oculis visum adimit, auditum auribus; fucum et pigmenta in sordes transmutat, muliebrem mundum pulvere contectum proculcat, ora questubus implet, et vocibus dolorem miscet.

VI. — Vide hæreditatem quam nobis Heva mater moriens reliquit, syngrapham nominum percurre, supputa quantum mors exiget fœnus. Contemplare ædes quas nobis architectata est mater, sepulcrum videlicet, tenebras et supplicium : en thalamus quem suis Heva rea mater filiabus construxit et ornavit, et thorus quem illa stravit composuitque, cadaverum humandorum feretrum id est : en via quam munivit interdictam viventibus, dum vita manet; en semita quam aperuit, filios extinctos ad sepulcrum ducentem. — Videte, quæso, sodales, et expendite quæ ego lucra ex longa vitæ meæ negotiatione reportaverim? nulla sane, præter peccata et maleficia, tenebricosum carcerem et ardentem rogum, sequaces et horribiles pœnas. Cultus, munditiæ, ornatus ecce jacent, armillæ torques;

et mundum omnem meum detraxit mihi mors, cui enimvero ornamenta non placent : et illa vestium magna supellex, pertinaci labore parata, mihi jam nulla est; confusus et impexus capillus, heu! quanti laboris et quantæ industriæ opus, ut modo in cincinnos certa lege dispositus cumularetur in aggerem, modo per intervalla contortus cubaret ad humerum.

VII. » Dispereat mundus, a quo infelix decepta sum, priusquam ejus fallacias cognoscerem. Veterator callidus cavit ne decretam mihi ab ejus tectis discessionem subodorarer, nec ego unquam præsensi futuram rerum ejus conversionem, illumque post generalem totius naturæ dissolutionem perpetuo obruendum silentio; nec incauta prospexi lutum quod mentita forma me fallebat, hic remansurum : et utinam una cum illo remanerent, quas mihi allevit, labes! Florem credidi pulcherrimum, quales fert plures ver novum, nec reputavi consequentis æstatis ardore siccandum. Pubescentis juventæ specie quasi objecto flore me mundus inescavit, inque suum rete pertraxit. Auri argentique pondera tanquam electa frumenti grana proposuit, ea esca quasi stolida avis capta fui; quas mihi congessi opes, quasque assectando diu erravi, mors abstulit, spemque omnem et consilia pervertit : oris decor et amœnæ gratiæ genius, illa comparente, evanuerunt. Formam, fateor, artificio misera colui, naturam fuco oblitam exterminavi, ingenium levitati vendidi; subducta sunt omnia et velut lutum profligata et perdita. Juventus illa amoris illex, dulcis et blanda adolescentia, mortis ambæ subiere jugum, utraque simul in sepulcro deposita. Femina omnis cui elaborata placet vestium concinnitas et quæsita pulchritudinis lenocinia, ad me, cedo, respectet; suam, credo, levitatem erubescet: quæve gemmarum copia cultusque luxuria superbit, vel sibi placet de oris venustate et eximia corporis specie,

in meo cadavere rerum humanarum caducitatem relegat et defleat; simul discat brevi casura omnia quæ adolescentem deceperunt, et juvenem fecere superbum; ducta namque rerum nostrarum ultima linea, cuncta dilabentur, humoque obruta in nihilum tandem recident. Oh! si feminæ quæ fugientem formam insequuntur et errant, munditiasque insaniunt, nunc mihi morienti adessent, profecto resipiscerent, quæque tanti faciunt plane despicerent. »

VIII. Morti nulla potestas eximit mortales, nec vis ulla subtrahet sepulcro; non fratres, non parentes, non circumstans filiorum corona, non familiæ splendor, non generis claritas, non propinquorum vel amicorum numerus, non aurum vel argentum, non oris aut gemmarum nitor, non cultus et ornatus, non ampla vestium supellex, non fucus et pigmenta, non dona vel munera, non pecuniæ vel prædia, non dignitas vel honores : cuncta hæc usque ad tumulum, quo cum ventum fuerit, rejiciuntur tanquam extranea, neque loco neque statui congruentia. Mortuis sane non prosunt lacrymæ et planctus, non luctus, non lamenta. Virtus, quæ vitæ fuit socia, mortis comes erit. Fusæ preces et erogatæ pecuniæ morientes non deserunt, et in orthodoxa fide constantia arma etiam ministrabit.

IX. Interim cum lacrymis et precibus ex pio dolore profusis pro defuncta oremus. Suscipe, Domine, pro tua clementia spiritum ancillæ tuæ in pace, et pro tuarum miserationum magnitudine inter sanctos et electos constitue, ejus peccata dimitte, relaxa et ignosce; non intres in judicium cum illa, neque memineris erratorum ejus; et quia in manus tuas commendavit spiritum suum, hunc, quæsumus, tuæ crucis signo tuere et protege; et quia invocavit te in die mortis suæ, audi et exaudi vocem deprecationis ejus. Junge illam choro sanctarum virginum, ut suos illa cantus cum earum cantibus conjungat, et laudet

te, qui laudandus es semper a vivis et mortuis in sæcula. Amen.

CANON XXXII.

IN FUNERE MULIERUM.

I. Lacrymis madent oculi, tristia obstrepunt auribus nuntia, tumultuantes cum lacrymis questus os exagitant, cor opprimit mœstitia. Tu, Domine, clade me miseranda obrutam, supplicem, undique afflictam, in statum unde dejecta sum restitue. Heram hic dies expulit, domus idcirco tota jacet squalido turpis situ. Tu, Domine, offusas tenebras dissipa, et perturbatum rerum ordinem repone. Ejus obitus ædes nostras gemitibus quassat, parietes ipsos mœstitia et squalore obduxit. Lux tua, Domine, hanc precor dispellat noctem. Sic mortalis quisque intra diei unius spatium oritur et moritur; quæ enim sequitur vitæ usura, pœna est, ejusque finis etiam familiæ luctum parit. Hinc porro multum habes pro quo gratias agas supremo vitæ mortisque Arbitro, quod hanc mulierem ærumnis luctuosissimæ vitæ subduxerit.

II. Sepulcrum, quod omnium retro sæculorum mortales hausit mortuos, hujus feminæ corpus etiam corrumpet, et in pulverem solvet; inde tamen illud tu, Domine, ad vitam et pristinum decorem revocabis. Mors illam e suis raptam ædibus extulit, domicilium mutare compulit, et posthac habere sepulcrum, donec generali mortuorum restitutioni indictus illucescat dies. Sic animus e corpore excessit, corpus in cineres abibit; utrumque te jubente fit: animum et corpus vetustate sublapsa, tu, Domine, restaura.

CANON XXXIII.

IN FUNERE MULIERUM.

I. Justorum et sanctorum Dominus es, et munificus recte factorum remunerator; suscipe, precor, ancillæ tuæ spiritum, et ad supernas beatorum sedes transferto, ubi sancti tui ævo sempiterno fruuntur. Etiam tuam, Domine, famulam hoc dignare, precor, amoris tui munere, ut eo die quo te cunctis, superis inferisque, conspiciendum dabis, in tuo læta gaudeat conspectu. Ecce, tuo numine deducente, ad extremam ætatem pervenit; reliquum est ut in die adventus tui clarificatum ei corpus restituas. Æquissimus Judex, qui malefacta punit, tuis, soror, recte factis præmium minime negabit. Ille bonus, cujus gratiam rebus omnibus anteponendam putasti, bono certamini tuo coronam reddet, corporis tui labores jucundissimo animæ tuæ otio compensabit. — Non parva mihi emetienda via est, cui æternum imperatur iter; orate Deum ut ad domicilium mihi paratum feliciter perveniam. — Charissima, hunc facesse metum; via quam asperam credis, talis certe non est, quia Justus ille, qui te accersit, idem complanabit salebras, teque incolumem, quo tendis, perducet.

III. — Vehementer, sodales, timeo severum judicem Deum, quia in omnia acta mea subtiliter inquiret; nec vero ignoro illum intima cordis arcana latere non posse. — At tu, quæ justitiam hactenus coluisti, Justum certe timere non debes; ex eo enim quod didicisti omnia arcana ipsi explorata et comperta esse, colligere debes eum non ignorare quis fuerit tuus in agendo scopus; quem quia rectum et sincerum fuisse comperiet, recte deduces mercedem in centuplum supra meritum auctam, tibi ab illo reddendam

fore. — Gaudeo dictum, attamen vos precor, omnes sodales quas amoris vel sanguinis vinculum conjunxit, vosque meos item antistites, patres et dominos, vota votis nectite, et manus ad cœlum supplices tollite; poscite pacem sorori quam a vestro consortio æternum dirimit divortium. — At tu, quæ petis nostras pro te preces, tuas vicissim pro nobis reponere memento. Pia es, nec te pigere debet pro populo nostro orare, qui a te modo separatus, tua utique consuetudine posthac frui non poterit, nec ex tua ingenua et modesta familiaritate, quam solebat, capere utilitatem. Tuas enimvero vigilias, jejunia, preces, et perpetuum virtutis studium nostrum dum reputat populus, repente tuo convictu destitutum se maxime dolet, ingemiscit, et plorat.

III. — Nostram in Domino, si sapimus, spem collocare debemus; ejus fides neminem fefellit, ipse dixit : « Qui *honorat* justum in nomine justi, mercedem justi accipiet [1],» nec fiet unquam ut proposito præmio fraudetur. Et ego quidem justitiæ meæ minime confido, nec mihi ex meis benefactis aut ab alio quovis præsidio securitatem arrogo ; quippe cui ratum est a tanti Promissoris dicto unice pendere : nec dubito quin mihi vobisque datam liberaturus sit fidem, vestrumque in me studium remuneraturus sit, et ob exhibitum sui gratia mihi utique non merenti honorem, vos ubique incolumes sit servaturus. Vestris, precor, cœlitum chori conspirent cum vocibus, oraque vestra vocent ad similes modos, pro eo quod cantibus divinitus inspiratis meas honestatis exequias.

IV. Sed et te, mi Conditor, obsecro et supplex obtestor, ut, quamvis ego in multis peccaverim, nec proinde quod peto impetrare digna sim, præsentia mea vota suscipias, et cum sis bene factorum remunerator, nostrosque idcirco

[1] Matth. x, 41.

labores ampla mercede compenses, stipendiaque strenue certantibus liberaliter solvas, simili munificentia rependas gratiam quam debeo ædi quæ me excepit ac tumulavit. Sorores, prætera, a quarum convictu divellor, quos eis reddere nequeo, suscepti pro me laboris fructus, a tua, quæso, charitate referant uberrimos, ut talibus ornatæ donis, magno illo die adventus tui tuum ad regnum te revertentem exultabundæ sequantur. Hoc interim quotquot adestis vobis opto precorque bonum, ut illa Filii Dei verba aliquando audiatis : « Venite, possidete regnum[1],» quod omnibus sanctis meis paratum est. Vestras nimirum vigilias, quibus diem cum nocte conjungere soletis, et puras preces Sponsus cujus famulatum fideliter et caste coluistis, confidite, placidus et volens accipiet, votaque vestra multiplicabit. Sed et hanc pro meo in vos studio mihi, precor, vicissim vestris precibus impetrate gratiam, ut in portum æternæ pacis invecta, illic omni soluta metu conquiescam.

V. Ecce autem vector meus, celeri pede impetratum emensus iter, huc appulit, meque nec opinantem corripuit. Nec jam mihi templum adire licet, aut ejus limina terere, aut vestris interesse choris, quosque solebam modulari cantus : me mors improvisa cepit, et a vestro convictu avulsit. Cinyræ meæ conticuit sonus, meæque citharæ succisi sunt nervi, et corpus exangue omnis destituit sensus : anima evolavit, et quod hactenus tenuerat domicilium dereliquit : corpus exanimatum squalet, habitatore qualis deserta domus. Postremum oro, mihi meorum veniam peccatorum a summo Judice depostulate ; nam, etsi in multis deliquerim, fidem tamen non negavi.

— VI. Confide, soror, Angeli pacis tibi venienti occurrent, Christi ancillam te agnoscent et salutabunt, et quoniam satis perspectam habent præstitam ei a te servitutem, in

[1] Matth. xxv, 34.

hortum deliciarum sursum te levabunt; illic justorum et sanctorum sociata choris, in perpetuæ lucis regione ævo sempiterno frueris.

CANON XXXIV.

IN FUNERE JUVENUM.

I. Omnibus quidem mortalibus æqualis impendet e vita exitus, admodum tamen molestus et gravis iis quibus viridis arridet juventa. Tu, Domine, meum relevato dolorem. Adest funeris dies, qui perpetuo nuptos separat divortio, et choreas et cantus in planctus et nænias vertit. Tua, quæso, misericordia famulos tuos ad nuptialem in cœlo cœnam perducat. Quæ te, frater, in hanc etidum lucem vita excepit, continuo laboribus addixit, multisque implicuit curis; te nunc mors ad tumulum vocat : « Cessa, clamat, miser, respira, quiesce, habetoque gratiam ei qui, quando vitam ademit, tibi hoc otium fecit. »

II. Cum venerit felicis et miseræ vitæ finis qui juvenem componit ad tumulum et adolescenti exequias parat, tuis, precor, famulis præteritæ vitæ ærumnas futuræ gaudiis compensa. O juventus senum corona, quis tuum decorem extinxit? quis vernantem pulchritudinis tuæ florem repente siccavit? Te tamen meliora manent fata, Frater, cui regni cœlestis et æternæ felicitatis sors destinatur. Et tu quidem exulta, fleant contra senes tuo destituti obsequio. Baculi scilicet juvenes sunt, effœtos annis vetulos sustentant. Tua, Domine, gratia præsidiisque nixi enitimur ad te.

CANON XXXV.

IN FUNERE JUVENUM.

I. Tristis nefasta dies oculos ad lacrymas vocat, manus ad planctus, os ad gemitum. Tu, Domine, luctum solare meum. Plurimos illa cogit ad fletum; quotquot funerandi juvenis tectum ingrediuntur, vel inde decedunt, pleno ore plorant. Tu, Domine, promissæ beatitudinis spe nostrum depelle mœrorem. Jura dissolvit jugalia mors, et pro thalamo ecce tumulum parat. Tuis, Domine, famulis præsta, quam justis præparasti, cœnæ nuptialis jucunditatem. Naturam mors solvit, unde exanime corpus Arabia magis ante odoratum, nunc graveolente tabo aspersum putet. Tuum, Domine, famulum æterna felicitate donatum, cœlesti etiam claritate illustra.

II. Mors, grave malum, omnes provocat ad fletum, et loca omnia implet luctu. Tuum, Domine, tribue nobis videre diem. Mors quidem membra dividit a corpore, a fratribus et propinquis morientem disjungit; illa tamen tuum, Domine, coagmentabit et restituet numen. Quo die parentes mori contigerit, et a suis abscedere natis, et orphanos orbosque relinquere, tu, Domine, pupillos paterno præsidio destitutos, nostris occurrens precibus, educabis et nutries, vesties et ornabis. Quove die mors fratrem a fratre dirimet, numerusque minuetur, atque digitorum compactio dehiscet, tuo, precor, munere fiat, ut rato tempore funestus coëat hiatus. Quo die, conjuge mortuo, casta manebit vidua, huic, oro, tribue illum cœlo locatum revisere.

III. Veniet dies in qua amicus ab amico separabitur, qualis taurus jugalis a jugo dimissus a socio disjungitur: tua, quæso, charitas mutui inter eos amoris redintegre

nexum. Lætitiam attulit parentibus tuus, charissime, natalis dies; funebris tuis filiis mœstitiam ecce parit. Confide, in æterna felicitate sanctorum illi te tandem revisent.

CANON XXXVI.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Amabilis puer, quem gratia in utero matris formavit, ut vidit lucem, ut insiliit acerba mors et æstu infestiore quam solis esse solet, vernantis floris folia decussit, caulem arefecit, ramos siccavit. Obitum flere tuum vereor, qui didici te a Filio Regis ad supernæ lucis adyta fuisse deductum. Natura quidem tuo, fili, fato illacrymari cogit : ego vero dum recogito te ad regionem beatæ lucis translatum, cavendum mihi video ne Regis aula profano polluatur luctu, tum ipse arguar audax et impudens, qui lætitiæ regiam atratus et lacrymans intraverim. Quin ergo meliore consilio puram hostiam offeram, et ad hilaritatem animum componam.

II. Tui quidem cantus, chare puer, meas ante mulcebant aures, meque vehementer delectarunt; suave melos quod olim fundebas memoria adhuc retineo, et verba recordor. Quanquam dum cor illa repetit, mens ad superum evolat choros, et audit admirabunda cœlites tecum canentes triumphale carmen Hosanna.

CANON XXXVII.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Oh! quam amarus est luctus in funere puerorum! Proh! quam molestum matribus est a suis infantibus di-

vortium! Tu, Domine, paternis ejectos ædibus excipies, spero, et orphanos educabis. Hic dies parentibus filiorum interitu luculentam plagam inflixit, abstulit, fregitque senectutis baculum; tua illos, Domine, oro, charitas sustentet. Idem unicam prolem matri rapuit, brachium scilicet amputavit, et reliqua debilitavit membra; tu, Domine, obsecro, ablatas restitue vires : natum a matre divisit, eàmque mœstam ac desolatam reliquit; tu, Domine, ejus orbitati prospicito, medere dolori. Infantem ab ejus sinu avulsit mors, plorat illa amissum, sibique occultatam ejus præsentiam queritur; hunc, Domine, precor, mater tua revisat in aula. O beatos pueros, qui sanctorum felicitatem adepti sunt! o miseros senes, quos inter ærumnas luctuosissimæ vitæ mors protelata reliquit! Tuam, Domine, parentes deserti, undique afflicti, deposcunt opem.

CANON XXXVIII.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Huc, fratres, animum advertite, et considerate ubinam hodie sitis, et qualem crastinus dies vobis daturus sit locum : enimvero qui heri linguæ usu pollentes compte ac fluide nobiscum sermocinabantur, hodie in tumulo depositi silent. O vos beatos, quibus præsentis diei cura futuræ memoriam nunquam ademit! Comparate utrosque; dieculæ viatores esse comperietis, quibus cum nullum statutum sit in via diversorium, alii alios prævertunt, et ab invicem separantur. Næ ille beatus qui, ut se Domino jungeret, a turba secessit! Cum nos aliquando mors confabulantes audisset, consultantesque ubinam futuram æstatem commode transigeremus, vel quænam nobis in imminentem hiemem esset paranda domus, continuo in singulorum

dexteram involavit immitis partitor severe denuntians se nos omnes ocyus in remotissimam ab hinc regionem deportaturum. Beatum merito prædicamus qui se mortalem esse recogitat.

II. Frater fratris manum forte tenebat, insiliit media inter utrumque mors, et quasi geminorum membrorum compagem dissolvit et distraxit, fratrem a fratre divulsit. Quem tu illo feliciorem finges qui se a cunctis divisit ut Dominum sequeretur. Mors fortibus vitam eripuit, proceram corporis staturam curvavit, membra quatefecit et labefactavit, humile bustum ante fores aperuit, eoque illata cadavera deposuit, et præteritam eorum amplitudinem et decorem tumulavit. Profecto laudandus ille est qui mortalium superbiæ Elisei sepulcrum objecit, et falsæ gloriæ umbram consectantes pudore confudit. Irrupit in thalamum inopinata mors, novas nuptas sustulit, jugalem torum vacuum reliquit; continuo epithalamia in nænias defluxerunt, et choreæ in planctum. O fortunatam natam virginem cui datum est procul a consorte uni vacare sibi!

CANON XXXIX.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Adestis, fratres, videtis in tumulis cadavera atro aspersa tabo. Mortis obstupescite audaciam, quæ naturam nostram corruperit, eamque tali nunc cum ignominia traducat. Adamum illa confudit, et posteritatis ejus superbiam proculcavit. Nec tamen idcirco homini desperandum: terra est, in terram rediit; natus est, et occidit: reviviscet tamen. Deus, cujus natura est misereri, supremo mundi die opus suum retractabit, et corruptum restituet. Iterum oro vos, fratres, subire sepulcra non pigeat; multum juvat videre

dehiscentes in frusta marcidas carnes, et inde scatentem vermium colluviem, et cadaverum acervos quos mors coëgit in Haman mortuis definitum locum, projectosque sceletos tinearum et pulveris conceptacula : superbos mortales ista redarguunt, et rubore suffundunt fatuos voluptuarios, qui sibi in luctuosissimo tempore felicitatem fingunt et aucupantur. Nec vos prætereant juvenes quos bene nostis olim totos ad unguem mundulos, miraque formæ dignitate præstantes; respicite qualem in regione luctus depositi induerint habitum : mors scilicet, quasi rapidus turbo, omnia diripuit ornamenta. Oh! qualem puris ac tabi mephitim clausam circumgestabant corpora, quæ modo sepulta omnes fugiunt, exhorrent affines et propinqui.

II. Huc appellite, principes et satrapæ, quibus familiare vitium est superbia; sepulcra quæ calcatis intrate, inspicite ad quantam contemptionem devenerit genus nostrum, et inde arguite quantum inane sit in rebus quibus vos ipsos effertis, cum extremum omnium rerum mortalium mors sit. Suos ipsa cadavera spectatores docent, quæ codices recinunt ad hunc, quem stupent, statum omnes mortales esse deventuros. Vos quoque huc intendite oculos, quicumque dignitates et honores assectamini, nobiscum spectaturi qualis in tumulo ignominia nos maneat. Quos hic videtis, alii regalibus fulsere insignibus, in tribunalibus sedere alii judices; bene multi thiaras, cum viverent, gestabant, et auratis curribus vehebantur. Ecce autem omnes permixto cum ignobilis vulgi cineribus pulvere passim proculcantur. Nec porro mirum similem eos tulisse exitum, quorum natura certe diversa non fuit.

III. Nec vos ab hoc spectaculo abesse debetis, juvenes, quos vestimentorum elaborata concinnitas et quæsita pulchritudinis lenocinia delectant; vobis profecto non oberit ad sepulcra respexisse semel : huc ergo advertite oculos,

atque isto a pulvere discite oris venustatem et præstantem corporis habitum fragile et caducum esse naturæ donum; simulque spectato loci hujus squalore, cogitate haud longe adesse vestram in hocce exilium deportationem, ac tandem statuite vobis despiciendas esse fallaces hominum spes et inanes contentiones, quæ in medio spatio franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur quam portum conspicere potuerunt. Adolescentibus jungite robustos ætate viros, quorum fervet avaritia pectus, et aggerendæ pecuniæ studio laborant : ampliavere ædes, floruere opibus et divitiis, auxere servorum et mercenariorum numerum, multiplicavere negotiationes et quæstus, arbitrati se jam tenere quem appetebant orbem. Vos oro, qui talia somniatis, huc festinum ferte pedem; oculos in sepulcra defigite, sique fas est, divitem a paupere cernite, amborum siquidem cineres in unum confluxere cumulum.

CANON XL.

IN FUNERE PUERORUM.

I. O diversorium ad brevem mihi concessum moram, cur me longi temporis spe modo lactabas? O salum maleficiorum receptaculum, cur me peccatis ante obrutum mox etiam in profundum devolvisti? O mors, cur festinata me rapis ad luctum? Ego vero cum solvendo non sim, statui ad Creditoris mei confugere misericordiam; ille, confido, nomina expediet mea. O fallacem mundum, tu me non dum ratione et consilio firmatum vani cultus pompa ad deserendum officium pellexisti; tu lucri spe delinitum virtuti nuntium remittere persuasisti; tu me quasi avem in laqueos pertraxisti, propositis paucis frumenti granis, quæ tamen, cum ea deglutire conarer, me suffocarunt. Levis

instabilis umbra erat, quam tu me docuisti utraque manu complecti et stringere. Sic me tu fallacibus distentum curis, tanquam potens excitatus a somno, oppressisti. Latrones res prostantes et patentes oculis deripiunt, raptoque contenti, recedunt : tu vero astu me circumvenisti; nec enim cultu externo me spoliasse contentus, occulta etiam animi ornamenta rapuisti; rerum humanarum spectaculum me fecisti, inopem, nudum, extorrem undique afflictum.

II. Cum umbras et larvas mihi ostentares, voluptatis ego avidus, temere et effrenate ad iis potiundum incitatus sum, easque adeptus ovabam, mihi mansuras ratus : at enimvero cum adolescentiam ingressus florentis ætatis decore superbus triumpharem, improvisa mors lætitiam et voluptatem, velut erumpentes flores, demessuit. Ecce omnes mei sensus assidui laboris onere pressi fremunt, longo genæ contabuere fletu, animus totus in luctu est; lacrymæ oculos, catenæ manus et pedes continent. Tua, mi Jesu, fides mea, precor, vincula solvat; hujus profecto beneficii memoria nunquam animo excidet meo. Navim conscenderam mercaturam facturus, cum pelagus excitatis repente fluctibus hausit multo labore quæsitas opes : et utinam merces solæ periissent, et ego periculum evasissem ! at non sic fuit, sed idem me quoque abstulit casus.

III. Cum natus ad lucis hujus usuram venirem, mundus lacrymarum atque mœroris locus me plorantem excepit; cumque peracto vitæ curriculo discedendi tempus instaret, mundus longissimum iter ingressuro viaticum providere rogatus, iterum lacrymas, suspiria, gemitus obtulit. Judicis inde mihi clementiam exorare cœpi, ut desertum miseratus reum, decretas pœnas condonaret. Objecta quandoque somnianti mortis imago vehementer me perculit, et quoties venit in mentem sepulcrum, ingens me metus occupat. Appropinquare diem non ignoro meæ vitæ extre-

mum, qui hanc membrorum compaginem dissolvet, meque rebus humanis sublatum excepturas mihi paratas flammas. Mortalitatis meæ antidotum in te, Domine, suscepi; per te confido me illas evasurum : mortis namque timore perculsus, animum ad pœnitentiam appuli. Et licet meus pro te labor unius horæ spatium non excesserit, certe non mihi negabis inter novissimos operarios locum. Quia vero tuam ego hic misericordiam laudavi, tua, precor, illic justitia mihi, quantumlibet immerenti, parcat; et quia rogavi te, serva me, et ab igne erue me.

CANON XLI.

IN FUNERE PUERORUM.

I. O me miserum! modo id sensi, supremum instare diem, qui mortuis vitam restituet et pios ab impiis separabit. Quonam porro me ipse vertam in eo judicio, in quo etiam de levi quod mihi excidit verbo rationem severus exiget Judex? Domine, ne respicias ad iniquitates et peccata mea; Domine, in illo die noli me condemnare. Defluxit ætas, dies mei evoluti sunt et consumpti ; atque utinam, sicut utiles virtutis quæstus neglexi, sic vitiorum damna cavissem. Domine, cum veneris, ne, precor, in mea malefacta inquiras. Pœnam, agnosco, merui ; quo autem modo effugiam, penitus non expedio. Quo cecidi, miser! alto repente tractum gradu, Angelus mortis me præcipitavit, et in cæcum compegit carcerem. Tu, Domine, suscitator mortuorum, mortuum me revocabis ad vitam, ut laudem nomen tuum : nec enim pulvis confitebitur tibi, nec lutum enarrabit gloriam tuam. Id modo, precor per viscera misericordiæ quæ te ad nos traxerunt, ne in inferno deseras me, neque salutis spem adimas tuam appel-

lanti fidem; meam, confido, in pristinum restitutionem tua tibi commendabit clementia.

CANON XLII.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Cum resurrectionis aura mortuos afflaverit, clangore tubæ excitata justorum membra suam repetent compagem, divinoque roborata numine e tumulis remeabunt ad superos. Cœlum et terram instaurabit qui condidit, opus suum retractabit qui fecit, et ad pristinum nitorem reducet. Singuli actorum suorum rationem reddent, quos suo Rex convivio dignos fecerit recensebit, nec illorum quempiam abesse patietur. Tum vero homines quos consummata extulit virtus cœloque locavit exultabunt, et epinicia cantabunt, resonante tuba; mox cum Angelis in unum coëuntes agmen mortem præcipitabunt in tartarum. Cumque sanctorum acies apparuerint, peccatores commeritas ferent pœnas, et cæco carceri flammisque addicentur qui olim fortunæ suæ altitudine inflati justos aspernabantur.

II. Clausæ paradisi portæ, illis accedentibus, sponte sua patebunt; Cherubim loci custos ipsos venerabundus excipiet, ultroque occurrens ad citharæ sonum festivum modulabitur carmen. Inde porro Sponsum ab ortu solis cum majestate magna venientem conspicati, continuo pennas mittent, celerique volatu aërem permeantes, Judicem in throno considentem adorabunt. Tum ille luculentis benevolentiæ argumentis eos accipiens : « Venite, dicet, regni immortalis hæredes, et quæ vestro labore parta tenetis diademata capiti vestro imponite. » Sontes quidem et insontes exploratorius ignis probabit; perque eum etiam

justi transibunt, placidum tamen et innocuum. Alia iniquorum conditio erit; quos ille correptos cremabit, vastabitur infernus; inculta squalebit terra, vacuabuntur sepulcra; et Adæ posteri, excusso pulvere, cœlum conscendent, Dominum secuti.

CANON XLIII.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Pars tua, Domine, sunt parvuli pueri, hisce sedes in cœlo super astra dabis : illos pro nobis, oro, statue deprecatores ; puras quippe scimus esse puerorum preces. Quin ergo te summis efferam laudibus, qui jubes tuis tales convivas assidere mensis? Nostræ Reparator salutis in oculis conspectuque populi amplexatus est pueros, eisque benedixit ; quo hujus ætatis puritatem et innocentiam sibi placere demonstraret. Vere omni laude dignus est cui innocentes pueros apud se habere placuit. Vidit ille, in quo tanquam in sua sede considet justitia, hominum iniquitates ultra omnem increvisse modum, et pessumdata innocentia ubique regnare contumaciam in perversa nitentium ; delectum puerorum agmen, misso apparitore, ad se accersivit, et in deliciarum æternarum sede locavit.

II. Parvuli, quasi lilia de deserta et inculta regione revulsa, in amœnissimi horti areis iterato panguntur, et quasi margaritæ inseruntur diademati ; inde ad cœleste regnum evecti, sine fine laudant suæ felicitatis Auctorem. Porro cuinam jucundum non sit parvulos videre cœlo donatos? aut quisnam plangat eorum obitum, quod tensos ubique vitiorum laqueos evaserint? Utinam, tua, Domine, favente gratia, talem mihi contingat habere finem, et beato eorum potiri convictu ! Laus sit et gloria Optimo Maximo, qui

pueros terris abstulit et cœlo dedit, qui parvulos hujus vitæ ærumnis eripuit et in cœlestem et beatam domum transtulit, atque in illam jucundissimam securitatem asseruit!

CANON XLIV.

IN FUNERE PUERORUM.

I. Perfecta tibi, Domine Deus noster, jam est laus ex ore infantium et lactentium; pueri quippe sunt, qui modo quasi agni simplices in horto deliciarum pubescunt, facti habitatores regni cœlestis, et, ut loquitur divinus Spiritus, *virentibus herbis pascuntur* [1] nemorosis in montibus, Gabrielem Archangelum electi hujus gregis ductorem sequentes. Enimvero quos illi obtinuere gradus, pie casteque viventium et virginum quadantenus dignitatem antecellunt; filii quippe Dei sunt, et sancti Spiritus soboles; jamque sociati cœlitibus et in familiam filiorum Dei asciti, incolunt terram nefariis scelerum vestigiis usquequaque expiatam, ejus autem quæ maledicto subjecta fuit ne meminere quidem. Veniet tandem faustissimus ille dies, quando eorum cadavera vocem Filii Dei audient, et e tumulis cum tripudio exilient; contra inimica virtutis voluptas frontem submittet, rubore suffusa quod illorum mentes perturbare nequiverit. Paucos hic quidem vixere dies, paradisus excepit in ævum sempiternum victuros, unde ipsorum parentes abesse se dolent, eoque ocyus pervenire desiderant.

[1] Ezech. XXXIV, 14.

CANON XLV.

CANONES COMMUNES. — I.

I. Christo gratia, qui inferni clausa reclusit; clavis ipse fuit, iterumque reserabit, quando vitam etiam mortuis restituet. At te, frater, quis a nostro convictu avulsit, et ad loca silentum transtulit? Hesterno die corpore et mente valebas, hodie exanimem mors in tumulum compegit. Verumtamen, etsi mors te in hunc luctuosum carcerem conjecerit, lugere non debes; quandoquidem Christus, indicto mortuis ad vitam reditu, te in tuo tumulo putrescere non sinet. Argilla lutoque concretum corpus ignobilem sarcinam hucusque portasti; hoc ipsum, confide, recuperabis, sed o quantum mutatum ab illo quod in præsenti geris! res scilicet quas vides omnes gloria et decore præcellet.

II. Mortuorum resurrectionem magnus Ezechiel præsensit futuram, eamque velut in imagine sibi ostensam significavit. « Et ecce, *inquit*, commotio magna, et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam[1]. » Rursus eamdem Dominus symbolo grani frumenti adumbravit, quod terræ commissum moritur, simulque oritur, augescit et pubescit. Bono itaque animo estote, nepotes Adæ; his enim quæ tenetis bona longe majora vos manent. Certa res est : sub Christi adventum labori mortique vita et longa succedet quies. De limo Deus ab initio membra compegit Adæ, et de nihilo formam ratione præditam dedit : luto compactus homo, dissoluta compagine, nunc jacet; resurget demum in sempiternum ævum victurus. Veniet ergo dies restitutioni mortuorum præscriptus, quando

[1] Ezech. XXXVII, 7.

ad clangentis tubæ signum sua sepulti sepulcra deserent, Christi summi Regis voce longo expergefacti somno.

CANON XLVI.

COMM. II.

I. Laudem tibi resonent monumenta mortuorum, a quo beatam resurrectionem expectant et gloriam. Venit ecce dies, charissimi, in qua precantes supplices audit et miseratur Deus. Studeamus ergo nobis ad regnum æternum planam munire viam. Quanti Dominus homines faceret, quam impense amaret, charitas qua Martham, Mariam et Lazarum dilexit declaravit, quamque etiam magnis documentis testatam reliquit. *Lazarus amicus noster,* dixit Dominus discipulis suis, *dormit*[1], vado excitare eum : cumque illi reponerent excitatore opus non esse dormienti, noluit Dominus arcanum celare discipulos postero die futuros facti spectatores, et admirandæ resurrectionis testes : « Lazarus mortuus est, *subjecit,* et gaudeo quod non eram » ibi; sed eamus ad eum[2], » ex ore mortis illum extrahere ratum est, quæ ejus animam et cepit in captivitatem abduxit, corpus autem exangue reliquit, mox etiam dissolvit. Hæc fatus, suum magnus justitiæ Sol cursum Bethaniam deflexit, Solem secutæ sunt stellæ hausta ab eodem luce nitentes.

II. Ubi castellum intravit, occurrit Martha, defuncti soror, ejusque ad pedes abjecta, imo trahens pectore suspiria : « Dominus et Deus meus, dixit, si fuisses hic nunquam cecidisset arbor in qua nidum geminæ, quas vides, columbæ posuerant; nec enim te præsente tuum mors amicum rapere ausa fuisset, nec vero potuisset ejus corpus prosternere

[1] Joan. XI, 11. — [2] *Ibid.* 15.

et animam in exilium et captivitatem deportare.» Tum Dominus, mulieris dolore, lacrymis mœstitiaque commotus, afflictam, injecta spe resurrectionis, relevare orsus est : «Resurget, dixit, frater tuus[1],» non est cur dubites; in mea quippe potestate posita est vita et mors, rerum omnium arbiter cum ipse sim. — Scio, excepit Martha, te esse Christum Filium Dei, qui in hunc mundum venisti.» Cui Dominus : «Quicumque in me credit, amissos reparabit annos, et repubescet in novissimo die, quando omne genus Adæ a morte ad vitam reducetur.»

III. Submovere famuli, Domino jubente, sepulcralem lapidem; tum ipse alta voce tabefactum cæco in specu cadaver inclamat : continuo emicuit e tumulo Lazarus a quatriduo mortuus, et hodie inaudito miraculo vitæ restitutus, institis pedes manusque ligatus; quibus solutis, Dominus, «Repete nunc, ait, interruptum vitæ cursum, tuisque jungitor sororibus.»

CANON XLVII,

COMM. III.

I. Est sane cur summo Opifici gratias agamus, quod nostram ab initio condiderit naturam; et majores adhuc habeamus, quod pro suo erga nos amore in fine temporum eamdem vetustate collapsam restituere decreverit. Quicumque e limo crevere homines, eodem operti, tuo, Domine, tandem sistentur judicio. Averte, precor, malum, ne in eo superum inferumque conventu mea me scelera ignominiose traducant in conspectu supernorum ordinum, quos divina claritas illuminat. Vale terra, ferale diversorium, miseriarum receptaculum : quid mihi tandem hæsit

[1] Joan. XI, 22.

ex mea in te mora, præter noxas quarum me obsidet cumulus et velut objectus agger mihi aditum regni cœlestis intercludit?

II. Æquissimus Judex terminum vitæ cujusque nostrum statuit, severum tunc in singulos judicium exercebit; tum vero quo ego? quo meus vertet animus meorum malefactorum conscientia consternatus? Propterea vos obsecro, fratres, bonum Dominum precibus vestris mihi propitiare satagite, insistite ne mihi tunc maleficiorum grave pondus iratus objiciat. Imminet ecce mihi Angelus mortis, pertentatque aditum unde me inopinantem opprimat et avellat ab omnium mihi charorum consortio.

CANON XLVIII,

COMM. IV.

I. Christo sit gratia, qui mortuis spem resurrectionis dedit, genusque nostrum consolatus est, significans fore ut, postquam collapsum fuisset, restitueretur. Audite, mortales, resurrectionis mysterium, quod hactenus occultum ignorastis; ecce autem in novissimo tempore in sancta Ecclesia usquequaque manifestatum est. Fuit Jesus viator mortis ad tres dies, captivos quos illa detinebat liberavit, et castra diripuit, genusque nostrum reduxit ad vitam. Gloriabatur, opinor, mors sacerdotes pridem et reges in suos se compegisse carceres, evadendi spe omni sublata, cum repente magnus hostis ejus invasit fines : latro mors erat, inexpectato clamore perterrita fugit, simul ejus regni status concidit. Quocirca postquam vita, deterso carceris squalore, odore suo infernum afflavit, mortui velut recuperato sensu sibi mutuo gratulabantur affulsisse demum exoptatæ resurrectionis lucem. Mors ab orbe condito statim in mor-

talem naturam dominari cœpit, ejusque dominatus duravit usque ad adventum illius qui unus cuncta tenet et moderatur, qui etiam illius imperium evertit. Tum vero vox, qualis nubium sequitur fragorem, pepulit aures mortuorum: « Salus nunc parta vobis, parta libertas. »

CANON XLIX,

COMM. V.

I. O vos mei in communi ministerio collegæ, mementote mei intra sanctuarium, quia mors me a sacro vestro consortio separavit. Noli contristari, charissime, quod a nobis avulsus fueris, quoniam in societate sanctorum anima tua corpori tandem reddenda, commorabitur. Ab adolescentia tua, domine, jugum Domini tui suscepisti, et ipse te in triclinio inocciduæ lucis lætificabit. Mysticum talentum bonus servus a Domino suo accepit, negotiator egregius lucrum retulit quo omnibus prodesset. Super sanctum altare cui pie ministratis, memoria tua nunquam non recoletur. Corona gloriæ tuæ cum sanctis in cœlesti regno reperta est, quia Christi Filii Dei amorem totis cum fide medullis hausisti : piis commentationibus dies tuos sancte traduxisti, nec eas omisisti donec palmam adeptus es. Pauli monita pugil strenuus audivit, et ad bravium cœlestis regni ipse quoque cucurrit.

CANON L,

COMM. VI.

I. Videre vos scio quantum officii ei sustineatis cujus gratia mortui reviviscent, novumque vitæ genus adepti, gloriam etiam immortalem assequentur. Meminisse credo

vos, fratres, Dominum quoque mortuorum flevisse casum; dolebat nimirum latissime propagatum mortis imperium, ejusque rugitu perculsos cunctos mortales in metu esse. Abrahamus in Saræ funere acerbe flevit, et præsente magna populi frequentia, quantum ejus desiderio laboraret, profusis lacrymis declaravit. Abrahæ sepulcrum Isaac ipsius hæres largo perfudit fletu, et hunc funeraturus filius ejus Jacob a lacrymis sibi temperare non potuit; multoque acerbior fuit luctus quo ipsi Jacobo parentavere Joseph ejusque fratres, producta ad septuaginta dies exequiarum pompa. Nec porro minor fuit de obitu Josephi Ægyptiorum sensus; inconsolabilem enimvero ex eo casu hausere dolorem, ut vix sanari posse videretur. Omnium justorum funera magnum traxere luctum, idcirco quod ipsorum funeratores de eorum resurrectione satis certi non essent: postquam vero Rex noster infernum expugnavit et depopulatus est, jam vos quicumque mortales estis, descensum ad inferos admodum ægre ferre non debetis, quandoquidem etsi in eo carcere ad breve tempus detinendi sitis, tandem aliquando inde educemini.

II. Quid enim? num putatis talem adhuc manere carceris illius januam, qualis ante fuit firmata seris et vectibus? omnia, credite, diffracta dissiliere repagula ad summi Regis imperium, qui prius subegit inferos quam remearet ad superos. Quare dolendi jam nulla causa manet, ex quo ille omnium sæculorum mortalibus facilem trajectum instruxit ad locum ubi beati ævo sempiterno fruuntur. Quod quidem vos præcipue peregrini animadvertere et expendere debetis, quibus fortasse grave accidit in mortis et vitæ confinio constitutis longe esse a parentibus et cognatis. « Domini *enim* est terra et plenitudo ejus, et universi qui habitant in ea[1]. » Nec vero peregrinus est cui Deus contingit

[1] Psal. xxiii 1.

benevolus receptor. ille siquidem qui mundum utrumque molitus est, in neutro sua nos destituit providentia. Quod si vobis adhuc molestum est parentum et propinquorum absente corona incomitatos efferri ad tumulum, horum utique absentiam cœlestium agminum acies suppleturas confidite, quæ si quidem nec lacrymis nec singultibus vestras exequias prosequentur, vestra certe ora cœlesti rore perfundent, et animum ab omni cura metuque relevabunt.

III. Quam vera, quam certa sint quæ dixi, magnifice declarat suo funere Moses : exul ille a patria extremum obiit diem, nec a suis popularibus funeratus est ; Dominus in secreto montis latere cadaver tumulavit : scilicet Mosis propinquus Deus erat, et unus ipse omnium cognatorum vicem cumulate supplevit. Domini manibus sepultus est vir meritis clarus, et hac prærogativa dignissimus; nec homini in ea funeratione locum dari decebat, ad quam Angelorum certatim confluxerant agmina, suis ornata insignibus ad honestandum illius funus qui a Deo tanto in honore habitus fuerat. Cœlestes exercitus suas explicuere acies ad pompam funeris, et cum magno amore amorem Domini sui magnifice extulerunt. Occultum mansit sepulcrum ; nemo quippe cœlitum qui ad exequias convenere cœtus conspexit, cum magnus ille Propheta de mundo ad mundum commigraret; quandoquidem sui populares abeuntem prosecuti non sunt, successere Angelorum chori, qui et morienti astiterunt, et e corporis carcere excedentem sine comitatu nusquam reliquerunt. Quod si suis Hebrææ præficæ næniis non cohonestavere funus, certe beatorum spirituum concentibus mortuus laudatus est. Nec vero popularium fletibus vacabat locus, ubi Angeli congruentibus naturæ suæ cantibus ei parentabant; nec amicorum, fratrum vel propinquorum lacrymis sepulcrum illud perfundendum fuit, quod supremus rerum Dominus

suæ lucis rore rigabat. Mosen, ut dixi, ipse tumulavit, ejus tamen sepulcrum ignotum manere voluit, clauso etiam ad eum locum popularibus aditu.

IV. Ad sepulcrum usque suum quisque amicum comitari potest, ultra progredi non potest; ubi eo ventum est, amicitia dirimitur. Amicorum consuetudine, dum vivunt, capimur, et præsentes complectimur; cum mortui fuerint, mors illis quidem vitam eripuit, nobis vero ipsorum amorem, frequenter etiam memoriam extinxit. Solus Deus sancta amicitiæ jura constanter observat, et amicos suos nec in morte destituit; hic nempe amico decedenti inferni fores pro potestate recludit, et cum illo in regionem defunctorum ingreditur, qui a cæteris amicis desertum non deserit, nec dimittit. Sibi, eique semper constans et æqualis, a cognatis repudiatum, sibi affinem et propinquum confitebitur, quin et mortuum requiret et eriget prostratum; hic viæ individuus comes erit, et elatum ad tumulum prosequetur, imo et ultra tumulum, carcerem mortuorum cum illo subire paratus. Mortem igitur quisque contemnat, nec viam qua itur ad gloriam exhorrescat, plana est et anfractibus salebrisque expedita.

CANON LI,

COMM. VII.

I. Christus, qui tibi, frater, vitam ademit, sanctorum consortium et beatum otium largiatur. Decem virginibus comparatum fuit regnum cœlorum [1], quibus etsi communis erat animus sponso prope venturo cum ardentibus lucernis occurrere, non tamen par mentis sagacitas, nec æqualis prudentia : media namque pars, uti veritatis amica,

[1] Matth. XXV, 1.

sic sapientiæ laude præstabat; reliquas stultitia notatas legimus, idcirco quod non omnes virtutis numeros haberent. Prudentes itaque, præter lucernas, quas instruxerant, oleum sibi in futurum providerunt; quod tamen ab imprudentibus male neglectum fuit. Cumque interim sponsus promissum adventum protraheret, omnes somno sese dedidere, quando intempesta nocte insonuit tuba, et sponsum cœlestem adesse nuntiavit. Surrexere statim virgines, suasque resumpsere lampades obviam sponso in luce commoranti prodituræ. Omnes utique par ad surgendum cura sollicitabat, par utrisque solertia et æquale studium, et ferme ubique pares : impares tamen fuerunt in eo quod imprudentes, quæ scilicet viam, non proviso commeatu, ceperant, oleum sibi defecisse tandem animadverterunt; quare a sodalibus emendicare coactæ sunt; at illæ, « Videte, responderunt, ne, si id fiat, olei defectus fiat nobis vobiscum communis; « *ite potius ad vendentes et emite vobis*[1]. » Repulsæ virgines abierunt ad emendum oleum nullo comparabile pretio. Interim advenit sponsus, « et quæ paratæ » erant intraverunt cum eo ad nuptias[2]; » reliquæ sero venientes, clausis foribus, merito neglectæ sunt, eo quod officium neglexissent : cumque suis recte factis confisæ contra acclamarent, sibique clausa reserari ostia peterent, simul quererentur sibi immerito negari præmium suis quæsitum laboribus in custodienda virginitate exhaustis, respondit sponsus : « Nec vos nec quam jactatis virginitatem agnosco. »

II. Cæterum, uti adventus sponsi futurum Christi adventum significat, sic virginum occursus omnes sanctos resumpto corpore obviam illi prodituros præsignat. Symbolum mortis somnus est, quo idcirco omnes æqualiter virgines correptæ dicuntur, quia mors naturam dissolvit,

[1] Matth. xxv, 9. — [2] Ibid. 10.

et sublata conditionum differentia, omnes mortales æquat et pares facit. Clamor qui nocte media virginum pepulit aures et somnum discussit, vocem adumbrat quæ in fine mundi mortuos excitabit. Quod porro subditur alta jam nocte venisse animarum nostrarum sponsum, id vero deductum est ex more vulgari ducendi eodem tempore novas nuptas ad sponsi domum. Quod autem dicuntur surrexisse simul virgines prudentes atque fatuæ, unumquemque monet communem sibi fore cum omnibus mortuis resurrectionem. Lucernæ oleo deficiente extinctæ eos notant qui alienis miseriis minime commoventur, eisdemque portendunt severum remota misericordia judicium; quo autem fatuis virginibus oleum petentibus prudentes negant, declarant post adventum Judicis reos frustra misericordiam ejus imploraturos. Et addunt : « Ne forte non sufficiat nobis » et vobis [1]. » Sensus est, laboris vita manente suscepti meritum mercedi post obitum reddendæ æquale non esse, nedum eam superare, ut cum aliis illud partiri liberum sit volentibus. Fatuæ porro, quæ ad emendum oleum mittuntur, si modo alicubi invenissent, invenissent utique in eo loco in quo propensiores fuissent in calamitosos; nec rem familiarem ita clausissent, ut eam benignitas aperire non posset.

III. Rursus aptissime congruit præmissis quod subjicitur, stultarum virginum reditum adventu sponsi præventum, quod illæ ignaræ futuri minime suspicabantur : quo monemur nostræ prudentiæ minime confidere, cum tempus adventui Judicis præstitutum ignoremus. Prudentes vero virgines, occluso reliquis aditu, in triclinium receptæ, repræsentant sortem sanctorum, quibus solis dabitur æternæ pacis tenere portum; fatuæ contra, quibus sponsus ingressum negavit, et quas adhuc extra fores manere voluit, ima-

[1] Matth. xxv, 9.

inem referunt etiam multorum qui ad tempus cœlo exclusi elinquuntur in terra, donec justitiæ cursum absolvant.

IV. Postremum virgines fatuas parabola inducit vocife-antes : *Domine, Domine*[1], etc. quia confidebant præsentis egligentiæ culpam sibi a sponso condonatum iri ob me-ita præterita, et susceptos hactenus ejus gratia labores; ropterea que sine multa inquisitione, et velut perfunctorie ausam esse tractandam, ne videlicet videretur Judex mi-ssimus ex causa non magna eam concepisse iram, ut ræstitum usque modo servitium minime attenderet. Quod utem virgines magna vocis animique contentione admis-ionem flagitantes sponsus repulisse dicitur, professus eas sse sibi ignotas, sensus est se nolle scire, id est non pro-are amorem, quo ipse diligebatur, sejunctum ab eorum ilectione quos ipse diligebat; nec proinde exhibita a tultis virginibus benevolentiæ argumenta sibi placere, nisi, uam unice cupiebat, propensam in inopes voluntatem omplecterentur. Patet autem januam rejectis virginibus lausam esse supremum cœlum, quod post introitum inctorum divinus obserabit nutus, id est suprema Judicis ententia, quæ velut ignis justos et iniquos ante severo xamine probatos, simul probos ab improbis ardore suæ haritatis separabit. Ingens et latissime patens ea separatio tura est, quæ interjectis inter summa et ima spatiis com-ensa erit; justorum namque loco nullus est altior, nec iquorum carcere alius profundior. Uti porro nullus pro-ectus gratior esse potest, quam qui nobis sempiternam cem contemplandam objiciet; sic visu nil magis horri-le, quam impius a divino sponso repudiatus. Iterum sicut hil est comparabile gloriæ quæ filios lucis exornat, sic hil simile habet nox quæ filios tenebrarum obruit; ambo

[1] Matth. xxv, 11.

docent homines quibus vacare debeant studiis, dum præsens agitur vita.

CANON LII,

COMM. VIII.

I. Enimvero jus est laudare vitæ mortisque Arbitrum, quo jubente reviviscunt mortui, adeptique lucis usuram, claris etiam insignibus ornantur. Dum fluunt tempora, fratres, et dilabuntur, regnum semper mansurum magis in dies appropinquat. Ista cogitare vos, peccatores, Dominus jubet, et pœnitentiam quærere, vestræque saluti consulere. Rerum humanarum vicissitudines, calamitates et casus infesti, velut indice digito demonstrant haud procul esse orbis excidium; sed et signa nobis a Domino indicata, ex quibus proximum instare mundi interitum intelligeremus, jam ante oculos versantur, et foribus imminent; multiplicata nimirum est iniquitas, et refrixit in plurimis charitas, labascit fides, et pauci credunt mundum et quæ in mundo amantur et quæruntur, opes et oblectamenta interitura. Supernum illud domicilium, quod etiam Angelorum mentem rapit, homines vix unquam recordantur, dumque licet, se in luto volutant, indeque extrahi ægerrime ferunt, quantalibet vocis contentione contra acclamet Apostolus : « Reliquum est ut qui gaudent sint tanquam non gaudentes, et » qui emunt, tanquam non possidentes; præterit enim figura » hujus mundi[1] ! » et quamvis terræ filios cœlestis sponsus invitet ad vitæ immortalis cœnam, et patientissime opperiatur eo venire cunctantes. At tu qui, luto concretus, hæc summa non capis, ad ima, age, descende et gehennam con-

[1] 1 Cor. VII, 30.

templare tibi paratam; cogita te quantumvis reluctantem istum in carcerem fore ocyus detrudendum; dies diem trudit, nihil constat loco stabili, et nihil, quo stat, loco stabit; nec dubium quin te pariter inopinantem mors deprehendat et sternat.

II. Considera, si bene sapis, magnarum urbium lapsum; mirare qui fieri potuerit ut tanta amplitudo, majestas et opulentia repente conciderit: scitare quis exceperit locus potentissimos reges terrarum dominos, quisve casus congestas ab eis opes dissipaverit, et vacua reliquerit æraria depopulati orbis conflata manubiis: rursus percontare per quas modo vagentur terras celeberrimi heroes, qui amplissimos honores ob res strenue fortiterque gestas consecuti sunt: disce item quas obtineant sedes viri eruditione et doctrina clari, sed et nobilissimi scriptores qui suis orbem implevere elucubrationibus; vel ad quas appulerint oras fortissimi duces qui magnificas ceperunt urbes et diripuerunt, unde populorum spoliis divites ipsis crevere gazæ; quosve nunc oberrent agros oratores disertissimi, qui orbem in sui admirationem rapuerunt, eximiaque dicendi ratiocinandique arte senatum habuerunt a se pendentem? Periere scilicet illi quondam primarii et divites, cultus luxuria superbi, queis proinde placebat excipere invisentes in lectis purpura auroque nitentibus: interiere item juvenes specie ad miraculum exculti, evanuitque pulcherrimi oris venustas. Postremum require quem exitum habuerint nobiles cervices quas torques recocto auro fulgentes colebant; quodve fatum sustulerit viros imperio claros, in jubendo properos, et moræ, si qua jussis fieret, impatientes, quique tyrannica potestate formidabiles sibi subegerunt orbem. Terram interroga, ipsa tibi locum monstrabit ubi jacent; infernumque scitare, et ipse docebit ubi fuere depositi: omnes videlicet humi projecti, mox in pulverem

abierunt; confusos divitis et pauperis cineres discernere jam nemo potest.

III. Sed age, residuos regis et mendici cineres secernito, et pulverem in quem divitis et pauperis defluxere cadavera : perge porro, et sua sapienti asserito ossa, et sua fatuo; diserti oratoris et infantissimi idiotæ ora distinguito. Profecto nec potis es discernere quæ cernis corpora, infimæ sortis feminæ atque supremæ, nobilis heræ et ignobilis ancillæ. Quid quod nec designare potes, quantalibet sagacitate præstes, sepultorum corporum loculos, ducemne hic tumulus aut e lixarum vulgo quempiam exceperit ? Hic porro multum habes quod mirere, conglomeratos videlicet tum virorum, tum feminarum, quotquot a primo generis nostri auctore ad præsens usque tempus vixere, cineres confusione plane inextricabili permixtos, obliterataque totius corporis forma et dissoluta membrorum compagine, necdum periisse. Næ tu id factum miraberis : atqui longe magis admirari debes ejus potentiam qui eos ad magnum usum conservat, et suspicere ejusdem sapientiam qui singulos distinguit et digito monstrare potest, nec ignorat eorum numerum, et optime locum ac regionem novit ubi dispersi dissipatique hucusque jacuerunt. Illius porro benignitatem nemo satis laudare potest, quippe qui eorum neminem, deducta a primo parente natorum ejus serie, sua destituit providentia, sed et quos ætas ventura usque ad mundi interitum progenitura est, comprehensos tenet, et mente repositos; iterum nec satis æstimare ejusdem intelligentiam rerum omnium naturas perspicientem, ut qui eorum qualitates et dissimiles mores dijudicet, ut puta quis justus et probus, quisve iniquus et improbus.

IV. Cæterum, peracto judicio, quicumque piis laboribus sibi justitiæ laudem pepererunt, immortalis ævi hæreditatem statim adibunt : quicumque vero supremi Judicis indigna-

tionem suis sceleribus in se concitarunt, æternæ noctis tenebris adjudicabuntur. Nullus pœnitentiæ locus ibi relictus, omnes exclusæ preces; nemo petet opem, nemo feret; comprecationes et suffragia nemo suscipiet, nec ullus ullo tempore ex illis sequetur fructus. Contra felix ille sanctorum populus, sceleris purus et noxæ integer, vocibus et modis quorum suavitatem effari nemo queat, divinæ bonitatis profusam in se liberalitatem prædicabit, et gaudio exultabit inexplicabili exantlatos hactenus pro veritate labores recolens : inde statim suis alis per aëra vecti in cœlum conscendent. Impii contra plorabunt, recogitantes suis se sceleribus Dei iram concitasse; mox in tartara detrudentur : illic, æterna obruti nocte, et gehennæ astricti vinculis, pœnas dependent sempiternas.

CANON LIII,

COMM. IX.

I. Quicumque pie vivendi iniere viam, cum audissent Dominum in Evangelio suo præcipientem mundi contemptum, hortantemque ut, eo contempto, ipsum unice diligeremus, ad omnia tormenta ejus gratia perferenda animum compararunt, et quia ejus confisi promissis mortem oppetere non dubitarunt, vitam immortalem adepti sunt; regnum siquidem æternum tanquam suorum laborum mercedem persecuti, cœlestis nunc paradisi beatitudine fruuntur. De limo, cum mundum exædificares, me, Domine, formasti ad imaginem et similitudinem tuam, tuisque sanctissimis manibus membra compegisti mea; quandoquidem autem nunc, soluta tuo jussu compagine, corporis e carcere mihi excedendum est, animæ, quæso, meæ, in consessu sanctorum decernito locum unde mihi pateat optatus ad relicti corpo-

ris exuvias reditus, quibus receptis corpore simul et anima beneficentiæ in me tuæ testimonium perhibeam.

II. Liber accessus fiduciaque plenus dabitur justis ad Filium Dei eo die quo mortuis patebit reditus ad vitam; et quia nomen ejus confessi sunt, confitebitur et ipse illos coram Patre suo; et quia in fide ejus mortui sunt, vitam assequentur et regnum, suorumque meritorum præmio in superna deliciarum sede potientur. Oriente ab alto misericordia, cum sua sobole Adamus venienti Domino occurret, qui mortem ejus gratia gustavit, et debitum solvit a se contractum; postmodum vero eumdem e pulvere excivit, ut lucis frueretur usura, et acceptorum beneficiorum Auctorem publicaret.

III. Ecce dies illuxit faustissima, quæ mortuos vitæ restituet; vestrum, mortales, cohibete fletum. Salutis vestræ reparator Dominus propediem aderit, nutuque suo sepulcra reserabit, et præpotenti voce sepultos revocabit ad auram; mox in extremo generali orbis conventu ad dexteram suam statuet, ut inde ocyus ad paratas vobis sedes traducat. Contraria plane sors Diabolum manet, qui ab initio Adamo suam felicitatem invidit et abstulit, Hevam seduxit, et mortem invexit, quæ quidem sequentibus annis sævam in eorum posteros exercuit tyrannidem. Jam vero mors Christi cruce profligata est, Adamus paradiso redditus regnum etiam adeptus est. Fremit Diabolus prædam sibi ereptam; quoniam et gloriam et splendorem quibus Adamus innocens fulserat, et sua culpa amiserat, in baptismo recepit, Christo quæ ille passus fuerat damna sarciente; qui et in fine temporum redibit, nec modo ipsum, sed universam ejus sobolem vitæ restituet, et in lucidis sedibus gloriosis ornatos insignibus collocabit.

IV. Ecce sponsus appropinquat: unusquisque in se descendat, suasque secum rationes expendat, et benefactis

piisque operibus viaticum sibi præparare satagat; ut suf fragantibus vitæ integritate et castimonia, juxta datam fidem a Domino liberaliter excipiatur. Ille proinde vere beatu: qui ipse se diligenter examinat, sique animadvertat occultas sibi adhuc hærere labes, hisce detersis, studet vitam componere, omnisque in posterum noxæ integram tueri. Mitissimus est Deus, idemque Judex æquissimus, nec vero reorum vultu movetur. Item beatus qui oleo suam instruere lucernam festinat, ut percrebrescente rumore adventare Sponsum, lampadem suam accendat, mox ab illo in nuptiale triclinium introducendus : iterum beatus, quia tuus factus conviva te, Domine, ob redditam mortuis vitam æternum laudabit!

V. Gratia et pœnitentia ambæ nos nostri admonent officii : « Dum vacat, clamant, satagite vestras eluere sordes; etenim ineunte die reditus mortuorum, non frater fratrem nec natum genitor reum absolvet, aut servabit indemnem. » Mortuorum porro restitutionem Jonas adumbravit, cum post triduanam sub aquis moram pelago emersit, et continenti se restituit : simul futuram Filii Dei mortem et resurrectionem in seipso expressit; ad tertium quippe diem Christus sub terram moratus, inde redivivus emicuit, et uti Propheta Niniven, sic ipse suam Ecclesiam ab interitu liberavit; futuram nempe toti orbi terrarum beneficentiæ suæ testem. Jam nunc cogitate, fratres, quibus laudibus ornare debeatis vitæ Auctorem, qui semet mortalibus exhibuit, et mortuos suis in tumulis revisit, atque apud inferos in agro mortis vitæ sparsit semina; postremum negotio reparationis nostræ ad exitum perducto, cœlum conscendit, unde alterum adhuc meditatur descensum, justorum quos mirifice diligit causa, placidum tamen et suavem, qualis solet esse cadentis pluviæ lapsus : tum vero cum illis proprii corporis dotes communicabit. Et hoc justis quidem debetur præ-

nium; ego vero, meorum conscius scelerum, quanam ra-ione tuo me subducam judicio, vel quis me oculis tuis ubtrahet locus? nam si ascendero in cœlum, tu illic es ab ævo in ævum; si autem descendero in infernum, audiam adventare diem resurrectionis; quæ res justos quidem lætificat, me contra reum vehementer conturbat.

VI. Næ tu, fili Adæ, non recte sapis, qui naturæ mortalis conditionem, qua natus es, inepte recusas. Quid enim? num qui primum tibi vitam dare potuit, amissam reddere non poterit; aut pigebit, quam fecit, corporis tui compagem reficere eo die quo justos sui amantissimos immensæ claritatis vestibus decorabit? Morti Adamum ob legis transgressionem mancipavit Legislator, illa datum mancipium in carcerem compegit, carcer sepulcrum fuit. Parentis ruina in omnes incubuit natos, et omnino quidem oppressisset, nisi abundantia quædam pietatis impulisset Dominum ut servis admirabili consilio opem et salutem ferret. Filium itaque misit suum in terras futurum naturæ lapsæ reparatorem. Hic seras et vectes carceris confregit, nosque e mortis potestate ereptos, vitæ dedidit. Omnes profecto amores nostros sibi vindicat, qui genus nostrum obliterata divini vultus imagine perditum sic amavit, ut pro ejus salute crucis infame supplicium subire non dubitaverit, imo et ad inferos descenderit, inde ad eum a quo missus fuerat rediturus.

VIII. Enimvero ut hæc audivere beati martyres, eo in Christum amore exarserunt, ut ejus gloriæ causa cervices securibus alacres atque læti submitterent. Nec sane minor sequentium justorum in hac parte laus fuit, qui suam in Christum charitatem mira laborum patientia satis testatam reliquerunt. Faxit tua, Domine, gratia, ut in sanctorum tuorum ordinem cooptari mereamur; cupimus enimvero te adorare præsentem, et coram tanti beneficii nos me-

mores testari, tum immensæ clementiæ tuæ gratias agere, qui generis misertus sis nostri. Sola profecto tui in nos amoris vis te ad id inducere potuit. « Exsiccatum est fœnum, » *sicut scriptum est,* et herba exaruit de terra; verbum » autem tuum, Domine noster, vivit et manet in æter- » num[1] : » beatus qui illud audit, et mandata ejus custodit; huic scilicet reposita est in horto deliciarum vitæ sine fine mansuræ luculenta hæreditas.

VIII. Oculi mei expectant salutare tuum, Fili Dei, qui tuo me redemisti sanguine. Festina, Domine, et excute pulverem ab oculis meis; resuscita me, et ego gratias agam tibi, Patrique tuo, atque Spiritui tuo sancto, o bone, qui generi nostro propter tuam nimiam erga nos charitatem salutem attulisti. Suis me mors strinxit catenis, suoque clausum carcere aliquandiu detinebit; ori meo injecit frenum, unde conticuit cinyra mea et labia mea obmutuerunt. In te, Domine, uno mea omnis resedit spes fore ut eo die, quando mortuis vitam restitues, meam quoque citharam iterum ad canendas laudes tuas attemperes.

IX. Deum interim propitiate mihi, charissimi, periculosum iter proxime ingressuro, opem mihi ab illo exposcite, usque dum interjectum ignis fretum incolumis trajiciam, vestrarumque precum alis vectus, portum immortalis vitæ obtineam. Sepulcrum enimvero portus est, modo noxæ integer sis; nautam a labore ad otium invitat. Quin ergo te, frater, beatum dicam, qui navigium ad paratam tibi a Domino stationem tandem appuleris : excipiet ille profecto liberalissime, laudataque tua negotiatione et opera sibi gnaviter præstita, immortalis gloriæ stola condecorabit. Summe Sacerdos, qui te obtulisti Patri tuo hostiam pro nobis, suscipe propitius oblationes nostras, et præsta ut a

[1] Isai. xl, 8.

tuis promissis pendentes, tuaque exequentes mandata, propositam virtuti gloriam assequamur.

CANON LIV,

COMM. X.

I. Valete, fratres; a vestro discedentem convictu vestra, precor, sequantur suffragia : talem enimvero cupio habere comitatum, cujus nempe gratia Christus se mihi socium adjungat. — Confide, frater, quoniam Filius Dei, qui Lazarum sepultum e tumulo excitavit et extulit, te quoque suscitabit mortuum, et ad dexteram suam collocabit. — Est tamen quod me vehementer angit, et omnes mentis meæ exagitat partes; scilicet comperi in ea regione ad quam me appellere necesse est, clementiæ loci nihil veniæque, nil precibus loci esse. — Omni te eximet cura, crede, novissimus dies : sed et quando mortui suis educentur sepulcris, te quoque e tumulo evocatum divina clementia liberaliter excipiet, et sanctorum cœtibus aggregabit. — Fandi facultas me destituit, obmutuitque cinyra mea : patronos vos mihi et deprecatores in futuro judicio fieri cupio. Etenimvero, quæ nobis obtigit regio placet, ejusque species habitatores mirifice delectat; idcirco me miserum queror, quem mors ecce rapit et in cæcum inferni carcerem continuo retrudet. — Meliora, confide, frater, te manent, ea videlicet quæ pœnitentia purgatis justi Judicis benignitas præparat bona, tuque resurgentes sequeris præmium tuorum laborum recepturus.

II. — At profecto gravis mihi, charissimi, dolor incumbit, ut bene esse non possit, dum cogito nec bona adesse mihi, quibus Judici satisfaciam; nec idoneas preces, qui-

bus expugnata ejus remollescat ira. — Quid adhuc trepidas? nec enim is est rerum tuarum status, nec tam exiguus labor, ut sperare non debeas fore ut cum e cœlo divinæ bonitatis fulgor justorum resurgentium corporibus affulserit, tua tibi solvatur merces. Atenim, ut certum sit, cunctis concessum, dum vita manet, delictorum suorum veniam postulare; id tamen nemini permittitur post obitum : ad judicium namque nos opera nostra prævertunt, ipsisque solis ad Judicem conceditur accessus. Vide tamen ut Davidis oraculum reminiscaris et expendas : « Ecce, ait, Salvator tuus in cœlo est, sed et in inferno adest, opem utique petentibus ferre paratus : » exue metum. — Fateor, ille in inferno adest; et ideo me meique similium fleo sortem, quippe qui languori nos ipsos desidiæque jam pridem dedidimus, et qualis nos excepturus sit locus cum ignoremus, scelus tamen adhuc scelere cumulamus.

III. — Mortem verius et Diabolum miseros dicito ; quos quantum putas tum discruciatum iri, quando te ad Judicis dexteram locatum aspicient, et audient festiva modulari carmina? — Et hæc mihi quidem summa votorum; sed cum incertus hæream quænam me maneat apud severum judicem sors, timeo, et atroci exagitor cura. — Christi crux tibi ministrat arma; ejusdem baptismum, corpus et sanguinem velut commendatitias litteras tecum defers. — Brevis est lucis usura, plena lacrymarum atque mœroris, qua hic cum dolore retineor; nec porro illic quo deportandus sum opportuna malis meis paratur medicina. Nec me afflictum relevant quæ Propheta canit : « Vivent mortui tui, Do» mine[1], » prædicens, indicta mortuis generali restitutione in pristinum, tabefacta cadavera suo e pulvere ad lucis usuram reditura; quandoquidem mors mihi officium simul et vitam abstulit, cum Diabolus ante in contrarios tramites

[1] Isai. XXVI, 19.

me seduxisset. — Haud istuc diceres, si nosses divinam gratiam suas dudum explicuisse alas ; hæc scilicet te quantumvis reum cupit enixe servare, tum quando Majestati sisteris, tuaque in acta inquirendum erit. — O me infelicem, qui in vita fragili et caduca inerti otio desidiæque me dedidi, et vanis distentus curis nil utile egi ! — At reveniat in mentem, quæso, tibi orphanum illum viduæ filium extinctum, Domini voce excitum revixisse ; idem, confide, suscitator mortuorum, decusso lethi somno, te pariter excitabit, et vitæ restitutum in hortum cœlestium deliciarum transferet.

IV. — Circumdederunt me laquei mortis, tu autem, Domine, ne me, precor, incomitatum inter pericula destituas, ubi compellor incedere per cæcos tramites et crepidines horrendas. — At vero hæc omnium mortalium conditio est, ut aliquando calicem mortis exhauriant ; hominem te esse cum scias, commune hominum fatum recusare non debes. — Hujus temporis vita frui, et iis quæ mihi fingebam commodis uti datum non est ; sed nec dabitur quas collegi opes asportare mecum, imo nec meipsum, cum desiero esse quod sum. — Eo quo, frater, tendis iter, nos quoque venturos confidimus, illic nos invicem coram revisemus. — Cæterum sat scis atrox malum esse mortem, quæ nos a propinquis separat, ut non sit a parentibus et fratribus sperare salutem.

V. — Mortui sunt Moses prophetarum caput, et Aaron sacerdotum princeps, sed et Josue, qui medio in cursu continuit solem ; ideo mortem nec timere nec recusare debes, etiamsi leonum dentes non adeo validi sunt qualis illa certe est, quæ nempe nulla vi impediri potest ne tempore certo filiam a matre divellat. — Mors stupebit et Diabolus, quando ab ipsorum tyrannide vindicabitur humanum genus universum : tum vero protege me, o Fili Dei ; sub alas misericor-

diæ tuæ recipe me; nec committas, oro, ut coram te mea publicentur crimina, neque ad summam ignominiam nudum me mea scelera ante omnium oculos sistant. Ascendent e tumulis mortui in ordinem immortalium asciti, et inferni seræ sonitu tubæ quassatæ et diffractæ dissilient : in fide et spe tua, Domine, obdormivi, ne me, quæso, sinas cum fidei desertoribus et desperatis in inferno retineri et contabescere.

VI.—Confide, frater; enimvero qui Jonam de ventre ceti orantem exaudiit pelago in medio, te quoque ad immortalem vitam e mortis faucibus extrahet, ac tartaro eripiet.—Valete itaque quicumque meum curaturi estis funus, mihique veniam et pacem exposcite; via quam ingredior cum æternitate duratione sua communicat.—Tuus quidem convictus nobis jucundissimus fuit, et nunc etsi tuus subtrahitur conspectus, memoria tamen tua nobis, qui te semper coluimus et unice diliximus, nunquam excidet.

CANON LV,

COMM. XI.

I. Secus tumulum quo inferendus sum forte consederam, cum subiit animum explorare sepulta ibidem cadavera. Ossuarium itaque ingressus video adolescentes quos ante noveram insigni venustate præstantes in pulverem abiisse, quamque olim mirabar formæ dignitatem penitus extinctam esse. Hinc subitam conversionem stupens, ubi species nota illa est, aiebam, et quid ita concidit ille viridis juventæ vigor? Cuncta scilicet in cinerem resederunt, dissolutaque compage, partium etiam comparatio et proportio omnis confusa est. Sed et ubi ille oculorum fulgor? Extinctus est nimirum. Et ubi oris decor, et conspiciendus

totius corporis habitus? Cuncta fuisse umbram deprehendi, et divulsis dissipatisque membrorum cæmentis atque juncturis, omnem pulcherrimi juvenis speciem revanuisse : inde naturæ nostræ caducitatem intellexi, et oh! qualem, dixi, laturi sumus exitum! Tum mirabar Diaboli astum, quo factum fuerat ut in hujusmodi luctum prolaberemur. Hinc cogitabam me quoque non absimili addictum supplicio, atque in hasce tenebras quantocius detrusum iri; ut me continere non possem quin in uberes lacrymas effluerem. Jucundam in libero aëre vitæ usuram considerabam, cumque sepulcri carcere, in quem compingendus eram, comparabam; mox animo revolvens quale et quantum mihi pararetur malum, ad meum collacrymabar casum; inde naturæ nostræ ingenitam recogitans nobilitatem, eamque cum luctuoso ejusdem exitu conferens, eheu! aiebam, in quales ærumnas posteros suos Adamus conjecit! Ego vero, qui videram non paucos in summa gloriæ atque fortunæ altitudine exultantes cum viverent, nunc vero hos ipsos in sepulcro tabo sanieque diffluere cernebam, quidni in lacrymas et acerba suspiria erumperem? Enimvero cum vivos nobiscum versantes cum mortuis in sepulcro depositis componerem, tristi specie commotus, o te miseram, aiebam, Adæ progeniem! proh qualia te fata manent!

II. Vivimus hodie, mutuo confabulamur, agitamus multa; crastinus nos dies vita fandique facultate spoliatos tumulabit, et cum promiscuo silentum vulgo confundet. Cujus te hodie forma delectat, postera luce mutatum ab illo horrebis et fugies; quique hodie suavem spirat odorem, graviter olebit cras; quem hodie cursitare vides, cras omnis expertem motus revises; quemque hodie se cunctis præferentem vides, et divinos prope honores affectantem, postero die mortuum efferri videbis, mox sepultum humi putrescere : en quiescit, silet et squalet. Eheu! quam gloriosus Adæ in vitæ introi-

tus! quam despectus, et fœdus inde exitus fuit! Natum Paradisus excepit, mortuum atra obtexit nox. Si nascentis gloria magna fuit, major utique consecuta est morientem ignominia; scilicet vitæ primordia illustravit Paradisi umbra, infamarunt finem sepulcri squalor et sordes. Quam jucunda fuit in Paradiso commoratio! quam turpis et horrida mox subsecuta in sepulcrum relegatio! In illo summa tenuit, in isto ad ima depressus est. Primum ejus domicilium beatissimum fuit, medium ærumnis et laboribus infestum, ultimum triste et miserrimum. O lamentabilem hominis casum! Unde miseri excidimus, et quo tandem prolapsi sumus! E Paradiso ejecti, dejecti in sepulcrum sumus; ab Angelorum consortio depulsi, amissis amœnissimi horti deliciis, tineis, vermibus et serpentibus præda dati sumus. Sic priorem illam gloriam, qua nostri generis parens in Paradiso fulsit, excepere vermium greges, qui cadavera nostra depascerent, et pulcherrimum corporum nostrorum ædificium, summi Patris insigne opus, in vilissimorum insectorum cubile mutarent: postquam ab illo honoris et dignitatis fastigio, quod Adamo Paradisi colono obtigerat, ejus posteri in infernum corruerunt, datum tineis pabulum; causa mali tanti non alia fuit præter Hevæ culpam, ipsa nostri casus et interitus auctrix facta est, ex quo Diaboli dolis capta fuit; is videlicet per serpentem illam fascinavit, mox generis nostri caput per ipsam circumvenit, quare frustra aliunde repetas nostrarum calamitatum originem.

III. Talia, fratres, mortuorum tumulos circumiens velut oculis meis exposita considerabam, cum ad altiora me meus animus repente extulit, indeque Dei justitiam vehementer suspexi; nimirum mors divini judicii imaginem exhibet, quippe quæ omnes mortales promiscue ad tumulum rapit. Sceptra regum minime reveretur, nec optimates ab infima plebe secernit; sed conserto velut agmine prin-

cipes agit et subditos, divites et inopes ; et quemadmodum nec supremi Judicis æquitas præmia et pœnas dispensatura personarum qualitatem attendet, sic neque mors mortales ex vultu æstimabit in eo articulo in quo ultima rerum humanarum linea ducenda erit : regem proinde nudum efferet qualem unum de plebe efferre solet, nec alio quam quo pauperes vincire consuevit compede constringet, cum infimo vulgo in subterraneam cryptam ocius detrudendum. Mors dynastas suis exuit insignibus, et ad privatorum sortem redigit; ad januam quippe mortis quo quisque hactenus fulsit, ornatum deponit. Mors superbos alta cupientes deprimit, et peracto funere in teterrimum carcerem compingit; nec porro liberalius accipiet qui sua fortuna gloriantur sibique placent, quin in commune, quo cæteri nocentes detinentur, ergastulum conjiciat non dissimilibus exercendos pœnis : omnes siquidem mortales æquat sepulcrum. Hoc nimirum ad infringendam illorum audaciam remedium inventum est, ut videlicet intelligerent se supra egentes ac tenues extollere non debere, ad similem squalorem et sordes adducendi fuerunt.

IV. Jam perge porro quicumque sapis, et æquissimam Dei justitiam rursus contemplare; admirare supremum illum Judicem, cujus æquitatem nec potentis dignitas labefactavit unquam, nec divitis opulentia dissolvit. Regem vidisti suis ante verendum insignibus, et in summo gloriæ et amplitudinis fastigio collocatum ; intuere nunc in pulverem redactum, et utrobique Altissimum mirare et lauda ; ipsum illum vidisti regali bysso et purpura ovantem, respice in sepulcro cum mortuorum vulgo depositum, ejusque cadaveri substratas tineas et vermes. Spectasti quasi Deum honores et officia dispensantem, sibique tantum non omnia arrogantem : atenim quem hodie se cunctis præferentem, ac tantum divinos non affectantem honores, pos-

tero die mortuum efferri cernes, et inter infimas plebis minutæ quisquilias vocis motusque expertem humi putrescere.

V. Ego vero cum magnam ejusmodi rerum nostrarum æquationem contemplarer, et, morte omnes promiscue mortales rapiente, summos æquari infimis, divinæ æquitatis symbolum quoddam in tinea illorum corpora indiscriminatim consumente mihi fingebam. Videtis, charissimi, quam prope distet horrenda nostri obitus hora a magna illa die in quam Deus scelerum pœnas reservat : utrique certe par est in inferenda sententia severitas; nec enim mors statutum regibus e vita decessum in diem posterum prorogat, nec divina æquitas meritis cujusquam particulam detrahi patitur, quin unicuique pro debito justitiæ reddat jus suum.

VI. Æqualis est toti naturæ ortus et interitus, tum corporum corruptio; omnes in his tribus pares sumus, nec alter altero major aut minor est. Haud enim dispar decreta est mortuis resurrectio; omnes quippe, sive justi sive iniqui, sua singuli corpora pariter recipient in generali illa mortuorum restitutione : et hæc quidem omnes habebit æquales, omnes namque, ut dixi, resurgent; etsi non eadem nec paria cunctis reddentur sive præmia, sive supplicia, sed hæc justo librata examine singulis pro merito dispensabuntur : quapropter non ut in resurrectione, sic in pœnæ mercedisque distributione pares erunt; sed qualem quisque suis sibi actibus parabit locum, obtinebit. In resurrectione proinde corporum nullum intererit discrimen, conserti mixtique mortui resurgent, singuli tamen judicabuntur, et suum cuique jus pro merito reddetur. Cogita ergo qualem domum, dum tibi vita manet, tibi ædifices; non enim aliud, postquam hinc excesseris, habebis tectum. Hæc omnia supremus mundi dies decernet : quamcumque

ergo sortem sibi quisque in hoc precario diversorio quæsiverit, talem illo ultimo die divino examine ante probandus adibit.

VII. Age vero, contrahenda nobis hic vela, ut mutata velificatione alium deinceps teneamus cursum; accepti scilicet beneficii memoria nos revocat ad prædicandam Salvatoris beneficentiam, qui suo descensu corporibus nostris immortalitatem asseruit. Hic porro primum gratiæ agendæ sunt summo Parenti, qui Filium ad nos suum allegavit disposuitque, ut idem nostræ carnis tegumento obumbrata propriæ naturæ majestate mortem nostram gustaret, suaque resurrectione nostram reparationem repræsentaret. Medicus sapientissimus, quam ægro porrigebat potionem, prior ipse libavit, quo ad eam sumendam illum animaret. Enimvero cum cerneret Adæ nepotes injecto terrore mortis horrescere, hunc sua morte metum nobis abstulit. Inde factum est ut post Christi mortem nostra nobis somnus videatur mors, et separatio a corpore ad nostram usque restitutionem duratura.

VIII. Tuum, dulcissime ac benignissime Domine, beneficium agnoscimus et prædicamus, postquam nostræ resurrectionis typum ipse e tumulo redivivus descripsisti, factusque primogenitus ex mortuis præstandæ nobis immortalitatis arrham dedisti; in te mortui respectant, dum promissæ resurrectionis spe se interim sustentant. Sol es; diem, precor, ipsis aperi, et mœstos exhilara : mortuos tegit humus velut commissa tibi semina, vitalem pluviam, Domine, mittito, hoc scilicet humore aspersa cadavera novis repullulascent frondibus; sub humili gleba sepulti jacent mortui, sique tuo perfundantur rore, quasi sata suis operta sulcis statim in magnam segetem erumpent : tuum opperitur imperium illorum silentium, tuam præstolantur in tumulis lucem, a qua vitam sibi immortalem redden-

dam confidunt, oraque sua ad agendas tibi gratias pro parta sibi salute solutum iri; utinam tibi, Domine clementissime, placeat aliquando tandem generis nostri relevare casum, membrorumque nostrorum ordinare compaginem, et corpora in pulverem redacta reficere; tuo quippe numine reparanda speramus quæ hucusque perdidimus. Reliquum est ut ad prædicandam tuam in nos beneficentiam vivos et mortuos et cuncta quæ condidisti sæcula provocemus; ita, Domine, tua in nos præclara merita celebrabunt seri nepotes, nec ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet.

CANON LVI,

COMM. XII.

I. Enimvero ubi mihi venit in mentem supremus dies quem Reparator mortuorum suo adventui præfinivit, futuri judicii timore perterritus, totus contremui; omnium nempe dierum ultimum eum fore sciebam, qui victores pugiles beatorum sedibus transcribet : ejusmodi porro mihi objecta species, quæ mox dicturus sum suggessit. Adeste igitur, fratres, socii, patres nostri jurisconsulti; advertite huc, precor, animum, paucis vos morabor.

II. Quæ modo nobis fluit, vitam videtis; quid habet ista commodi, quid non potius laboris? Quam varia ejus ratio, quam vaga volubilisque fortuna! humana omnia occidunt, fluunt ac labuntur, præter rectam fidem et veram sanctitatem, quas in publicum prodire pudebit nunquam. Cogitate quomodo improvisa nobis nostros mors abstulerit majores : atqui scitis quot illi pertulerint labores, quotve exerciti fuerint ærumnis; ecce autem evolutis vivendi spatiis mortuos hausit humus et assumpsit. Cecidere potentis-

simi reges, suoque casu sua regna oppresserunt, nec eorum ruinam suffulsit debellatus orbis, armisque subactæ gentes nullam lapsis tulere opem, nec afflictos relevarunt opes arena copiosiores, aut congestæ supra omnem censum divitiæ: attamen ad propagandam in posteras ætates sui nominis famam condidere urbes, altis cinxere muris, communiere propugnaculis, statuas admirandæ magnitudinis erexere, pingi curarunt augustas imagines, arbitrati perpetuos fore testes fortunæ atque gloriæ suæ; mors ecce illorum spes et consilia pervertit, ipsosque bonis vitaque spoliatos rapuit, cadavera in pulverem redegit. Magistratu alii summisque honoribus fulsere prius, quibus placebat nobili curru vectari, et equos habere forma ac celeritate præstantes : quid? num non istos præceps, rapida mors tandem nobis eripuit tumuloque dedit? putrefacta membra en vorant tineæ et vermes. Rursus percontare quis habeat modo locus fortissimos duces rebus domi militiæque gestis claros; hos scilicet sors similis communi mortalium voragini transcripsit, pulveri unde crevere restituendos. Vel quas petiere oras divites, quos insita habendi cupiditas aurum colligere suasit et in seros annos recondere? viden' ut quas coacervarunt opes, subita mors abstulerit. Rursus mirare quomodo brevi intervallo defluxerit fœminarum Hevæ nepotum eximia illa oris species et excelsa corporis statura, indeque totius corporis dignitas, tum amplæ et ornatæ vestes : siccine mors simul omnia sustulit et dissolvit?

III. Non aurum, fratres, hominum quempiam immortalem fecit, nec prædia fundique vitam cuiquam ultra præfinitos terminos protulerunt; non eximunt letho sceptra reges; dynastarum et principum fortuna mortalis et caduca est, eorumque caducitatem testatur casus ipse corporum et conspicui cineres; mors rectores populi sibi subjicit, qui aliis jura dederunt sibique scelera aggerarunt; suumque

subire jugum cogit tyrannos, qui rempublicam iniquo imperio pessumdederunt; nec opulentis parcit, quos avaritia omnia venalia habere docuit, nec impunitos dimittit rapto vivere assuetos; pulverem utrisque pro auro ingerit : nautam suetum marinos fluctus fragili subigere ligno appellat et judicat : litteratos frustra reluctantes rapit, quodque veram sapientiam neglexerunt, redarguit; ingenii acumine rerumque notitia excellentibus vocem intelligentiamque adimit, temporum rationaria indagantibus cursum intercipit. Obmutescet illic raptor a suo raptore oppressus; solvetur servitus, servis supremi Domini ad dexteram locatis; quiescet arator : mors laboris finem dabit, eadem avaros colligatis pedibus manibusque prosternet, qui rerum fluxarum cupiditati nullum statuere modum; oris contumaciam comprimet, et oculorum licentiam compescet. Calceamenta multi laboris opus illic necessaria non erunt, ubi duro compede constringentur pedes; pretiosæ vestes detritæ consumptæque in pulverem abibunt; nudata corpora inde abscedere vetat insolubile mortis vinculum. Non descendunt ad inferos magnificæ ædes, non triclinia, non thalami; dominis in eum carcerem relegatis, ad alienas transeunt ista manus, nec a nobis discedentem sua sequuntur bona nec per fas nefasque quæsitæ opes. Æquissimus ille Judex acta nostra severe discutiet : tuba vicinum Unigeniti adventum prænuntians clanget, quo clangore totus concussus trepidabit orbis; sol suos contrahet radios, et luna suos; ratos astra motus intermittent, suum cœli ornatum deponent; quidquid ars excogitavit et finxit, gemmis esto refulgens et auro, recidet in nihilum ; amplissimarum urbium ruinas vastitas et solitudo teget. Pii promissum regnum adibunt, et in paradisum translati ævo sempiterno fruentur; et impii detrudentur in gehennam commeritis illic plectendi pœnis, unde, agente scelerum

conscientia, clamare cogentur : « Justum judicium tuum, Domine rex noster. »

IV. Agite, charissimi, quod sapientes decet, et mutua nos adhortatione juvemus. Quem itaque admissa præteritis annis peccata remordent, eleemosynis ipse se redimat; linguæ frena laxare, et quavis data occasione aliorum facta sugillare et carpere suetus, sua dicta ad trutinam revocet et expendat, divinæque justitiæ judicium timere discat. Quique sibi in multos suffectura annos alimenta congerit, victu diurno contentus, incerti temporis curam abjiciat; et cui fervet avaritia pectus, Giezi exemplum intueatur et exitum pertimescat. Qui autem inopiæ pauperum suis facultatibus opitulari consuevit, in beato Job videt quod non erubescat imitari; qui suam cum esurientibus mensam participat, laus huic cum Abrahamo communis erit. In ea itaque, fratres, incumbamus studia quæ nobis salutem afferant ac tueantur; id agamus unde Bonus nostram animadvertens erga se voluntatem et sincerum amorem, suas nobis aperiat fores, ejusque nos recepti in domum, ipsius misericordia vivamus.

CANON LVII,

COMM. XIII.

I. Regem mihi, precor, exorate cum lacrymis, fratres, qui a vestro prope divellendus sum consortio : orate, ut mihi contingat hinc decedenti beatam invenire vitam, et ad perpetuam venire lucem. —Non est tibi, frater, unde doleas, quando nec tibi hæsit culpa, unde timeas : confide, tibi placidus occurret is qui est super omnia benedictus, tuosque ampla mercede labores compensabit. — Decretoria mihi prope imminet sententia : vitæ meæ spatia contracta, finita sunt : ante provisum viaticum Rex viam inire jubet.

— Misericors est, facile de suo supplebit quod tibi deesse putas; quas habes mnas, in millia decem tibi auctas repræsentabit. Sed et confide, Sponsus cui servasti fidem, tuo imponet capiti coronam.

II. — Atqui evoluto concesso mihi vivendi spatio, en adest Angelus dierum censor meorum, cogitque me cunctantem præcipitare moras; meum potius flete casum, profusisque lacrymis vestras pro me preces adjungite, discedentem et a vestro convictu mox separandum animo memoriaque retinete. Equidem dum reputo paratum mihi rogum, refugit timido sanguis; quapropter diffidens precationi meæ deprecatores vos cupio; multum præsidii, multum opis ex vestra suffragatione spero, tremendum dum paro trajicere ignem. — Pone metum, frater, ad illum tranandum ille super omnia benedictus vires subministrabit; dabit ipse pennas, quibus furentes flammas facile supervolabis.

CANON LVIII,

COMM. XIV.

I. Mortem et Diabolum altercantes audivi uter ipsorum esset potentior hominis adversarius : suam mors extollebat potentiam, cunctos sibi subigentem mortales; suam Diabolus artem, qua eosdem, cum libuit, in nefaria scelera et pessima facinora præcipitare solet et perdere. Favete, adeste et cognoscite jure ne, an injuria reportatam de genere nostro victoriam sibi arrogent ambo; liquet enim contrarium accidere, ut victus uterque sit, nec vicerit unquam, imo nec vincendi ipsis spes ulla supersit. « Ehodum! Mors, Diabolus inclamabat, quid superbis et justis insultas? Domini tui proles sunt isti, nec tuo, sed parentis imperio parent, dum tibi se sistunt. — Atqui tibi, improbe Tenta-

tor, mors reponebat, obedire cuique liberum est; ego vero vel invitos ad tumulum rapio. —Non abnuo, aiebat Diabolus, atenimvero pudet utique me tyrannum dici, et liberes servorum habere loco; idcirco aliam mihi placuit inire viam, ut rem dolis et illecebris transigerem, nec patientes et invitos, sed volentes libentesque haberem subjectos. — At si qui, mors instabat, imperium dederunt, abrogandum decernant, num tu decretum infringere potis eris? Meum, contra, jugum cuinam effugere aut excutere licebit unquam? — Nec ego id diffiteor, Diabolus subdebat, at tu etiam fateri debes tuum subire jugum eos duntaxat quos istud pati cogunt prostratæ vires et valetudinis casus. Ego vero tanto feliciore successu dimico, quanto plus viribus, opibus et potentia adversarii valent.

CANON LIX,

COMM. XV.

I. Per obitum corpore solutus animus constitit anxius ac admodum tristis in bivio, unde statim binæ erupere acies contrariæ et discordes, dum ad suas unaquæque partes illum trahere decertat : mali siquidem dæmones instant ut præcipitem impellant in gehennam; obstant Angeli, et ad lucidas beatorum sedes deducere contendunt. In eo immortalis vitæ æternæque mortis confinio constitutus animus flocci non faciet charissimos quondam animos, fratres, cognatos et familiares; congestas opes aspernabitur et quæcumque possedit bona ; suorum illum peccatorum sola premet recordatio, exagitabit et anget : obstupescet enimvero se in tam multis peccare potuisse; tum vero ad corpus cui hactenus insederat conversus : « Vale, fidissime comes, dicet, nos separat mors; tu hic manebis, ego discedam. » Cui

corpus : « Omnia tibi, mihi charissime, precor bona, incolumitatem, salutem, reditum ; qui autem nos ambos condidit, cavebit nobis utique ne in tartarum devolvamur. »

CANON LX,

COMM. XVI.

I. Succurre, Pater, meum miseratus fatum ; placidus occurre mihi, clementissime Judex ; sed me, qui tuo sum sistendus judicio, prius e tumulo evoca ad vitam eo die quo tuum apparebit signum : ita, Pater, qui me ex sola tua misericordia e luto formasti, labefactam mihi restitues formam, cum supremo mundi die omnium mortuorum fracta remolieris corpora. Credimus utique, Jesu rege nostro comparente, sepulta ab orbe condito cadavera esse revictura ; vitam ipsis refundet illius vitalis vox, et omnes excitabit dormientes. O diem cunctis mortalibus formidandam, qua, dispositis suo quoque ordine tribunalibus, obeundum vadimonium reis denuntiabitur ! Oh! qualis iniquos tunc obruet confusio, reputantes æterna ipsis apud inferos supplicia constituta ! O me miserum, cui prope imminet judicii dies, qui cuncta malefacta mea propalabit ! Quis autem justificabitur in conspectu tuo illa hora qua libros aperies ? nec enim ibi pœnitentiæ aut precibus dabitur locus, ubi sententia decretoria de summa litis ferenda erit, cui proinde vel dicto vel facto nemini refragari licebit.

CANON LXI,

COMM. XVII.

I. Obsecro, Domine, ne me cum impiis constituas ; cum ego te confessus fuerim, tu me vicissim confitere : ne me,

precor, ad sinistram colloces, qui utique Diaboli socius non fui; prohibe, quæso, malum, ne in igne positus voces mittam doloris, qui laudis tibi hymnos cantavi; aut atro clausus carcere vociferationibus furiosis insaniam, qui noctes in Psalmis traduxi : neve rejicias me in numerum eorum qui te in crucem egerunt, qui crucem tuam meum duxi refugium; neque committas ut a tuo tribunali contracto animo et capite demisso discedam. Aspice me, precor, adsis et placidus juves, et avertas mala, magne Judex et magne judicum censor.

CANON LXII,

COMM. XVIII.

I. Oppido quam magnus generis nostri auctor in sua conditione fuit! rursus mirum quam despicatus et nullus evaserit in sua dissolutione ac interitu : resurget tamen tua, Domine, gratia redivivus e tumulo. In sua conditione Conditoris sapientiam velut in viva imagine repræsentat; in sua dissolutione veteratoris accusat nequitiam, cujus fraude periit. Sed confundetur utique Diabolus revisurus illum gradu repositum pristino. In suo natali clarus et ornatissimus fulsit, omnem subsecuta mors sustulit gloriam : si vivus aliquid fuit, mortuus jam nihil est. Tuum est, Domine, collapsa restituere, qui causas cognoscis et acta examinas; tu qui reum condemnas, et insontem absolvis.

II. Hominis species divina est, esto exitum qualem muta animantia ferat. Formæ quam, Domine, nobis dedisti, intuere dignitatem, et qualis eam decet ipsi decerne locum. Vivus unus ipse omnes loquendi facultate excellit; mortuus mutis animantibus compar factus mutus erit : tu, Domine, loquelam et cantum restitues. Interea vero dum nostri

corporis compago dissolvatur, reliquis nos soluti curis, mundi vanitatem consideremus, eaque perspecta, hoc unice satagamus, ut Domino operam nostram approbemus. Omnipotens Deus, qui flecteris precibus hominum, respice nos, tuisque verbis nos solare afflictos eo die qui nobis tuas laudes narrandi canendique adimet facultatem obturata profluentis scatebra, et siccato eloquentiæ flumine.

CANON LXIII,

COMM. XIX. — *In tempore pestis.*

I. Magnam panegyrim indixit mors, contraxit populos et gentes, reges et principes, præfectos et satrapas; totam concussit terram, turbavit insulas et maria, orbem universum commovit; sed et omnes mundi ætates ac tempora concitavit, amplissimam aperuit voraginem, sepulcrum omnium sæculorum mortalibus paratum receptaculum: mortuorum media in regione sedet suo stipata satellitio, regum more; circumstat promiscua hominum colluvio, cujus numerum ipsa novit, quæ omnes traxit nulli evitabilis mors. Jamque magnam generis nostri partem prostravit, et in atrum compegit carcerem; loquentes vivos cum silentibus mortuis acervatis cumulis permiscuit; sepulcra cuncta patent, clausæ squalent amplissimæ ædes, illa cadaveribus farta, istæ habitatoribus vacuæ; apertam ad ossuaria viam frequentissima turba terit, vitæ deserta via est : infernus et perditio non saturantur, nec sepulcra dicunt : « Ohe satis est : » deserta omnia sine capite, sine viribus, desolata tecta, intermissa opificia, inculta arva : una omnes jam urget cura sepulcri, hæc dies noctesque miseros fatigat, hanc nemo in posteram rejicit lucem : instat quisque sollicitus proprio corpori præparare tumbam,

hæc mollibus lectulis potior evasit; satagit quisque tot construere busta quot habet domi familiares : pauperes curtam, quæ suppetit, suppellectilem divendunt, dum institas ad funeris pompam comparare festinant : pecunia, aurum contemnitur; cavent omnes ne sibi post obitum sepultura carere contingat : confluente undique multitudine fervet via ducens ad loca mortuorum; scilicet tanta fit morbo strages, ut humandis cadaveribus vix suppetat locus, dumque suorum quisque curat funera, deficiente pollinctore, jacent strata in viis exanima corpora; aggesti ubique tumuli terræ contraxere spatia, insepulta cadavera tabes absumpsit.

II. Cum vero curatio ipsa et contactus ægrorum vulgaret morbos, indeque mors ob oculos versaretur, incessit desperatio, et velut accisa vitæ retinendæ spe, funeris una omnes cura sollicitat, satius esse arbitrantes sepulcrum ante lethum occupare, quam, morte secuta, sepultura mulctari. Sani superstites pestilentia ante sublatos beatos prædicant, ut quibus justa persoluta fuerint et peracta de more parentalia. Terra cadaverum computrescentium tabo infecta imbuit ambientem aërem odore teterrimo : defluxit omnis formæ decor putrefactorum corporum contagione corruptus; pulcherrimi juvenes luto fœdiores evasere; corpora venustissima, et ad miraculum exculta, in vermium colluviem mors transmutavit.

IV. Accidit interea frequentissimus ad sepulcra hominum concursus promiscuæ multitudinis vivorum atque mortuorum : mortui sepulti jacent, sepultos vivi complorant; mutati hominum vultus, species jam nulla est, nec servus ab hero, nec a formoso deformis discernitur : cuncta longe lateque loca pestilentia invasit; tanquam messor, indiscriminatim obvios demessuit, lactentes e sinu matrum deripuit, et in cunabulis parvulos elisit; juvenes

ruri, domi virgines corripuit et sustulit; sponsos in epulo nuptiali oppressit, nuptiarum lætitiam vertit in luctum; novas nuptas exanimavit et abjecit, thalamos subvertit; cantus et choreas abrupit, mœstitiam et fletum domesticis indixit : ab urbe ille decesserat, in alias migraturus oras; iter mors intercidit et extinxit : pulsabat iste fores propinquæ domus, respondit ab intra mors; forum alius intraverat, processum illa interclusit; alium viam ingredi cogitantem eadem excepit et abduxit; alius mensam instruxerat, mors intercessit, parataque dape frui interdixit; durum alius fugiebat herum, servo fugitivo libertatem restituit obvia mors; cuicumque illa occurrit, sepulcrum parat.

V. Vacuatæ ædes ossuaria impleverunt texeruntque, monumenta aperta mox inferenda opperiuntur cadavera, clausæ domus habitatorum absentiam testantur : risus, lætitia undique exulant, regnat ubique fletus, mœstusque per omnes it gemitus et dolor et horror. Ipsa terra incolarum suorum calamitatibus ingemiscens, Dei misericordiam multis et supplicibus precibus sollicitat, ut placatus velit tantis malis dare finem. « Obsecro, Domine, clamat, morti pone modum, funeribus vix unquam saturandæ nostris; jube a cædibus jam tandem continere manum : facta sum quasi vidua undique deserta, attonita stupeo, nec satis mihi jam consto. Viæ desertæ sunt, destitutæ habitatore domus, sublatis civibus silet forum : mutarum animantium voces, mitissime Deus, et atroces gemitus exaudi, precor. Areæ dominorum casibus illacrymantur, cessarunt aratores, ereptum lugent pecora pastorem, ignotis in montibus sine rectore palantur : mœret equus sessore amisso, et crebris hinnitibus domini interitum complorat : arva suis destituta colonis squalent; simili squalore obsita horrent agri et vineæ, data pecoribus pascua. Obsecro, Domine, inferni claude fores, et mortis os obstruito; obsigna

quæ illa, luc grassante, aperuit monumenta : situ et illuvie sordent domus, solita frequentia orbatæ viæ lugent; triclinia, cubicula ulcerum putrescentium odorem spirant, cadaverum saniem olent viæ; sic extra et intra et ubique aër putredine tabescentium corporum halitu infectus putet. Torcular sibi mors intra ædes nostras construxit, cujus fama late per orbem pervagata est, collegit populum nostrum, et quasi uvas calcavit.»

VI. Verumtamen videte, fratres, ne vobis memoria excidat causa ob quam pestilentia nos invaserit. Enimvero quamvis obriguerit nobis cor, et saxi naturam induerit, attamen quæ mala nobis inciderunt sentire debemus : atqui nobis cavendum est ne, Deo nostra peccata vindicante, talibus pœnis exerciti ita ploremus ut simul orphanum immeritum flere compellamus; neve hodie præbeamus charitatem, posteroque die aspera odia exerceamus : omnes itaque puro corde et continuis precibus Deum propitiare studeamus, ut pestilentiæ finem faciat, nostrique misertus avertat mala, et nos dignos efficiat qui die novissimo ipsum beatas sedes repetentem sequamur.

CANON LXIV,

COMM. XX. — *In tempore pestis.*

I. Quorsum jam quæritur historia rerum procul ab ætate aspectuque nostro gestarum? Mors ecce in ædibus nostris cujuslibet ætatis mortales depascitur, virga furoris armata sævit, cum utroque parente natos effert ad tumulum, cadavera prosternit humi, mox etiam dissoluta compagine ossa disperget qua sinent monumenti spatia : dulces expirant in complexu matrum infantes, et quasi decidui flores juvenes intereunt; ventres qui vivos effuderunt, sequuntur

extinctos : repentino casu exanimata corruit mater, cum nfans penderet ab ubere, sive oscula porrigeret, seu luleret ejus coma et dependulis cirris; vocat interim balbuiente ore matrem, nec eam obriguisse sentit; sic dulces cantus et suavia oscula intercepit mors. At at quonam deluxit fons ille inexhaustus materni amoris? quomodo pressa ilent labia adeo in sermone blanda, nec viscerum suorum ructui ulla jam libant oscula? cur vos, amici, in crudelem natrem non insurgitis, quam piget gnato in ipsius sinum corruenti succurrere? o mulier, quam cruda es, quam barbara, quæ viscerum tuorum sobolem negligis! Quid? estne hic quem gestasti per menses novem? num alius est ab illo propter quem nuptias optasti, et ædificasti domum, ut videlicet fieres mater, et facultatum tuarum haberes hæredem? quodnam te modo impulit malum, ut natum non modo desereres, sed et a tuo conspectu procul abigeres, adeo abfuit ut a collo tuo suspensum amplexareris? Ehodum quid cunctaris? tende brachia, et natum sustolle tuum, dira mater; admove ori ubera, et lacta; amplectere, et labiis fige oscula. O inexplicabilem luctum! nec tamen in lacrymas spectantium diffluunt oculi, nec erumpunt in voces dolore plenas : extinctis dominis solitudine horrent domus, nemo tamen secum reputat tales fore quas habitat edes : relictæ opes dominum reposcunt, pater occidit, filius parente orbus undique derelictus errat : super nati cadaver exanimata corruit mater : reliqui silent, suis scilicet diriguere malis. Quid nos ergo tantopere sollicitat ucis hujus usura plena lacrymarum atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinemur, cum nobis optandum magis sit invenire sepulcrum, quo nostræ mortalitatis ignominia tegatur? verendum namque est ne pollinctorem aliquando desideremus hanc protelando curam, adeo crevit pereuntium numerus, totque jam desertæ sunt

ædes : texere vias aggerati morbidorum grabati; neglecti, derelicti in compitis mortui jacent in conspectu suorum similem mortem expectantium. Quis talia vidit unquam, aut huic similem scenam spectavit lugubrem horribilem? scriba suo casu calamum fregit, tabulis caput allisit : feretro eodem bini, quandoque terni efferuntur discipuli, stupente magistro et attonitis parentibus : cum suo cultu virgines, cum suis coronis sponsæ, senes, juvenes et impuberes pueri gregatim ad inferna descendunt : fœminæ in gynæceis occultæ vulgi oculos fugiebant; ecce velut morticina canum extra ædes projecta earum cadavera pedibus proculcantur. Jamque adeo assuetudo mali animos efferavit, ut non modo non lacrymis prosequantur mortuos, sed nec efferant quidem, aut sepeliant : cadaverum numerus adeo increvit, ut assiduo labore lassati pollinctores, curam prorsus abjecerint, nec invenire sit qui sodalium calamitati mentem adhibeat. Venere dies quibus intra canum aut agrestium bestiarum viscera sepulcrum opperiri compellimur. Eia, fratres, supplices ad cœlum tendamus manus, Dei clementiam cum gemitu et lacrymis imploremus. Succurre nobis nunc, Deus, quæsumus, ut invalescentem in dies pestilentiam avertas, neve committas ut servorum tuorum corpora pereant, et canibus avibusque præda fiant : ab hujusmodi ignominia tuere, precor, novos item nuptos, et prohibe ne, dum venustati student et mundum parant, lue correpti cadant, eorumque cadavera feris discerpenda relinquantur. Rursus ne viri fœminæque post ætatem integre casteque exactam ab obitu projiciantur in vias, et a transeuntibus tanquam retrimenta proculcentur.

II. Interea vero dum infelix populus in tanta mala præcipitatus, rerum humanarum spectaculum præbet, fratrum nostrorum cladibus nos ingemiscere justum est, et cum acerbo dolore et luctu divinam clementiam in auxilium in-

vocare, antequam lux nos deserat. Te, Pater et Fili, mortui viviquc laudent, et Spiritum sanctum semper glorificent. Amen.

CANON LXV,

COMM. XXI.

I. Beatum dicite, fratres, cui persuasum est mortem sibi esse inevitabile malum, proptereaque viaticum ad viam providet ad sempiternum ævum ducturam; quamobrem beatum te, charissime, arbitramur, qui non ignarus humanarum rerum, quam eæ fluxæ et mobiles sint, piorum operum thesaurum tibi in cœlo reposuisti. At tu, Domine, ea die quam vindicandis impiorum sceleribus præstituisti, fer afflicto opem merito crucis tuæ, sicut latronis misertus es. At tibi, frater, bona sit spes fore ut eo quo cœlestis Rex venturus est die, te e somno excitet, et indumento gloriæ exornet.

II. — Sedenimvero mors me mærore complevit, charissimi, eo quod a vestris subselliis in ævum sempiternum me separare parat. — Ut tamen ita sit, citharam certe tuam, quam illa nostris choris auferet, ad supernam Jerusalem transferet, suavissimum melos illic modulaturam. Tu autem, Domine, ne, precor, avertas faciem tuam a servo tuo supremo vitæ die, quo a tua majestate ejus causa disceptabitur. Tu vero confide, frater; navatam sibi Christus operam mercede fraudare non potest, pro tuis proinde laboribus te illic ad commeritos honores provehet. — Hoc ipsum, fratres, me exagitat, quod quis non timeat? cum sciam illic unumquemque pro operum suorum ratione præmium seu pœnam laturum, sicut scriptum est. Tua, Domine, gloria in tuo adventu sua luce me recreet, ut tua

gratia sublevatus in illud transferar regnum ubi sempiterno lumine justi amici tui beantur. Spes es mœrentium, dulce præsidium afflictorum; tua, obsecro, pro me nocente stet pietas. — Spes illa qua te per dies et noctes sustentare consuevisti, eadem futura est ad paradisum comes, cum tibi resurrectionis affulserit dies.

III. Adesto mihi, Salvator meus, cum apparuerit misericordia tua, ut resurgam, tibique pro collatis beneficiis gratias agam, quas debeo, maximas cum sanctis qui virtutis studio claruerunt, et martyribus qui coronam adepti sunt. Interim dum hæc agitur vita, da nobis sic nostram curare salutem, ut aliquando obtingat tuo potiri aspectu, tuamque in nos beneficentiam testari.

CANON LXVI,

COMM. XXII.

I. Quicumque mortales estis accepti beneficii memores, Filio Dei habete gratiam, qui vos a mortis servitute liberavit; nam cum vestra vos peccata in hunc carcerem conjecissent, ad inferos ille descendit, mortisque vincula rupit, et mortuos e sepulcris suscitavit. Et quoniam collata generi nostro ab eo beneficia nec compensare, sed nec satis quidem æstimare possumus, nostra certe damna recogitare debemus, et ad ea reparanda pœnitentiæ nobis subsidia comparare. Rapido cursu præterfluit tempus, nihil semper floret, ætas succedit ætati : felices qui præteritæ vitæ malefacta damnant et expiant! miseri iniqui qui justitiam necdum didicerunt! Quod si, Domine sanctissime, ex jure et justo nostras dijudicare causas velis, quem tuum absolvet judicium?

II. Nemo partis opibus confidat, nemo adeptus honores

sibi de immortalitate blandiatur : non mortem, non perpetuum ignem arcent ista, nec vos a pœna absolvunt. Spes nostra in Deo sit, in cujus manibus posita est mors vitaque nostra; ab eo petendum est ut ab atro carcere nos liberet in quem scelesti detrudendi sunt. Nemo confidat sibi illud semper stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum est; in misera, infirma commutabilique vita versamur, cujus gratia vitam immortalem amittere certe non debemus. Quid enim prodest, si quis *mundum universum lucretur*[1], et animam in gehennam præcipitet, et incurrat in incendia nullum habitura finem? Una igitur nos cura sollicitet, ut videlicet opera nostra Regi Christo approbemus; hic enim cordis nostri secreta scrutabitur, nostrasque cogitationes propalabit. Satagamus ergo, ne forte ab eo deprehendamur pravis cupidinibus capti, atque ad inertiam et voluptates pessumdati, nobisque illa regerat : « Nescio vos, » discedite a me, qui operamini iniquitatem[2]. » Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, patetque aditus ad implorandam Dei misericordiam, et obtinendam delictorum veniam, ejus placare justitiam studeamus nostrorum conversione morum, et horrendum judicium effugere, quoniam severissimum est, quæque intentat supplicia maxime diuturna sunt.

III. Divinus sermo in Evangelio sempiternam pœnam iniquis diserte comminatus est, vitamque beatam et in omne ævum mansuram promisit justis; edixitque iniquos suarum legum contemptores ad sinistram abjiciendos; justos vero, qui ad illarum normam suos exegere mores, ad dexteram cum honore locandos : ideo tuam, Rex Christe, clementiam oramus, ne servis tuis peccata eorum opponas, quoniam sacramentum corporis tui sumpserunt. Tua, quæsumus, Domine, pietas in supremo illo mundi die, et mortuorum

[1] Matth. xvi, 26. — [2] Id. vii, 23.

restitutione, ipsorum causam peroret, ut, ea sibi adjudicata, gehennam evadant, et Spiritu sancto subministrante alas, ex hoc infimo orbe in cœlum supremum invehantur, justorum cœtibus sociandi. Tuam, Domine Jesu, misericordiam imploramus, tuamque oramus justitiam, ut misertus nostri nostra nobis peccata eo die dissimules, quo judex in throno tuo sedebis; quoniam fidem tuam obligasti fore ut omnes qui coram hominibus te confessi fuissent, vicissim ipse propitius et misericors confiteris coram Patre tuo qui in cœlis est, et coram omnibus Angelis tuis.

IV. Tui, Christe, memor judicii, mea malefacta vehementer doleo; nec enim ullus illic futurus est lenitati locus, quando dies ipse severitatem exiget; ne, quæso, committas ut a sede piorum abactus, incidam in eum ignem in quo scelerum suorum improbi dependunt pœnam; sed reo supplici da veniam, tuisque constituta sanctis, quæ ille certe non meruit, præmia decerne.

CANON LXVII,

COMM. XXIII.

I. Uti jussisti, Rex Christe, fide comite vitæ meæ ad finem venere dies; istud decretum ab excelso templo tuo manavit, eoque spiritum meum in manus tuas venturum significasti: hoc tantum oro, ut in lucidis sedibus regni tui me constituas. Veniet dies quo corruptibile hoc induet, quod nec deteritur neque corrumpitur: vivit in æternum qui illud condidit et e nihilo creavit, ejusque vitali voce e tumulo ad regnum vocabitur. Tua, Domine, nos voluntas finxit et ornavit, libuitque tibi tuam nos appellare imaginem; interdicta meis parentibus arbor me perdidit, mea membra succussit mors, dissolvit et attrivit; una mihi jam superest

spes, si forte Bonus ille, qui me finxit, sua pietate nunc minime destituat. Quod mihi certum est, corpora nostra postquam labefacta et corrupta fuerint, Filii Dei omnipotente voce revictura sunt, et omnes mortui ad vitam immortalem redituri; sed et mortis imperium desiturum, adeo ut justi omnes illam irrideant, insultentque illis verbis : « Ubi est, » Mors, victoria tua[1] ? »

II. Cum venerit Rex Christus, Archangelus clanget tuba, eoque clangore e sepulcris exciti mortui, in momento resurgent nunquam morituri : felices animæ quibus dabitur erecta fronte in eo judicio consistere! Christi adventum corpora præstolantur, dum animæ dolent tamdiu differi ipsorum resurrectionem et restitutionem in formam pristinam, unde eis liceat interruptos cantus resumere. Laudem et gloriam summo Patri debemus, qui e luto sua nos voluntate formavit; ejusque Filio Jesu, qui descendit, nosque misera servitute oppressos cruce sua redemit; et Spiritui sancto, qui nos morte labefactos restituet, et pristino reponet gradu.

III. Prædicator veritatis stultum de resurrectione dubitantem seminis comparatione revincit : « Insipiens, *ait,* » tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur[2]. » Mors itaque dux est, ad regnum viam demonstrat. Vereor ne mihi mea peccata fiant quasi interjectus agger, et aditum intercipiant ad præparatum cunctis sanctis cœleste regnum. Hoc mihi, Deus, da, ut gehennam evadam; cætera pro tua voluntate dispone, mihique, quem ipse probaveris, locum decernito.

IV. A primo generis nostri parente mors erupit, et usque ad Christum excurrit. Christus ejus imperium evertit, et peccatum stimulum illius confregit; inde per omnes mundi ætates parta hominibus per Christum victoria propagata

[1] 1 Cor. xv, 55. — [2] Ibid. 36.

est. Christo habeamus gratias, qui descendit, et pro nostra salute mortem gustavit; Adamum idem in sepulcro invisit, eique regnum promisit; quid quod et omnes ejus posteros venturus Judex e pulvere suscitabit. Interea vero, dum præsens fluit ætas, anima et corpus fragilis vitæ amore capta ab invicem separari recusant; idcirco, morte appropinquante atque imperante divortium, sua damna plangunt, et ambo Dei misericordiam votis et lacrymis sollicitant, et dimissionem precantur.

CANON LXVIII,

COMM. XXIV.

I. Cum omnibus sanctis tuis, Rex Christe, spiritui servi tui dona requiem ubi nulla perturbatio dominatur, unde fugere dolor et angor ac tristes curæ, ubi sola regnat lætitia de promissa nobis usquequaque perfecta beatitudine nullumque habitura finem. In Deo collocanda est salutis spes, qui cum nostri generis auctorem ipse formaverit, liquet eum in sua potestate nostram habere sortem, vitam et mortem. Humana omnia umbra et nihil sunt, fragile et caducum est quod ficta felicitatis spe nos fallit; a tua, Domine, sola gratia status et vita nostra pendet, tu ambo tuere. Supra rerum naturam Bonus nostri amantissimus extulit imaginem, quam ipsius benignitas formaverat; ex quo autem mors ea labefactavit, in spem longe præstantioris vitæ et plenæ in gradum pristinum restitutionis erexit, ut tanta munerati gloria, Muneratoris gratiam testaremur.

II. Vide, frater, ne imperatum tibi somnum moleste feras; hunc enim futura resurrectio discutiet : audisti utique Salvatorem dicentem : « Qui credit in me vivet, et

» non morietur in æternum, et ego resuscitabo eum in no-» vissimo die [1]. » Rursus beatus Paulus clamat : « Oportet » corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc » induere immortalitatem [2]. » Virtus quæ illud formavit, collapsam ejus formam reparabit : quamobrem justi cœlitibus sociati Domino venienti occurrent, eumdemque sequentur in cœlum redeuntem, illic promissa præmia recepturi, ubi animus omni metu solutus optata securitate potietur. Separatur anima a corpore; id videlicet tu, Domine, jubes; indeque eo elevabitur ubi omnes sancti magnum diem tuum expectant, in quo sua corpora mirabili decore ornata iterum induent, æternam tibi pro accepto beneficio habituri gratiam.

III. Paradisi arbor Adamum suo fructu pavit, et vita privavit : crux in Calvariæ monte fons salutaris fuit, ex quo ei ejusque posteris vita manavit et de morte triumphus, cum ante peccati lue correpti contabuissent. Vos precor, charissimi, ut cum in templum ad solemnes precationes conveneritis, memineritis mei, qui a vestro conspectu mox arcendus sum, spe omni reditus incisa : orate ut, cum venerit Judex, et unusquisque operum suorum sarcinam portabit, mihi propitius sit. Rex Christe Salvator noster, in die adventus tui me meo e tumulo educito, et ad tuam dexteram astare jubeto ; socia me cœtibus justorum, qui tibi placuerunt et in crucem tuam crediderunt, teque confessi sunt; jube me cum ipsis æternæ vitæ hæreditatem adire. Christe, Rex gloriæ et mundi Dominus, tui vultus imagines, quas infernus mortalium vorago hausit, recupera et restitue; obstruito os quod omnes justos et pios cultores tuos voravit, meque pro tua clementia regni tui hæredem cum illis institue. Eo die adventus tui, Salvator, qui omnes mortales ingenti terrore complebit, et ad judi-

[1] Joan. VI, 40. — [2] 1 Cor. XV, 53.

cium venire compellet, tuam oro misericordiam : nostris parcas amicis qui adhuc in pulvere jacent, tuoque munerare regno, ubi in uno divinitatis tuæ obtutu hæreant semper, eoque satiati beentur.

II. Audivimus, Domine, cum meritorum remunerator sis, te justis quidem beatitudinem decrevisse, iniquorum vero scelera pœna sempiterna vindicaturum; idcirco supplices te rogamus ut placidus et clemens respicias eos qui e nostro populo vita defuncti sunt, et appropinquante morte ob præteritæ vitæ malefacta sibi tristem ominabantur exitum. Hanc, quam, fratres, timetis mortem, beatus Paulus Apostolus somnum esse docuit; quare orandus nobis est bonus Deus, ne in aliam incidamus mortem, quæ mors secunda appellatur. Vidit Ezechiel mortuorum hominum ossa arida in campo projecta[1], divinoque Spiritu inflammatus, sic ad eos vaticinatus est : « Surgite qui cecidistis, divina animati virtute, et ejus testamini potentiam qui sua gratia vobis vitam amissam reparavit. » Tu vero, frater, cave fastidias calicem mortis quem justi biberunt, terrenique Adæ posteris miscuit Deus. Veniet Adæ Dominus, teque pulvere excitum ad suam dexteram collocabit.

III. Cum mœstus cogitarem vitæ meæ defluxisse dies, Gratia me melioris vitæ spe recreavit, dixitque : « Confide, ego te hinc decedentem comitabor, teque, transmissa horrenda regione, ad justorum sanctorumque sedes perducam. » Statutum est mihi hinc demigrandum, nec porro me meis cognatis hic retinere conceditur. Quicumque me ad tumulum efferetis, valete, pro me orate, et discite nihil in rebus stabile esse extra unum ex ingenua sua virtute fine cariturum, utpote cui nullum sit designare principium. « Benedicta sit gloria Domini de loco suo[2]. » Mundus transit, et quæ offert bona, caduca sunt : nihil æternum est, nisi

[1] Ezech. XXXVII, 1. — [2] Id. III, 25.

veritas et justitia atque promissa a Salvatore felicitas, quique ea fruituri sunt amici ejus legis æternæ custodes. Quod reliquum est, recogitate, rogo, inevitabilem esse nobis mortem; deterit hæc et labefactat humana omnia, nosque ipsius manu cadere necesse est. Dum pœnitentiæ datur locus, veniam et pacem a Domino flagitemus; certum enim et ratum est posthac nullam sero resipiscentibus restare spem.

CANON LXIX,

COMM. XXV. — *In tempore pestis.*

I. Ecce jam sacræ squalent ædes, qui eas frequentet jam nullus est; omnes scilicet tuum, Domine, mandatum sustulit. Sacerdotes inter gemitus et lacrymas relicti sublatos a suo consortio collegas atque ad non redeunda mortis loca translatos complorant. Flete, plorate nunc senes, baculus vester confractus est, nec jam relictus est qui vos labantes sustineat, aut sublevet lapsos; inimica mors illum fregit, contrivit et humavit. Quis vestrum, fratres, ad tantam civium nostrorum stragem oculos contineat, ne diffluant in lacrymas? quis premat dolorem, ne in acerbos erumpat ejulatus? quis singultus suspiria cohibeat, dum cernit juvenes omni lepore et venustate præditos, quasi flores torrente æstu arefactos, periisse? Te, summe Pater, qui ad magnam gloriam tuam nos formasti, precamur, tua nos pietate serva ac tuere, ne augusta vultus tui imago dispereat, fiatque inimicorum ludibrium; tuum namque est, salutem et securitatem supplicibus asserere.

II. Nullum lethi genus est illo funestius quo impium perire contingit; ipsius impietas rogum quo sine fine cremandus est accendit; non est ejus consolabilis dolor, cum summa sit omnium bonorum amissio, et desperatio recuperandi.

Tuam obtestamur clementiam, ut tantum a nobis avertas malum; incolumes serva, neve palam in oculis gentium confundas, quæ te non noverunt. Et quoniam a lege quam tua Majestas nobis sanxit haudquaquam discessimus, tuisque præceptis obsecuti sumus, eripe nos, quæsumus, a judicio quod ad nostram condemnationem venire festinat, et a scelerum vindice justitia quæ reis supplicium intentat.

CANON LXX,

COMM. XXVI.

I. Dies mei velut somnium avolarunt, et defluxerunt anni mei et evanuerunt : delictorum meorum sarcina tremendum divinæ justitiæ judicium mihi ostentat, et ingentem incutit metum; quamobrem magna animi ægritudine perculsus cum Propheta clamo : « Ne me servum tuum, Domine, inducas in judicium tremendæ justitiæ, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*[1]. » Pigeat te, quæso, me in sepulcro manere consumptum; misericors es, ingenua pietate motus deperditam corporis mei formam restitue, ut in adventu tuo novum adeptus decorem, merear tuum adire regnum. « Postquam peccata invaluere mea, dixit Adamus, continuo rerum mearum ordo perturbatus est; illa me concessæ lucis usura privarunt, et quis me tantis afflictum malis revelet? Ægritudo quæ mihi vitam eripuit, fuit in Paradiso deliquisse me, et Deo jubenti minime fuisse obsecutum. » Nos autem Adæ nepotes, quam ille impio suo facinore aperuit viam, simul omnes ingressi sumus, atque a Dei justitia defecimus; propterea que a te, Domine, in hac, qua creti sumus, terra omnibus ærumnarum telis proposita inclusi sumus, in eamdem mox redituri. Verum-

[1] Ps. CXLII, 2.

tamen memento mei, et ignosce reo : opus manuum tuarum sum, tu compegisti me ; veniat amoris pristini recordatio in mentem : pius es et mitissimus ; veniet illa dies quando mortuos ad vitam evocabis, ne me, precor, ab illorum consortio disjungas : tua mihi succurrat virtus, quæ vitam ante dedit ; ecce Diaboli ludibrium factus sum, ejus, oro, compesce sannas : tua nos templa appellasti, ne, quæso, sacratas tibi ædes in nostri carnificis potestatem venire permittas ; sua ille actus invidia, splendorem quo offendebatur nobis eripuit, nudos projecit in non redeunda inferni loca. Nobis mors maledicta præest, excubatque pro foribus, exitum prohibere parata, imo et spem omnem illinc evadendi abscindere sicunde affulsisset : tu autem, Domine, tuum e cœlo mitte Dilectum, qui atri carceris seras perfringat ; cumque adversarium nostrum ipse profligaverit, tu nostrum reparato casum.

II. Magna habent patresfamilias unde sibi gratulentur, si tamen custodivere depositum, et sedulo atque utiliter credita sibi talenta Domino suo cum fœnore repræsentarunt : navatam ille sibi operam remunerabitur ; supremo quippe die manifestus aderit, et illos sepultos e tumulis educet, justoque præmio honestabit fidem qua ipsius explevere mandata ; inde in beatorum sedes translati et consociati Angelis magnam assequentur gloriam. Tua, Domine, precor, potentia homines tibi sacratos corroboret, ut servos vigilantes se tibi præstent, fidenter expectantes adventum tuum cum ardentibus lucernis, indeque regnum adire tuum mereantur. Hic dies tuis, strenue pugil, laboribus finem attulit ; stadium ad certamen intrasti, ex quo victor redisti ; cursum tuum consummasti, fidem integerrime servasti : tibi utique Filius Dei laborum mercedem rependet, ubi ipsius magna dies illuxerit. Cum autem Oriens ex alto ad nostram redemptionem prodierit, tuas, oramus, pro

nobis ad illum funde preces; hostia videlicet sunt ipsi gratissima : confide, tuus cum venerit Dominus, et ipse vocaberis et resurges.

III. Filii, suscipite disciplinam Patris, atque testamentum cœlestis hæreditatis; ambo a Domino manant, et in æternum manebunt. Extra illa jam nihil est, nisi mortale et caducum : mundus transit, ejusque seu commoda seu incommoda somnia sunt; sola manet vita iis qui bene vivendo semper vivendi pignus accipiunt, et in fine dierum magno Regi venienti occurrent. Bona quæ nobis prædicata sunt nunquam interibunt; hoc mihi, charissimi, afferte gaudium, ut omnes in veritate et doctrina sana ambuletis; sic enim fiet ut cum vobis dabitur Sponsi faciem intueri, ego vicissim de filiorum meorum felicitate gaudeam.

IV. Fratres, verbum Domini suscipite, ut vita caste integreque transacta, ab hoc mundo in alterum sine fine mansurum transeatis; quoniam Dominus misericordiam suam in appropinquantes ei ejusque gloriam diligentes ostendet, istorum corpora in die magna sua clarificabit; et quod verbis explicabile non est, tanquam caput claritati corporis sui perfecte configurabit populum suum : illic Ecclesiæ filii decreta in omne ævum cœlitibus bona assequentur; hunc scilicet beatissimum statum Christus pro sua summa erga eos charitate ipsis præparavit, quem etiam eo die quo se nobis conspiciendum dabit, mox peracto judicio ad suum regnum revertentem comitabuntur.

V. Partas ecce opes relinquere compellor, imo et vestem, nudusque et inops hinc excedere; nec modo quæ mihi affluebat rerum copia, sed et vita ipsa me destituit; honores, divitiæ ad sepulcri constitere limen, nec licuit ultra progredi, et dominum eo mox inferendum sequi : cognati quoque mei abiere procul, spreverunt me, et conspectum oderunt meum; sed et uxor et nati mei, ut me

veteri gloria spoliatum aspexere, statim fugerunt, circumfusæ cadaveri meo noctis horrore perculsi. Huc vos adeste, opulenti et potentes, ac funestam rerum nostrarum conversionem et infelicem exitum considerate; et si quas forte animadvertitis contractas ex præteritis annis labes, si qua admissa olim peccata remordent, paratum iniquis ignem extimescite et cavete.

VI. Spes omnium nostrum, Domine, tu es, et pereuntium vita : quanquam tibi non pereunt, qui dormiunt, mortui; resurgent nimirum statim ad voluntatis tuæ nutum, eorum dolores obtusi vitali verbo oris tui revanescent; sed et ipsorum corpora claritate mirabili illuminata, ad instar matutini sideris, fulgebunt, perpetuaque pace fruetur animus residentibus motibus quos vehemens et ferox natura ciere solebat. Quæ cum ita sint, precor quæsoque te, Deus magne, ut quas mihi naturæ meæ pravitas allevit maculas, tua gratia abstergas, ne forte mihi aditum ad propositam virtuti gloriam occludant, quam tuo favore me assecuturum confido; adeo ut postquam redivivus promissam corpori claritudinem accepero, in societatem cœlestis regni tui civium merear cooptari. Non nobis tua, Domine, intulit voluntas quod patimur malum, nec illa vitæ nostræ spatium contraxit, et approperato letho conclusit, unde in nihilum post brevem lucis usuram recideremus : mortis terminus ad cohibendam peccandi licentiam positus est, ne homines sine fine peccarent. Extrema autem mundi die Dominus Jesus apparebit, et omnes quidem mortuos vita donabit; eos tamen duntaxat sibi in regno socios alleget qui strenuam ei operam navarunt, ratus minime decere homines cœlo dignos posthac in terra morari quam alias ipse execrationibus prosecutus fuisset. Hic porro admonemur ut vitæ nostræ rationes eo ordine prudenter ac sedulo componamus, ut quo die venturus est

Rex, sui regni consortes nos habere minime dedignetur: ejus porro domum asciti, præteritarum ærumnarum memoriam perennis felicitatis gaudio penitus discutiemus.

VII. Invicti Regis nostri adventus universum orbem concussit, atque in sui admirationem traduxit; mortuos quippe excivit e tumulis, illuminavit cæcos, leprosos mundavit, mortem et Diabolum vicit, generi nostro libertatem asseruit; ipse mortuus et sepultus de sepulcro redivivus et integer emicuit, et in cœlum ad suum Genitorem remeavit. Cum vero tempus advenerit, in terras iterum descendet cum majestate magna, stipatus omnium cœlestium ordinum agminibus : tum vero datam in Evangelio Discipulis fidem liberabit, promissumque in cœlum ascensum complebit, dabitque usquequaque integram sempiternæ felicitatis hæreditatem adire.

CANON LXXI,

COMM. XXVII.

I. Me quidem mirifice exhilaravit, quisquis ille fuit qui mihi narrabat appropinquare diem quem Dominus suo adventui præfinivit, quique reparabit mortuis amissam præsentis lucis usuram et futuræ felicitatis spem. Deo gratia, qui mortem inexorabilem fecit, cujus proinde fidem nemo donis labefactare queat, quæ iniquos et justos promiscue rapit; ille solus qui ad tuam, Domine, crucem profugerit, die adventus tui te sibi placatum inveniet.

II. Cum nihil essem, de luto formasti me, et nunc quoniam formam quam dedisti labefecit mors, tu, Domine, labefactam restitue, ut perpetuum beneficentiæ tuæ testem me habeas. Rex noster Christus, cœlo delapsus ab alto, mortuis referet vitam, sepultis lucem; tum vero te preca-

mur et quæsumus, magne Fili Dei, quos e nostro convictu sustulit mors nobis redivivos restitue, tecum in regno tuo cum summa gloria semper victuros. Vox quippe Filii Dei findet sepulcra et mortuos ad prædicandam Reparatoris sui potentiam excitabit : novus tunc Lucifer defunctis reddet diem, et Christum in sepulcris laudare docebit. Sic Christus, qui propter nostram redemptionem venit, propter nostram resurrectionem redibit. Tu, Domine, meum miseratus casum, tribue modo mihi vitam [illegible] et pacem, ut in die adventus tui tuam videam in me clementiam : quod de me statuisti, ad effectum perductum est ; tuo obsecuta numini mors me sustulit, tua mihi misericordia amissam reparet vitam, beneficii me memorem semper agnosces.

III. Christi in nos merita ubique testari debemus ; quippe qui naturam mortalem a mortis lege exemit, data fide speque certissima futuræ resurrectionis : gratias igitur habeamus summi Patris Unigenito, qui nos a sævissima mortis dominatione liberavit. Te, magne Pater, invoco, qui nos ab initio e luto finxisti ; propitius esto mihi, et vitam mihi reddito quæ vicissim tuorum erga me meritorum memoriam mihi restituat. Te, Jesu salutis Reparator nostræ, laudo, qui arbitratu tuo atque amplissima potestate vitam et mortem dispensas. Gloria sit Patri, Filioque, et Spiritui sancto, qui vitam restituet mortuis, quando mortis tyrannidem gloriosa omnium justorum resurrectio subvertet, et vitæ inchoabit imperium. In Patrem credidi, et Filium confessus sum, et Spiritum sanctum adoravi meæ Reparatorem vitæ.

CANON LXXII.

COMM. XXVIII.

I. Rex Christe Reparator salutis nostræ, hoc mihi da atque largire, ut, cum veneris, me redivivum e tumulo extrahas, cumque tua se prodet majestas, ad ejus dexteram astare me jubeas. Tuam, Domine, adoramus crucem, in qua nostra reposita est omnis salutis spes, quæque nostris corporibus immortalitatem et splendorem impertiet; salutare tuum expectant oculi mei, et justitiæ tuæ sermonem opperiuntur aures : ne me, quæso, in sepulcro destituas, cum sis sepultorum spes. Vox Filii Dei Adamum in pulvere jacentem eriget, et ad terram quidem promissionis, ut olim Hebræos, transferet, quem cœlo invectum immortali gloria convestiet.

II. Interea vero dum illuc ascendere necdum licet, sanctorum voces quasi tonitrua aures pulsant : insonant suis Apostoli tubis; peccatores ut resipiscant admonent, et veram sibi vitam comparare studeant; nam quæ nunc agitur vita fabula est. Nostram ecce resurrectionem nobis annuntiant Prophetæ; Apostoli propositum virtuti præmium; Evangelium Domini viam demonstrat qua itur ad regnum. Te totus, Domine, orbis flexis genibus adoret, et omnis lingua laudet nomen tuum, qui es reparator mortuorum, et omnium mortalium posthuma spes. Anima autem mea in Deo lætetur, et omnia ossa mea dicant : « Domine, in misericordia tua vivifica me. » Ad te clamamus, Deus immortalis; bonum nunquam natum, nunquam desiturum : nos mortales mors ecce premit, manifestum tibi dolorem nostrum considera; nostra nos peccata clamare cogunt, quæ alias in Paradiso nobis præripuere vitam, propter quod et nunc

et semper tuam imploramus clementiam, et obsecramus ut mortalis et fragilis naturæ tutelam suscipias : ne committas, Domine, ut nostra nos peccata pertrahant ad interitum, cum ipse sis qui peccata dimittis; ne orphanos destituas parvulos nostros, neve senes omni præsidio nudatos ignominiæ et miseriæ expositos derelinquas. Mors eadem est semper, et ex actibus nostris nostrum arguit reatum; jam istud duntaxat petimus, ut nos ab illa tuearis; atrox quippe crudelis est, immitis et omnis pietatis expers. Urbi cave, precor, in qua vera in te pietas floret, cujus salutaris doctrina omnes circa regiones pervagata est; ne, uti olim Sodoma, civium suorum sepulcrum et rogus fiat : clemens amator hominum, avidæ mortis ori injice frenum, et inexpugnabiles ejus portas obstruito; sic enim fiet ut quæ non potuere genus nostrum extinguere, pedibus nostris scabella fiant. Ne nos tuo, Domine, præsidio, destituas; pro ea charitate qua nos amasti, etiam nos protege, ut tibi sedulo strenueque serviamus.

CANON LXXIII,

COMM. XXIX.

I. Tibi jucundissimus semper erit prudentum virginum conspectus, quippe quæ puro oleo suas instruxere lucernas sancte integreque vivendo. Sedes in cœlo castis et justis discipulis paratur pro laboribus quos in terris pertulerunt; illic in paradiso voluptatis perpetuis plenisque gaudiis fruuntur. Subeat vos, oro, charissimi, mei memoria, quoties templum oraturi intratis; nam etsi nullius noxæ integer sim, orthodoxam certe fidem nulla maculavi labe. Bone Deus, qui naturam nostram ab initio e limo formasti, nunc lapsam ac deformatam pristino restitue nitori; ipsius namque spes opesque sunt in te uno omnes. Tuum, salutis

assertor nostræ, judicium horrendum reputans expavesco; ne me, quæso, in oculis cœlestium spirituum, in foro supremi Judicis causam dicturum, ignominiosæ nuditatis pœna dedecores. Vestram exoro charitatem, charissimi, vestras imploro preces, mihi propitiate Deum, ut in augustam gloriæ suæ sedem me recipiat. Non est cur tuis, Discipule veritatis, diffidas rebus, ut qui gloriosam lampadem tuam ornaveris, Domino, quacumque die venerit, paratus cum solemni carmine Hosanna occurrere.

CANON LXXIV,

COMM. XXX.

I. Divini Patris Unigenitus, quem a viridi juventa usque ad effœtam senectutem dilexisti, in paradiso voluptatis in consessu sanctorum tui, frater, memoriam tuebitur, quodque integra tibi constitit orthodoxa fides, pudicus ac decorus ubique status, incessus, vultus, oculi citra omnem petulantiæ notam, ideo tui nominis fama viget adhuc, et velut odorata species suavem spirat odorem. Ecce in Angelorum societatem cooptatus es, et paradiso voluptatis tuum transcriptum est nomen, in cœlesti Jerusalem corona gloriæ decorandum. Vox illa quæ Lazarum et puellam Jairi filiam suscitavit, te quoque e tumulo excitabit, secretisque malis omnibus, cumulata bonorum complexione munerabitur.

CANON LXXV,

COMM. XXXI.

I. Venere Apostoli nuntiantes vitam nobis tua morte reparatam; iidem, quæsumus, redeant ad tuum tribunal pii pro nostra salute deprecatores. Christe Rex gloriæ, qui

quos amisimus fratres collegisti, tua nos dextera a morte, quæ nostris exerto gladio cervicibus imminet, protege; sed et divinus ille Spiritus, quem ex aquis baptismi induimus, nobis tuæ misericordiæ fores aperiat, ut intra ejus limina admissi, tuorum erga nos meritorum amplitudinem testemur : interim suam senes defleant calamitatem, adeo percrebuere funera, ut juvenes senum funeratores pollinctorem desiderent; at si mors juvenes rapit, quid præter ignominiam restat senibus sepultura carituris? Cæteras ergo mittamus cogitationes, unaque sit cura precandi Deum ne nos furor ejus ab omnibus solvat curis eo judicio quod in Sodomitas exercuit, eo quia aliis distenti negotiis ei uni vacare noluerunt, ut precibus et votis Dei clementiam exorarent. Sacerdotes in templo hymnis et psalmis, quos a Spiritu sancto acceperunt, tuam prædicant majestatem; precor quæsoque te, mitissime Deus, averte malum, ne sacrum quod tibi funditur melos in nænias funera sociorum convertant.

II. Crux sancta, quæ Ecclesias fundasti, et ad gloriam tuam magnificas excitasti ædes, nostram, quæso, hærentem pulveri frontem releva, cæteraque membra detrita et consumpta redintegra. Incolæ tecta reliquere sua, inde squalent desertæ ædes; ipsa corpora, cum ferendo dolori non essent, destituerunt animæ. Crux Salvatoris, vitæ reparatrix expultrixque mortis, tu, quæso, mundum sartum tectum et ab omni detrimento sincerum integrumque custodi. Pater omnipotens, qui nos veritate obsignasti, hæreditatem dilecti Filii tui juxta fidem tuam nobis conserva, refecto quod de luto formasti corpore. Annue, Deus, quod supplices, lacrymantes rogamus; ne, precor, nostras despicias preces, sed consueta nos misericordia complectere, et propitius da supplicantibus servis pacem et salutem.

CANON LXXVI,

COMM. XXXII.

I. Rex vitæ repertor et reparator de cœlo veniet cum majestate magna, redditaque sepultis usura lucis, sepulcra vacuabit. Universa terreni Adæ posteritas in unum conserta agmen resurget, defunctorum Suscitatoris potentiam testatura; quamobrem mœrorem pellite, mortales; fausta quippe dies Domini adveniet, quæ et dormientes expergefaciet, et mœstos exhilarabit : Angeli et cœlites universi Dominum venientem comitabuntur, vobisque sua gratulatione diei illius lætitiam cumulabunt. Vos ista petunt lætissima nuntia, quos crux Salvatoris redemit, et sempiterni regni hæredes instituit; tristes proinde curas animo excutite, appropinquat ecce Domini adventus, cujus divina vox in intimos terræ sinus penetrabit, indeque extrahet paratos laudum ejus buccinatores. Laudibus amplificemus et proni adoremus Jesum Verbum divinum, ejusque memores beneficiorum, rocogitemus nos ejus cruce fuisse redemptos, illumque iterum in terris conspiciendum, et generi nostro vitam redditurum die omnium maxima, in qua ejus majestas tota se prodet.

II. At quis nos liberabit de corpore ? generator hoc est et altor pravarum affectionum, mortis mancipium, et servus peccati. Deo autem gratia, qui dedit nobis pro sua bona voluntate victoriam, et nece Dilecti sui nostro generi salutem asseruit. Næ tuam, homo, sortem ignoras, si corporis tui dissolutionem moleste feras : Rex siquidem noster Christus, summa deserens, ad ima descendet, e sepulcris mortuos redivivos educturus; educet utique et gloriam regnumque suum cum illis communicabit.

III. Enimvero si Adami crimen mortis invexit tyrannidem, totamque naturam perdidit, oppido quam potiori jure justitiam et vitam nobis reparavit Christi crux, quæ mortem vicit, nostrumque genus ab omni reatu purgavit! Hanc profecto spem mortuis Dominus ostendit, magnum doloris ipsorum levamentum, tum quod e sepulcro propria virtute emicuit, tum quod, everso mortis imperio, aditum mortalibus patefecit ad immortalitatem, atque ad beatam vitam eximiis cumulatam bonis protoplastum et omnes ejus posteros traduxit : scilicet quia deliquimus, merito in nos exarsit ultrix justitia, quæ quidem nos universos disperdet, nisi tua, Domine, clementia miseris succurrat; hujus profecto opera illius remollescet ira, et strictum gladium placata deponet. O præsidium et salus nostra, tuam per omnia momenta imploramus opem : misericors pie Domine, succurre miseris oppressis, et præsta ut in Ecclesia sede gratiarum debitum Trinitati tuæ modulemur carmen. Propter scelera nostra terram diebus istis improvisi concussere motus; scilicet quia aucta est iniquitas nostra, ideo graviora nobis incubuere mala. Peccatores, Domine, ad pœnitentiam adducito, et miserationes tuæ a nobis pœnam commeritam deprecentur, nostramque nequitiam supremo Judici excusent. Profecto nisi misericordia tua nostram in tuo judicio causam defendat, nulla superest salutis spes; genus quippe nostrum per se impotens est ad mitigandam indignationem tuam, acceptas a nobis injurias jure persequentem. Christe nostræ assertor salutis, humanæ non ignarus conditionis, tua, quæsumus, erga nos utere clementia; homines namque ardenter amas.

IV. Jesu redemptor meus, ab implacabili morte eripe me; prohibe malum, ne illa me in tartarum præcipitet; oppressum me subleva, meos oppressores coërce, et servum tuum lætifica; quia spes mea et præsidium meum tu

es. Jesus, veræ sapientiæ doctor, viam ad cœlum ducentem nobis suis præceptis demonstravit : « Cor vestrum, inquit, terrena despiciat; horreat animus quæcumque occurrunt nefaria et scelerata : hac itur ad vitam. » Si sic res est, o me infelicem! quoniam ecce propinquat vitæ meæ finis; et quæ mea fuit segnities? nullum mihi viam propediem ingressuro paravi commeatum; sed et quo me vertam, Creditori mox rationem dati et accepti redditurus? Quare, dum vacat, remissionem debiti ab illo supplicibus multisque precibus impetrare studeamus, ut in proximo judicio nos accipiat placatus.

V. Lux salutaris inferno affulsit, et mortuis resurgendi potestatem fecit; revixere plurimi, et civitatem ingressi, suique Suscitatoris præcones effecti, necis ejus auctoribus execrabile parricidium exprobrarunt. Resurgetis vos similiter, qui leges Dei negligitis, violatis, rumpitis; videte ne vos ante peractam pœnitentiam Dei judicium opprimat. Supplices propitiemus Jesum, ut nostri misertus partum nobis sua nece thesaurum aperiat, atque perfectum ac sincerum sui amorem nostris inserat cordibus; nos vero, dum præsens agitur vita, paratum nobis sub ejus alis quæramus perfugium.

VI. Etiam, Domine Deus, meæ arbiter mortis et sortis, cum veneris, tuus, quæso, suavis et dulcis Spiritus me supplicem, solum, undique desertum, per salutis viam ad tua regna deducat. Christum interim magnificemus et veneremur, ejusque in nos merita recolamus; humiliavit videlicet semetipsum, et pro nobis mortem gustavit; quid quod et suum modo corpus et sanguinem nobis impertit, et olim sua morte vitam Adæ ejusque soboli reddidit, et ab æterna morte liberavit? sed et in extremo suo adventu nos pariter sua cruce redemptos cum universa Adæ progenie suscitabit.

VII. Divina vox quæ Lazarum e monumento evocavit, tibi quoque, frater, vitam amissam reparabit; mox etiam ad suam dexteram astare concedet præstituta die qua se ejus majestas manifestabit. Agite, Adæ nepotes, Filio Dei Hosanna occinite, cantate hymnos, hunc dicite omnium mortuorum excitatorem; dum ego in hoc vitæ mortisque confinio diserte palamque profiteor me in Patrem credere, cultumque Filii et puram Spiritus sancti religionem suscipere, atque confidere fore ut via plana salutis mihi pandatur ab hisce tribus nominibus. Reputanti mihi tuum, Salvator meus, adventum, cor pepulit horror pectusque tremuit : quid enim non expavescam, dum meæ menti objicis monumenta situ et illuvie squalentia, mortuorum rejectantia redivivos cineres, et refracta compage fatiscentem infernum, indeque patefactum resurgentibus exitum? mortem præterea inexorabilem, nec ulla arte flectendam ut parcat, ne fratrem a fratribus, natos a parentibus divellat? Quamobrem vos opto, charissimi, mihi apud Deum in Ecclesia deprecatores, sic vobis promptum est vestris precibus meum lenire dolorem; approperato ecce gradu mors vitam mihi in medio cursu abrupit, formam extinxit, corpus exanime in sepulcrum projecit. Quotquot ista audistis gentes, Christi gratiam magnificate; ejus quippe adventu et cruce mortalibus vita reddetur, et servis regnum comparabitur. Siccine me mors abstulit, compegit in tumulum, cor perculit, turbavit mentem apprehensione mali impendentis, animam a corpore separavit.

VIII. Brevis est in hoc orbe vitæ nostræ cursus, celerrimeque peragitur. O vos qui ad interitum ruitis, peccatores, resipiscite aliquando, et maleficia vestra damnate; nec enim mors pretio, sed æquitate jura describit; non æstimat opes, opulentos juxta atque pauperes promiscue rapit. Gloria Patri, qui nos condidit, et Filio, qui nos cruce sua

redemit, et Spiritui sancto; his nempe tribus constat beatæ Trinitatis mysterium, cujus numen mortuos nostros suscitat, et rediviva corpora claritate sua convestit et ornat. Tua, Domine, voluntate conditus, et ea quæ tibi placuit forma decoratus, qui limus eram, in tuam imaginem evasi : et nunc quem sceleratum rejecisti, recipe sua scelera damnantem; amissam lucem mihi tandem aliquando restitue, ut resurgam, et laudum tuarum buccinator fiam. Enimvero quicumque ab Adamo terræ filio traxere genus, in terram redibunt, indeque tuo numine reviviscent, et ad loca vivorum deportabuntur, ut in beata illa regione laudent et amplificent Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Illi videlicet qui tua, Christe, redempti veneranda cruce, in tua fide resurgent, tua gratia integri, culpæ scelerisque puri, ipsi ad tuam dexteram collocabuntur. Hinc porro nobis spes facta est fore ut, quod enixe precamur, nobis pariter vitam restituas, posthac in tuis laudibus traducendam.

IX. Jesum Regem nostrum, hoste debellato, revertentem cum hymnis et canticis excipiamus, ejusque numen genibus advoluti veneremur : id videlicet exigit, quod nos clementer inviserit, suaque cruce salutem nobis attulerit; quod iterum nos revisurus sit, genusque nostrum somno mortis sopitum excitaturus. Interim vero dum nostram expectamus tuo munere restitutionem, te, Salvator noster, orare obtestarique nunquam absistemus, ut oppressis succurras; implacabilis quippe mors nos captivos abegit, naturæ solvit compaginem, simul animam, simul corpus pessum dedit, et cadavera nostra tumulavit.

CANON LXXVII.

COMM. XXXIII.

I. Terribilis tubæ clangore suis excitati sepulcris mortui laudabunt Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quorum numine sua recuperavere corpora. Summus namque Pater generis nostri auctorem e limo finxit, posteros Filius vana superstitione oppressos crucis suæ virtute relevavit. Hujus ego beneficii particeps tua gratia factus, te, Domine, precor, ad dexteram tuam constitue me tui nominis laudatorem. Ob ista tua in nos merita, Christe, flexis te genibus adoramus, et confidimus te vitam et æternam felicitatem piis fidelibus impertiturum, qui videlicet et baptismum susceperunt et crucem mortemque tuam confessi sunt. Gratias itaque Christo agamus, qui Adæ posteritatem perditam suo se adventu perfecte reparaturum recepit, nosque universos in sortem justorum qui ei placuerunt cooptavit, destinavitque suarum laudum præcones. Sit tibi laus et gloria, qui resurrectione tua universo mortalium generi vitæ et in pristinum gradum restitutionis specimen et pignus obtulisti, quo facto moneremur te omnis carnis Suscitatorem pleno ore prædicare, et perpetuis celebrare laudibus.

II. Ecce appropinquat relegationis meæ tempus, nec ullus adest qui irruentem mortem a me prohibeat extra tuum, Domine, numen, cujus spiritu mortuis vita refunditur. Quare agite, mortales simul omnes, laudemus nostræ salutis Auctorem, cujus morte mortis imperium concidit, et resurrectio vitaque beata universo generi mortalium parta est. Idcirco, o anima quæ ad Christi crucem profugisti, confide, thesaurum in ævum omne manentem hære-

ditabis : gratiam Reparatori tuo habeto, qui cœlestium spirituum societatem tibi promeruit et præstitit. Talia porro recogitantes simul rapimur ad suspiciendam adorandamque divini Patris benignitatem erga nos singularem, a quo Unigenitus ad nos allegatus genus nostrum a Diabolo ac morte liberavit, et nunc ad dexteram sui Genitoris assidens pro nobis omnibus interpellat. Et sane si prioris Adæ inobedientia mortem accersivit, et omnes ejus posteros damnavit et perdidit, versa vice secundus Adam reos absolvit et vita donavit. Quamobrem iterum iterumque supremo Patri gratemur quod dilectum Filium suum nostri generis Salvatorem instituerit, atque debellatorem mortis et Diaboli dederit, statueritque eumdem ad suam dexteram pro nobis adesse deprecatorem.

CANON LXXVIII,

COMM. XXXIV.

I. Vitæ labentis usura defuncti suis e tumulis divinam erga se clementiam laudant : Deo gratia, clamitant, qui nos aliquando nostro e pulvere relevabit. Vos autem morituri confidite, postquam Adæ corpus ipsius culpa consumptum, formamque squalore carceris corruptam, Christus restituere et ad dexteram suam collocare decrevit; idque, fratres, ad vestri levamentum doloris frequenter animo revolvite, venturam aliquando diem in qua omnipotenti ejus voce exciti evigilabunt dormientes, deque suo excitatore magna prædicabunt. Tuam propterea, Christe, crucem adoramus, per quam constat salus et resurrectio nostra, mortuique resurgent et sua resument corpora, indita sibi divinitus luce clarificata. Etiam atque etiam te, Domine, laudamus, quod ab initio naturam nostram condidisti et

exornasti, deinde in servitutem abductam per Dilectum tuum pretio magno redemisti. Christi simul beneficentiam grata prædicatione amplificemus, quoniam se ipsum humiliavit subiitque mortem sua voluntate susceptam, ut Adamum ad eam, a qua exciderat, Paradisi hæreditatem revocaret. Tua scilicet, Salvator noster, cruce redempti Adæ posteri, qui jam perditi erant, in novam evasere lucem, et de sepulcri pulvere cœlum invecti sunt; propter quod adorent te, salutis Reparator nostræ, superi inferique, tua videlicet resurrectione roborati dudum excussimus peccati jugum. Quamobrem iterum Christi beneficentiam confiteamur, qui sua pridem cruce nobis libertatem asseruit, seque rediturum recepit, ut animæ corpus restituat, et corpus infusa claritate illuminet. Interim dum ego tua, Domine, admiranda opera memoro, tua me, misericors Salvator, consueta clementia fovere ne, precor, absistas, ut statuto tempore de terra relevatus, majestatem tuam dignis laudibus amplificem. Iterum atque iterum laudetur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; tria nomina, personæ tres, unus Deus humani generis reparator.

CANON LXXIX,

COMM. XXXV.

I. « Legem tuam dilexi, Domine, ideo mandata tua » custodiam[1]. » Diabolus suis me artibus circumvenit, et captivum abduxit, sic mea culpa in eum unde creveram limum redactus sum : attamen confido me aliquando tua excitatum voce revicturum. Temere decerptum a protoplasto in Paradiso pomum me reum fecit, peccato mortique addixit; virginis Mariæ Filius me meo reatu absolvit, sibi-

[1] Psal. CXVIII, 167.

que in posterum vivere jussit : hac ipsa, Christe, precor, clementia utere erga defunctum modo servum tuum, tuo tandem adventu ad vitam rediturum, quia pius es, tuque solus peccata dimittis.

II. Ubi me subiit obitus mei memoria, ingemui enimvero rebus diffidens meis; quippe qui scirem me in multis graviter peccasse, et quæcumque nefaria scelerata perpetrassem, omnium oculis publice proponenda; sed nec illic pœnitentiæ superesse locum, nec profutura veniam deprecantibus suspiria, gemitus, Judice acta cujusque justo pondere æstimante, nec illum proinde lacrymis et singultibus reorum fore flectendum. In præsenti ergo mihi tua est exoranda pietas, quam sperare jubet tua erga homines charitas. Veniet scilicet dies quando sepulcra patebunt mortuorum, et clangore canet terribili tuba atque tonitrui imitatrix buccina resonabit, et orbis universus contremiscet. Tum vero omnes Angeli tuis obsequentes jussis descendent, atque bonos a malis segregabunt, et conglomeratæ nubes sanctorum corpora in aera sublevabunt. In ea, precor, horrenda rerum nostrarum conversione tua me misericordia exceptum, ad dexteram tuam statuito; bonus enim es, Domine, tuumque est favere miseris.

III. Hinc ultra progressus in infernum cogitatione descendi, revisurus cadavera situ et illuvie labefacta ; omniaque circum intra extraque oculis relegens, ad te, Domine, sustuli clamorem meum, precatus ne servum supplicem et lacrymantem despiceres, illa usurpans quæ ab Ezechia olim dicta tibi audisti : « Non infernus confitebitur tibi, neque » mors laudabit te[1]. » Ego utique confitebor tibi, tantum, quod rogo, miserere mei, et lapsum releva, quoniam expectatio mea tu es; et Diabolum prosternito, qui gratulatur malis meis. Judicium namque absque misericordia in no-

[1] Isai, XXXVIII, 18.

vissimo fiet iis qui peccaverunt, nec dignas peccatis suscepere pœnas. Quicumque autem operati sunt justitiam, et Domini sui præceptis obtemperarunt, justum meritorum præmium recipient in cœlo, et vitam æternam obtinebunt. Gaudebunt justi æternum otium adepti, ipsa præteritorum laborum recordatio ipsorum gaudium cumulabit, mutuaque charitate sibi de soluta mercede gratulabuntur. Tu, Domine, qui pius peccantibus ignoscere semper es paratus, nos supplices tuamque implorantes clementiam propitius exaudi, et domesticis tuis benignus accense; sed et defuncti fratris nostri miserere, ejusque peccata dimitte.

CANON LXXX,

COMM. XXXVI.

I. Quin te, frater, prædicem hominem fortunatissimum; corpus namque tuum nulla inquinatum labe velut acerram puri thuris plenam a prima ætate Deo sacrasti; quapropter tuus te Dominus ad amplissimam pacis regionem, ad promissa vitæ sempiternæ gaudia traduxit: totum vitæ tempus in piis vigiliis, jejuniis et assiduo precandi studio transegisti, atque voluntariæ paupertatis ope velut superimposito ponte trajecisti fretum naufragiis plurimorum infame, nullus dubito quin tuus, quem unice dilexisti, Dominus regni sui tibi reseraturus sit januam, teque ad dexteram suam locaturus; et quoniam Domini tui vineam per omne vitæ tuæ spatium excolere nunquam destitisti, auguror in omne ævum tui nominis famam manaturam, tuasque nobis preces nunquam non profuturas: interim Christi beneficentiam justis laudibus prosequemur, qui te in vas honoris sua majestate dignum formaverit.

II. Ad eum quem Rex Christus paravit portum appulere

omnes qui suam posuerunt operam in ejus obsequio et plena ejus mandatorum executione, quorum utique vestigiis nos insistere debemus simili in Deum studio; sic enim in sempiternam, quam illi assecuti sunt, felicitatem evademus. Omnes justi palmam adepti sunt favente Christi gratia, qui crucis ignominiam in triumphi gloriam invertit; inde sibi statuerunt omni ope enitendum ad cœlestis regni consecutionem, tanquam laborum suorum finem et ærumnosæ navigationis portum; nec enim ignorabant Dominum in parte temporis ultima cum majestate magna rediturum in terras, seque mox in cœlum ascendentem electos suos comitari jussurum.

III. Dextera pietatis tuæ, Domine, protege clientum tuorum cœtum, qui solemni conventu memoriam cohonestavit viri spectatæ integritatis et sanctimoniæ, cujus precibus exoratus, perpetuam, confidimus, dabis pacem iis quibus tuam dedisti lucem. Enimvero ejus gestorum fama omnia circum loca pervasit, et populos undique excivit, dum sperant se ejus suffragatione aliquod a te beneficium consecuturos: tuere, Domine, pios ejus memoriæ veneratores, ut laudent te omnibus diebus vitæ suæ.

IV. Amplum et nobile domicilium tibi, o beate, paratur in cœlo, tuam videlicet fidem et charitatem et obedientiam justa mercede carere tuus Dominus nunquam patietur. Ora nobiscum Regem Christum, quem dilexisti, ne animas nostras sua unquam pietate destituat; magnificam domum felicitatemque fine carituram inter Angelorum laudantium agmina tuus tibi Dominus præparavit, in quam etiam te introducet condicta die adventus sui, simulque dabit inter cœlitum ordines secum æterna beatitudine frui. Et sane si illis quorum vita culpa vacavit, quique vitæ integritate atque innocentia floruerunt, vel ad excolendam Filii Dei vineam strenuam contulere operam, amplissimi honoris et

gloriæ sedem decrevit, profecto tuus tibi Dominus æquale præmium negare non debet.

V. Tuum, pater, venerabile nomen in ecclesia sanctorum fastis ascriptum recolitur; tua autem felicitas et gloria sursum in cœlo ad Christi dexteram constituta est. Interim te, pater, obsecramus ut preces tuas pro nobis interponas, tanquam firmissimum adversus hostiles assaltus munimentum. Et tuam quidem, sacerdos sancte ac venerabilis, memoriam terra colit; tuos vero labores singulari gloria compensat cœlum, cujus amore coronam mereri studuisti. Tu vero pio fidelium cœtui satage pacem et veniam impetrare a Domino, qui te ad hanc sortem elegit.

VI. Modestia et lenitas, integritas et innocentia in hoc beato viro tanquam in sua sede constitere : propositum certamen strenue peregit et absolvit; magnam propterea Christo debemus gratiam, qui illum adversus quorumcumque tormentorum vim et acerbitatem Spiritus sancti lorica munivit. Solemnis dies, qui tuam, pater sancte, refert memoriam, non hominibus modo, sed et Angelis cunctisque cœlitibus accidit lætissimus. Tu vero cum ad portum appuleris, Christum propitiare memento, ut fluctus quibus miseri nos mortales jactamur, sua pace componat. Lætantur, inquam, in cœlo Angeli, et homines in terra, dum tuam instaurant celebritatem; simul Domini tui magnificentiam prædicant, qui tibi quidem pugnanti adfuit, et victorem ex acie reduxit, nunc vero quasi fontem ad abstergendum mœrorem afflictis constituit, tutumque miseris ad evadenda pericula perfugium.

CANON LXXXI,

COMM. XXXVII.

I. Longinquum et anceps iter ingressurus te, Fili Dei, viaticum mihi sumpsi, et ubi esuriero, te generis nostri Reparatorem manducabo; sic enim fiet ut ignis accedere ad mea membra non audeat; odorem scilicet corporis et sanguinis tui ferre non sustinet. Modo tuus, Domine, baptismus cymba mihi fiat, naufragium nullus timeo, nec dubito quin te die reparationis meæ sim revisurus. Interim vero anima exul, inops amaris miscet hæc verba questubus: « In diversorio infelix habito unde me modo excedere jubet Dominus, nec jam hic manere licet. Exactor missus instat, mutare solum cogit, et quam hactenus habui, vacuare domum. Vale igitur corpus, tectum ad paucos dies mihi concessum, spero me tibi in communi mortuorum restitutione deterso mœrore reddendam. »

II. Ecce accelerato gradu venere lictores, corripuere me nec opinum; adest missus spiculator, nec præsensi venientem. Libera me, Domine, a supplicio Diaboli justorum filiorum tuorum implacabilis hostis, meque ad regnum tuum pervenire jubeto, ubi sanctis tuis sociatus incipiam laudare te et cantare gloriam tuam. « Quam amarus est iste calix, anima dicet, quem mihi miscuit inimica mors; quamque horribile est momentum, et funesta hora quæ me modo ad judicium accersit! Vale corpus charum mihi domicilium, quod habere licuit quandiu id Domino libuit. » Oh! qualis exagitabit cor peccatoris dolor, cum Rex Christus judex formidabilis sedebit, eique sistentur quicumque quovis sæculo vixere mortales, et omnia secreta

patebunt! O horrendum judicium, o tremendum Judicem, o terrificam horam! felix quem tua, Domine, proteget gratia.

CANON LXXXII,

COMM. XXXVIII.

I. Oh! quali cum gloria, quam horrendo cum apparatu tui, Domine, adventus dies apparebit, quando æthere in alto te conspiciendum dabis! Tuo fulgore succussæ cœli pandentur fores, et supremi infimique orbes et astra contenebrabunt. Gabriel Archangelus, crucis tropæum magnifice circumquaque ostentans, filiorum sanctæ Ecclesiæ fidem extollet et laudabit, suam Judæis ac Ethnicis insipientiam et perfidiam improperabit. Mox tua, Domine, omnipotente voce vacuabis inferni sinus, inde retracta mortuorum cadavera refusoque spiritu animata ad vitam transferes immortalem, magnificentiæ tuæ applaudentibus cunctis populis, gentibus et linguis. Tuba canet vicini adventus tui prænuntia, Angeli cœlo delapsi venturi Numinis gloriam prædicabunt; continuo evigilabunt quotquot mortis sopiti somno hactenus jacuerunt, Majestatis mox adfuturæ designati præcones: ex horum porro numero quicumque sancte casteque vixerunt, Judicem in cœlum redeuntem sequentur, quibus intro receptis, occludentur fores, indeque repulsi scelerati in tartarum detrudentur. Non hoc mihi, quæso, Domine, contingat, ut a magna pietatis tuæ janua me abigas, quem ad enarrandam gloriam tuam condidisti.

II. Adeste nunc, charissimi, nostrique fratris obitum pie honoremus, supremum vitæ mortisque nostræ Arbitrum obsecrantes ut rebus humanis subductum ad regionem

lucis transferat, illisque adjungat qui suam ipsi operam studiumque legitime approbarunt : oremus ut hujus lucis usura privatus, audiat invitantem ad regnum æternum, a Christo suis electis in beatissima illa regione paratum. Ut porro fateamur casum tuum cunctis esse admodum lacrymabilem, et obitum acerbissimum, tum maxime funestum divortium quod te e patrio solo avulsum in ignotas oras exulem abegerit; attamen tenere debes dictum testantis eum qui pro Christo nil molestum et grave perpessus fuisset, nec vitam in seipso habiturum. Cum ergo Domini tui ingenua sua virtute benignissimi mandatum expleveris, profecto dubitare non debes quin te ad regna lucis inocciduæ translatum, sempiterna requie sit remuneraturus.

CANON LXXXIII,

COMM. XXXIX.

I. Pretiosa in conspectu Domini Dei nostri mors accidit sancti ejus, obitusque venerabilis patris nostri, qui mystica pugna fortiter strenueque defunctus, ex acie superior discessit : nunc vero extinctus sacrum corpus suum nobis reliquit, vas utique electum et præstantissimum atque purissimum; anima quippe cœlum invecta est, et cum Angelis commoratur, Deum pro nobis perpetuo interpellatura. Quidni enim venerabilem sacerdotem pie venerari debeamus, qui sacri corporis sui membra hostiam viventem, sanctam et acceptam Deo obtulit? quapropter choris Angelorum ascriptus, nunc in cœlo gaudio fruitur immutabili; unde autem liberum habet ad Christum aditum, pro nobis orare non desinit.

II. Mittite ista, fratres, quin potius omni qua potestis contentione causam curate meam, ne incomitatus impera-

tam persequar viam, postquam a vestro consortio me mors abstraxerit : idcirco cum in templo congregati orabitis, mei, precor, vos subeat memoria, orate pro me, et rogate Deum ut mea mihi errata dimittat. Ego sane, donec veniat dies judicii mei, recogitabo peccata mea, et veniam deprecabor : « Dominus et Deus meus, peccavi, dicam, verumtamen da veniam petenti, et animæ meæ requiem cum sanctis tuis concede. »

CANON LXXXIV,

COMM. XL.

I. Cum forte sepulcro assedissem, sceletum hominis intra conditum contemplabar; dolebam enimvero labefactum, situ et illuvie squalentem, et magnam partem in cineres redactum, adeo non erat unde nota pulcherrimi vultus lineamenta recognoscerem; exaggerabaturque dolor meus, cum viderem per loca circum dispersa mortuorum hominum ossa diuturno squalore detrita : triste spectaculum non ferens, inde discessi, cum statim revenit in mentem futurus omnium mortuorum ad vitam reditus, pepulitque aures tubæ sonus tantæ rei nuntius. Tum vero tuam, Domine, bonitatem suspexi ob paratum posteris Adæ mortalitatis remedium, eoque magis quod idem in Evangelio prædictum legebam. Inde cœpi majestati tuæ gratias agere, tum quod naturam nostram tua ab initio imagine decorasti, tum maxime quod in fine temporum Filium tuum in terras miseris erroris depulsorem, statuerisque ut idem supremo mundi die redeat, et mortuorum sepulcra revisat, indeque extractam universam Adæ progeniem immortalitate muneretur, ita tamen ut justos in cœlum secum rapiat, iniquos contra in tartara præcipitet, piis acclamantibus : « Justum

est judicium tuum, Domine; Rex universorum, Domine, tu es; tibi laus et gloria. »

CANON LXXXV ET ULTIMUS,

COMM. XLI.

I. Quo, Domine, a facie tua fugiam, et ubi me abscondam a conspectu tuo? Cœlum sedes tua est, et terra scabellum pedum tuorum : semitæ tuæ in mari, et in inferno potestas tua; quod si mundi appropinquat interitus, tua, Domine, misericordia, precor, nobis bonum concedat finem. Nosti, Domine, multam esse nostram iniquitatem, nos item novimus multas esse miserationes tuas; et nisi misericordiæ tuæ suam pro nobis interponant gratiam, propter scelera nostra omnis salutis spes nobis accisa est et periimus. Domine, Domine, ne tuas circa nos laxes manus ut deseras, quoniam nos corpore et sanguine tuo pavisti; tempore novissimo, quando coram te singulorum hominum examinabuntur opera, ne projicias a facie tua qui sanctum nomen tuum confessi sunt. Pater, Fili, et Spiritus sancte Paraclete, salva nos, et animas nostras tuere: oramus, Domine, clementiam tuam ut peccata nostra dimittas, et ignorantias nostras dissimules : aperi nobis miserationum tuarum januam, quieta nobis tempora tribue; et quoniam resipiscentibus tuæ patent fores, nostras propitius ratas habeto preces.

S. P. N. EPHRÆM SYRI

OPERUM

CLASSIS VII. — DE RESURRECTIONE ET JUDICIO.

SERMO PRIMUS.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

INTERROGATIO.

I. Quid sibi vult sermo ille scriptus : « Nihil intulimus » in hunc mundum; manifestum quod nec auferre quid » possumus [1] ? »

RESPONSIO.

II. Arbitror hoc quod ait tale esse : nihil intulimus in mundum, neque efferre quid poterimus; quandoquidem propria Creatoris sunt omnia, nos vero advenæ sumus et peregrini. Quod si quis divitias atque substantiam sub manibus habet, non est proprie dominus rerum, sed dispensator; eo quod et ipse ab altero tradita sibi bona acceperit, rursusque post ipsum in alterum transferetur sors, opificis arbitratu : unde confiteri oportet illius qui dedit gratiam. Hæc igitur scientes sapientes œconomi, ne negligant opus justitiæ, beatitudine illa perfrui volentes. Ait enim Dominus : « Beatus ille servus quem cum venerit dominus ejus, » invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quia super om» nia bona sua constituet eum [2]. » Dispensavit enim digne sua in judicio, unde in æternum non commovebitur. Dicit

[1] Tim. vi, 7. — [2] Matth. xxiv, 46.

namque Spiritus sanctus : « Bonus vir qui miseretur et » commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in » æternum non commovebitur. In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, donec despiciat » inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus » manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et » tabescet ; desiderium peccatorum peribit[1]. » Justus autem in memoria æterna erit, et ab auditione mala non timebit. Et quæ qualisque est ista auditio mala ? Ego eam existimo ejusmodi : « Tollatur impius, ne videat gloriam Domini[2] ; » et istud : « Ligate manus et pedes ejus, et projicite inutilem » servum in tenebras exteriores[3] ; » et illud : « Discedite a » me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus[4]. » Contra vero, audiet justus : « Euge, » serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra » multa te constituam : intra in gaudium Domini tui[5]. » Unde et Dominus largitor omnium bonorum edixit ne afficiamur hujus vitæ rebus, cum dixit : « Nemo potest duobus » dominis servire[6] ; » et : « Non potestis Deo servire et mammonæ[7] : » et : « Nolite thesaurizare vobis super terram, » ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures perfodiunt et » furantur : ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit[8] : » et rursus ait : « Vendite bona vestra, et date » eleemosynam, et facite vobis sacculos non veterascentes, » thesaurum reconditum in cœlis[9] : » ac iterum : « Et ego » dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, » ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula[10]. » — Qui enim confidunt in propria virtute, et in multitu-

[1] Psal. CXI, 5-10. — [2] Isai. XXVI, 10. — [3] Matth. XXII, 12, et XXV, 30. — [4] Id. XXV, 42. — [5] Ibid. 21. — [6] Id. VI, 24. — [7] Luc. XVI, 13. — [8] Matth. VI, 19-21. — [9] Luc. XII, 33. — [10] Id. XVI, 9.

» dine divitiarum suarum gloriantur, ut homines morien-
» tur, et sicut unus de principibus cadent[1] : » non enim benevolentiam servarunt erga Creatorem. « Qui autem sustinuerint Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram[2]. » Nam lumen in iis est verbum, et sal, et potentia, juxta hanc Domini vocem : « Vos estis sal terræ[3] : » unde et mundus consistit usque adhuc, in se continens sal et luminaria : sunt enim e generatione in generationem inservientes Domino ; alioquin non consisteret mundus. « Si enim, *in-
» quit,* sal infatuatum fuerit, in quo salietur ? ad nihilum
» valet amplius, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab
» hominibus. »

III. In Sodomis, quoniam nihil hujus partis repertum est, præter unum solum, momento temporis perierunt. Verum ne quandiu quidem justus cum illis fuit, effudit in eos manus omnipotens iracundiam, ne quid mali hic etiam ex illorum societate contraheret. Quamobrem felix regio, felix civitas, felix generatio, quæ in se multitudinem continet justorum ; feliciores autem justi ipsi, per quos mundus salvatur : beatitudines enim et laudes justis repositæ sunt. Idcirco, deponentes actiones ab honestate alienas, imitemur vitæ instituta justorum ; ut cum iis hæreditate possideamus laudes, facti lumen et potestas et civitas magni Regis, ut ipse sit nostra gloriatio : « Quia in manu ipsius sunt omnes
» fines terræ[4]. » Ipse dat, secundum Psalmistam, « nivem
» sicut lanam ; nebulam sicut cinerem spargit : mittit cry-
» stallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus
» quis sustinebit ? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea :
» flabit spiritus ejus, et fluent aquæ[5]. » Tunc terra, suscipiens odorem contemplationis, induitur decorem suum, Dei jussu, et, quemadmodum vas gemmatum et auro in-

[1] Psal. LXVIII, 7; LXXXI, 7. — [2] Psal. XXXVI, 9. — [3] Matth. v, 13. — [4] Psal. XCIV, 4. — [5] Psal. CXLVII, 16-18.

tertextum, delectat spectatores; et aves devolantes reddunt sonum dulcem, aëris serenitate se oblectantes : quadrupedia quoque in agris exultant, quia germinarunt campi solitudinis ; et pastores exultantes lætantur in donis Domini : flumina contra asperitatem et immoderatum cursum aquarum, quiete dum feruntur, lætificant aquosa loca ; et pisces exiliunt ad splendorem solis : arbores foliis destitutæ reflorescunt foliis ornatæ ac fructuum copia : montes et colles, et valles, omnisque terra reflorescens, gloriam Domini prædicant, quod sicut sponsam ornatu mundo ipsam expolierint. Et nos filii hominum, abjicientes tristitiam hiemis, lætamur, perfruentes aëris temperie, et copia fructuum.

IV. Faciamus ergo et nos fructus justitiæ Domino acceptos, ut audacter dicere queamus ad Creatorem : « Læ» tabitur Dominus in operibus suis [1]. » Vere enim lætatur Dominus super facientibus justitiam. Ne quis igitur inani extollatur prudentia, aut potentia, aut divitiis; hæc enim ut fænum exarescent. « At, qui gloriatur, in Domino glo» rietur [2]. » Quid majus pretiosiusve apud homines regali diademate ? neque hoc quidem per sæcula remanet in capite hominis ; cum ex generatione in generationem transeat a capite in caput : quid porro habet rex quod non dedit Deus ? nonne ipse fecit Dominus cœlum et terram, et quæ in eis sunt ? nonne ipse creavit aquam, super quam fundavit terram ? Cui igitur imperat rex, quod non dedit Dominus, qui corporibus et armis atque thesauris dominatur ? Sed, cedo, quis hæc fecit ? et quis est qui corpora multiplicat per filiorum procreationem, et rerum necessariarum abundantiam, quibus et ingenium parandi arma existit ? nonne ipse Dominus producens omnia ? Quis metalla inquirentibus suppeditat, nisi Dominus ? Quis vel solo

[1] Psal. CIII, 31. — [2] 1 Cor. I, 31; et 2 Cor. X, 17.

respectu commovet terram tanquam frondem aut festucam in aqua natantem? nonne ipse Dominus? Quanquam et istud in oculis ejus leve sit; cum et in commovenda illa, habitantes in ea turbationem doloremque passuri sint. Quod si porro quæcumque præsto nobis fuerint, aurum, argentum, et vestimentum, servi et ancillæ, pecorum et boum armenta, equorum et camelorum greges; non oriatur autem sol; pro nihilo putabuntur : sapiens contemptui fuerit, potens languescat, divesque ad inopiam redigatur. Justum igitur confiteri quod nihil hic possideamus, cum Creatoris propria sint universa : nos autem nostram agnoscamus infirmitatem. Quemadmodum enim, dum eorum qui obdormierunt contuemur ossa aut crania, suspiramus; sic et qui post nos nostra inspecturi sunt ossa, vultum contrahent : nam ex eodem limo terræ compositi sumus cuncti filii hominum.

V. Hæc igitur præcognoscentes, fratres dilectissimi in Domino, « humiliemus animas nostras sub potenti manu » Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis [1]. » Odio habeamus inanem gloriam, et insolentiam, quæ est insipientia : fugiamus superbiam; huic enim Deus resistit : diligamus autem humilitatem, ut cum mansuefacti simus, doceat nos Deus vias suas. Quam multi in terris dominati sunt post orbem conditum, et omnes in pulvere dormiunt : et nulla apparet differentia ossium regalium ab ossibus captivi; non possidentis currum et equos cum frænis aureis, ab eo qui propriis præcucurrit pedibus; non vescentis deliciis, ab eo qui in paupertate vixit; non ejus qui formæ elegantia præcellit, ab eo qui pulchritudinis est expers; non occisoris, ab occiso. Verum cuncti sub terræ cumulo dormiunt, donec sancta resonet tuba, suscitans eos qui a sæculo sunt mortui : ut referat unusquisque quæ in cor-

[1] I Petr. v, 6.

» pore suo gessit, sive bona sive mala [1].» Res mira, fratres, spectare repente sepulcra aperta ad sonum tubæ, et mortuos resuscitatos universos qui defuncti sunt ab Adam usque ad horam illam, in momento, et in ictu oculi, omnes pariter resurgentes; Angelos circumcursantes cum tuba vocis magnæ, justosque congregantes a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum [2]. Hæc ipsa vox cunctos vivificabit ad unum, et nullus hominum relinquetur. Et hi quidem resurgent in resurrectionem vitæ, hi vero in resurrectionem judicii [3].

VI. Audientes autem de mortuorum resurrectione, non diffidamus, Christo dilecti fratres : omnia enim sunt possibilia Deo, impossibile autem apud Deum nihil. Et quemadmodum projectos in caminum ignis, et instar sepulcri sub flamma tectos, conservavit illæsos; et non solum capillus ipsorum non est combustus, sed ne odor quidem tantæ atque elatæ flammæ ipsis adhæsit : ita etiam mortui surgentes incorruptibiles, non modo capillus ipsorum non relinquitur, sed ne odor quidem corruptionis invenietur in ipsis, postquam tandiu dormierint. Omnia siquidem Deo sunt possibilia, impossibile vero ipsi nihil. Sed audi quoque Ezechielem prophetam dicentem : « Et facta est super » me manus Domini, et eduxit me in spiritu, et posuit me » in medio campi qui erat plenus ossibus humanis. Et cir- » cumduxit me per ea in gyrum : erant autem multa valde » super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad » me : Fili hominis, vaticinare de ossibus istis, et dices » eis : Ossa arida, audite verbum Domini; hæc dicit Do- » minus ossibus istis : Ecce ego intromittam in vos spiri- » tum vitæ, et dabo super vos nervos, et reducam super » vos carnes, et superextendam in vobis cutem; et dabo » spiritum meum in vobis, et vivetis, et scietis quia ego

[1] 1 Cor. xv. 2 Cor. v ; 10. — [2] Matth. xxiv. — [3] Joann. v, 29.

» sum Dominus. Et prophetavi, sicut præceperat mihi Do-
» minus. Factus est autem sonitus prophetante me, et ecce
» commotio : et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad
» compositionem suam. Et ecce super ea nervi et carnes
» natæ sunt : et ascendit in eis cutis desuper, et spiritus
» non erat in ipsis. Et dixit ad me : Vaticinare, fili hominis;
» vaticinare super spiritum, et dices ad spiritum : Hæc di-
» cit Dominus Deus : A quatuor ventis veniat spiritus, et
» insufflet super interfectos istos, et reviviscant. Et prophe-
» tavi, sicut præceperat mihi : et ingressus est in ea spiri-
» tus, et vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus
» grandis nimis valde. Et dixit Dominus ad me : Fili ho-
» minis, ossa hæc, universa domus Israël est; ipsi dicunt :
» Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi
» sumus. Propterea vaticinare, et dices ad eos : Hæc dicit
» Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et
» educam vos de sepulcris vestris, et introducam vos in
» terram vestram : et scietis quia ego Dominus, cum ape-
» ruero tumulos vestros, et eduxero vos de sepulcris vestris,
» popule meus, et dedero spiritum meum in vobis, et vixe-
» ritis, et introduxero vos in terram vestram : et scietis,
» quia ego Dominus locutus sum, et faciam, ait Dominus
» Deus [1]. »

VII. Unde quoque adveniens Dominus noster et Deus Jesus Christus, divino suo ore dixit : « Amen, amen dico » vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui au- » dient vocem filii Dei, et qui audierint vivent [2]. » Et rursus : « Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua » omnes qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei : » et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem » vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem ju- » dicii [3]. » Scriptum est enim : « Attende cœlum, et lo-

[1] Ezech. XXXVII, 1-14. — [2] Joann. V, 25. — [3] Ibid. 28.

» quar; et audiat terra verba oris mei : expectetur sicut » pluvia doctrina mea, et descendant sicut ros eloquia » mea [1]. » Hic est ros qui oriri facit, et vivificat mortuos. Quemadmodum et alius Propheta exclamat, dicens : « Re» surgent mortui, et resuscitabuntur qui sunt in monu» mentis, et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui a » te, sanatio eis est [2]. » Omnia siquidem possibilia Deo, impossibile vero ei nihil. Sive enim homines, sive terra, sive pelagi marium, sive abyssi, sive quæ alia creatura, cuncta in manu ejus sunt, et veluti nihil sunt. Fidemque tibi faciat Propheta, dicens : « Quis mensus est manu aquam, et cœ» lum palmo, et omnem terram pugno? Quis statuit montes » in statera, et saltus in lance [3]? » et iterum ait : « Omnes » gentes ut stillicidium a cado et ut momentum lancis repu» tatæ sunt, et tanquam oliva reputabitur. At Libanus non » satis est ad combustionem sacrificiorum, et omnes pe» cudes non sunt satis ad fructum sacrificiorum redden» dum; omnesque gentes quasi nihil sunt, et pro nihilo » habebuntur [4]. » Habacuc autem : « Domine, audivi audi» tionem tuam, et timui : Domine, consideravi opera tua, » et expavi [5]. » Scriptum est enim : « In momento, in ictu » oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui » resurgent incorrupti; et nos immutabimur. Oportet enim » corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc » induere immortalitatem. Cum autem corruptum hoc in» duerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immor» talitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est » mors in victoria : ubi est, mors, victoria tua? ubi est, » mors, stimulus tuus? ubi victoria tua, inferne [6]? »

VIII. Itaque nequaquam fleat pauper, nequaquam infletur dives, nequaquam tristetur infirmus, et nequaquam

[1] Deuter. XXXII, 1-2. — [2] Isai. XXVI, 19. — [3] Id. XL, 12. — [4] Ib. 15-17. — [5] Habac. III, 1. — [6] 1 Cor. XV, 52-55.

extollatur potens; non doleat servus, neque glorietur dominus : omnes namque e terra, et in terram dissolvemus corpus, quoadusque venerit Dominus, qui vivificabit corpora nostra. Glorientur vero justi, et lætentur in Domino : beati enim cuncti qui tunc digni fuerint inventi benedicta illa voce : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum » vobis regnum a constitutione mundi [1]. » Persistite igitur, qui operamini justitiam, labores pro veritate Dei tolerantes : etenim labores hujus momentaneæ vitæ multam vobis præbebunt fiduciam in futurum, et angustia præsentis vitæ vobis erit pro futuro in requiem, exaltationem et gloriam; et qui nunc est fletus, fiet vobis in consolationem et refrigerium : scriptum est enim : « Beati omnes qui immanent in ipso : » quia populus sanctus habitabit in Sion [2]. » Tunc rursus fiet quod scriptum est : « Ecce servi mei lætabuntur, et vos » confundemini : ecce servi mei exultabunt in lætitia; vos » autem clamabitis præ dolore cordis vestri, et præ contri» tione spiritus ululabitis. Et demittetis oculos vestros, in » saturitatem electis meis. Et interficiet vos Dominus Deus. » Et servos suos vocabit nomine novo, quod benedicetur » super terram [3]. » Et rursus dicit : « Obliviscentur enim » angustiarum suarum priorum, et non ascendent super cor » eorum. Erit enim cœlum novum et terra nova, et non » erunt in memoria priora, et non ascendent ipsis super cor; » sed gaudium et exultationem in iis invenient [4]. »

IX. Ego vero peccator, mecum cogitans cujusmodi bona reposita sint justis, qualisque furor ante denuntiatus sit peccatoribus, meipsum despicio; et cum non sim mihi boni alicujus operis conscius, hanc ad te, qui bonus es et Redemptor, vocem emitto : Deus, propitius esto mihi peccatori : ille siquidem publicanus cum me præstantior atque perfectior esset, in pedes stans, deorsum aspiciebat, et pectus

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Isai. xxx, 18. — [3] Id. lxv, 14-16. — [4] Ibid. 16-18.

percutiens, supplicabat; ego vero peccatis eum superans, in terram super faciem cadens, frontemque in pavimentum concutiens, clamo ad te misericordem, et immaculatum, atque tremendum : Deus, propitius esto mihi peccatori, et indigno : non sit mihi in judicium quod audeam nefaria mea lingua impurisque labiis meis nominare sanctum tuum nomen et superexaltatum in sæcula. Verum sit mihi invocatio nominis tui, Domine, in illuminationem et sanctificationem carnis et spiritus. Unguentorum odor ascendens, odore complet domum: quanto magis memoria tua, Domine, dulcior melle et favo, implet animam sanctificatione et illuminatione, iis qui in cognitione te Salvatorem requirunt? Da mihi desiderium in salutari tuo, Domine, tanquam terræ sitienti et expectanti pluviam; ut faciam fructum ante mortem, et non confundar in die retributionis. Miserere omnium nostrum, quia bonus es. Gratias agimus bonitati tuæ, Domine, quod dignaris nos, licet indignos, servire nomini sancto tuo, et manus extendere ad te Patrem universorum.

X. Libera nos ab omni operatione Satanica, et da gloriam sancto nomini tuo, Domine. Concede nobis ut inveniamur sicut terra pulchra et bona, ut cum susceperimus semen tuum, fructificemus in centuplo, et sexacuplo et tricecuplo. Da nobis, Domine, ut digne mercemur in tuo argento quæ apud nos deposuisti; ut mnam decies multiplicantes, offeramus tibi fructum justitiæ, et digni reddamur habere potestatem super decem civitates. Da nobis, Domine, alacritatem vigilandi ad tuum occursum, ut habeamus lumbos mentis succinctos, et spiritales lucernas animæ inextinguibiles, te expectantes Deum nostrum, et Salvatorem Jesum Christum. Dignare nos, Domine, raptu justorum, quando in nubibus occurrent tibi universorum Domino; ut non experiamur amarum et inevitabile illud judicium. Dissipa, Domine, intolerandum peccatorum nostrorum

onus ante mortem, ut non impedimento nobis sit in hora judicii, trahatque in ignem inextinguibilem, extra conventum justorum. Justitia alta est celerrima, justos e terra in cœlum elevans.

XI. Gratia tua, Domine, fortitudo nobis fiat, et assumat nos in nubibus cum justis et electis in aëra, in occursum tibi Regi universorum : ut nos sancti Angeli cum gaudio suscipiant et hilari facie, et adoremus sicut oportet coram throno gloriæ sanctæ tuæ, Domine; et cum viderimus gloriam ineffabilem, gaudio magno repleti, clamemus : « Gloria induenti humiles et corruptibiles gloria et incorruptione! gloria donanti mortalibus immortalitatem! gloria ei qui ex ore leonis et destructionis inimici liberavit nos, quique nos in supercœleste regnum suum vindicavit! Hæc radix est omnium bonorum : hic lumen est inenarrabile ; hic nox non insequitur; hic gaudium ineffabile, quod a dolore aut alio quopiam non destruitur. Hic incorruptibilitas corruptioni non est subjecta; hic vita a morte non dissolvitur. Revera nunc aufugit dolor et tristitia ac gemitus : ex hoc cum Domino semper erimus. » Hæ justorum sunt voces atque sanctorum, et ascetarum, atque electorum, in ipsius præsentia, omniumque eorum qui per pœnitentiam complacuerunt Domino. Vigilemus igitur et nos, dilecti, et attendamus nobis ipsi; ut cum justis mansionem habeamus, et gaudeat cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, laudantes ac benedicentes, adorantesque sanctam et immaculatam ac consubstantialem Trinitatem in sæcula. Amen.

SERMO II.

DE TIMORE DEI, ET CONSUMMATIONE SÆCULI.

I. *Initium sapientiæ,* sacris litteris admonentibus, *timor Domini est*[1]. Qui ergo Dominum timet, is revera sapiens est; omnia quippe mandata ejus servat, omnes ejus sermones explet, et ejus voluntati perfecte obsequitur.

II. Quisquis es, Deum time, ipsius disciplinam amplectere, sapientiam adama, ut ille tibi gloriæ coronam imponat.

III. Sapientiam cupienti timor Domini sit in primis propositus; qui ubi deest, nihil boni, nihil sinceri reperiri unquam potest.

IV. Via Domini, qua sapientes incedunt, optima est. Quicumque autem ab ista deflectunt, fieri nequit quin in deviis maximeque periculosis ambagibus pervolvantur.

V. Sapientes nunquam suprema Dei oracula aversantur, cum ab ipsis, a perenni veluti fonte, universa bona largiter effluere non ignorent.

VI. Dei ergo timorem dilige, ut in via justorum sine offensione gradiaris, ac demum ad cœlorum regnum expeditissime pervenias.

VII. Servus qui dominum reveretur, ejusque dicto audiens est, ipsius regni princeps et domus præfectus constituetur.

VIII. Qui timet Dominum ejusque præceptis obtemperat, omnibus ejusdem facultatibus ac divitiis præficietur.

IX. Moyses servus impiger magnopere Deum timuit;

[1] Ps. cx, 10.

quare illum dominum et domus suæ præfectum renuntiavit, et ipsi thesauros omnes commisit. Terram quoque et elementa hujus imperio subdidit, cujus nutibus res creatæ omnes certatim ac studiosissime paruerunt. Huic insuper maximi ducis honorem detulit, qui tot tantaque supra naturam gessit, ut non hominis, sed Dei vocabulo nuncuparetur. Exultarunt montes, cum egrederetur de terra Ægypti, de domo servitutis; deque ipsius fuga lætitiam colles perceperunt. Commotum est mare a facie ejus, et viam aperuit in ejus medio, instar muri, aquis a dextra lævaque circumstantibus, ut pastor cum grege pertransiret.

X. Josue Bar-Nun, Moysis discipulus, quia Dei timore plenus erat, Jordanem divisit, ut populum ad terram a Deo optimo maximo multo ante constitutam introduceret. Hic ipse Jerichum profectus, vix apud munitissimam urbem vociferatus est, ipsius statim mœnia corruerunt. Solem vetuit ne ad occasum solita celeritate volveretur : mirum ! stetit sol, steteruntque ambo prægrandes solis ac lunæ orbes, donec hostium copias penitus delevisset. Quid plura ? cœlo ipsi imperavit, ut qui ex cæde evasissent, Chananæos exterminaret : cujus dicto audiens lapideum imbrem demisit, quo pugnæ superstites obruit depressitque.

XI. Elias insuper vir erat Dei observantissimus, cujus promovendi cultus studio ita conflagrabat, ut ad improborum perfidiam conterendam natus esse videretur. Hic idem cum divina prope auctoritate fungeretur, cœlo interdixit ne rorem aut pluviam emitteret, quoad sibi visum aliter foret : cujus quidem præcepto cœlum diligentissime paruit.

XII. Hos viros sanctissimos res omnes creatæ vehementer sunt veritæ, eorumque imperio sese sponte libenterque subjecere, non aliam ob causam, nisi quia et ipsi Deum extimescerent. Quamobrem saluberrimus iste timor tantam eisdem gloriam peperit, ut in iis, veluti in domestica

sede, Deus habitaret. Omnipotentiæ proinde vim creaturæ sentientes, summam illorum potentiam non immerito metuebant.

XIII. Qui Deum timet, hunc et creaturæ reverentur, ejusque mandata exequuntur, si divina ipse perficiat. Cœlum ipsum, ipsa etiam elementa, timenti Deum obsequuntur, et suo quæque modulo inserviunt.

XIV. Qui Deum timet, nec ab ipsius legibus vel modice deflectit, minas terroresque omnes superat, et inanes larvas contemnit, abjicit, deponit.

XV. Cujus rei exemplo sit egregius ille rex David, qui suam omnem fiduciam in Deo habens repositam, hæc frequenter usurpabat : « Posui Dominum in conspectu meo, » ne timeam neque commovear [1]. » Deum namque ut scutum inexpugnabile sibi proposuit, idcirco impavidus psallebat : « Non timebo quid faciat mihi homo [2]. » Humanis nimirum terriculamentis, dæmonisque latratibus nihil urgetur quisquis Deum possidet; imo potius dæmonem ipsum ejusque satellites talium virorum, non dicam aspectus, sed fama ipsa frangit debilitatque.

XVI. Mors terribilis est iis quorum cum vita omnia extinguuntur; non justis, quorum virtus emori non potest. Jam vero etiam mors tanta justos veneratione prosequitur, ut nisi supremum Dei decretum accedat, ipsos ne leviter quidem audeat attrectare.

XVII. Quæ Dei timorem et humilitatem colit, in eam Deus ipse animam sponte labitur, et perpetuum in ipsa domicilium statuit; hujusmodi porro custodiam quilibet, aut terror aut formido, effugiat necesse est.

XVIII. Mira siquidem is majestate præfulget, quam si Cherubim et Seraphim intueantur, plane contremiscunt; si mortales, ut fumus evanescunt; si terra, paleæ instar,

[1] Psal. xv, 8. — [2] Ps. lv, 5.

subito deficit. Dum ergo talis tantusque hospes in anima diversatur, quis eam pavor concutiat? qui metus exanimet?

XIX. Vix autem Dei timorem deposuimus, animalia ipsa nostræ ditioni subjecta nos territant, quanquam illa Deus condiderit nostris usibus, non ut sua nos immanitate terrerent, sed ut nostram auctoritatem reformidarent. Quod quidem ex luculentissimis hisce Domini verbis perspicue colligitur: « Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram[1]. »

XX. Nos autem feras pertimescimus vitamusque, quia Deum nec timemus nec adamamus. Quod etiam causæ est cur scarabæus ipse, quo nihil vilius aut abjectius inveniri potest, et immundissimum quodvis reptile nos turbat exagitatque.

XXI. Itane homo vecors atque amens ignominiosum serpentem times, Deum vero nihil metuis? a scorpione trepidas, a verbo autem Dei non commoveris? camelum, leonem, ursum, tigrim, canem denique ipsum formidas; Deum nihili pendes? Nescis, insane, nescis quantas vires Dei timor habeat. Ipse profecto avidas leonum fauces in lacu quondam clausit, ne Danielem discerperent; cujus sanctissimi viri carnes, qui Deum timebat, ferro duriores eorum oculis apparuere.

XXII. Ignis, cujus voracitas est unicuique notissima, succensus quondam in Babylonis fornace fuit, eo consilio ut ibi tres pueri ob contumelias simulacro regio illatas concluderentur. Licet tamen in fornace hujusmodi incendenda omnem barbari operam studiumque insumpsissent, flamma nihilominus nullum formosissimis Deumque timentibus pueris detrimentum intulit; sed, quod mirandum magis

[1] Gen. I, 28.

est, in suavissimum rorem auramque lenissimam conversa, eosdem admirabiliter fovit, texit, recreavit.

XXIII. Qui Deum timent, nec aquam, nec ignem, nec animalia, hominesque aut quidpiam aliud timere possunt. Si quis adest qui aquarum vim timeat, maximum illum Israëlitarum ducem Moysen intueatur, cui procellosum pelagus minime nocuit, quin et ipsum vado trajicientem sustinuit. Quem ignis movet mox laudatos inspiciat pueros, quos ne leviter quidem flammæ attigerunt, imo molliter complexæ sunt. Qui belluarum feritatem horret, mentem ad Danielem leonum faucibus objectum convertat, qui ingenitam iis ferocitatem in ovium mansuetudinem conversam sensit. Quem armatus miles exanimat, Ezechiæ orationem crebro usurpet, qua nimirum rex ille immortali laude dignus plurima pugnantium agmina profligavit : martyres demum spectet, quos nec vis ulla nec furor perculit, sed equuleos, tormenta, enses, vincula mortemque ipsam alacres despexerunt.

XXIV. Nihil est quod Dei timorem æquare possit; hic siquidem cruciatus omnes et quævis malorum genera mirum in modum vincit : nec ulla res est adeo metuenda, quæ non istius virtute facile superetur. Porro Dei timor amori æquatur, quæ virtutes perfectum Deo domicilium construunt.

XXV. Qui Deum timet, labi aut errare nequaquam potest; divina quippe præcepta accurate custodiet, atque ita ab iniquitate maxime abhorrebit.

XXVI. Qui peccat, longissime a Deo abest, proindeque Diabolus illum metu implet; quare dies in summa animi perturbatione trahere ubique cogitur.

XXVII. Quia omnipotentis Dei timorem excussimus, ideo mentem nostram vitium infecit, quocum tremores trepidationesque irrepserunt : experimento namque vide-

mus improbos quoscumque, dum peccant, pallescere, et suum scelus præ verecundia obtegere; persuasum enim illis est lethale id virus esse, quo nihil Deo detestabilius; unde cum dignos communi omnium odio se esse videant, latibula quærunt, quia venenum in lucem prodere erubescunt.

XXVIII. Peccator enim, propriæ conscientiæ testimonio exagitatus, et aliorum conspectum vitat, et suam ipse fœditatem odio habet : et sicuti hoc proprium inest oculis, ut a deformi conspectu abhorreant, pulchrum vero cernere gestiant, lucem appetant, tenebras effugiant; ita peccator, cujus viæ tenebræ sunt obscurissimæ, sese ab omnium aspectu subtrahit, ratus semetipsum omnium esse oculis gravem atque intolerabilem. Huc etiam accedit eo illum timiditatis devenire, ut ad levissimam frondium agitationem expavescat, et suis etiam non raro vocibus exanimetur.

XXIX. Fures adulterique clanculum incedunt, et proferre vix audent verbum, cum metuant ne propria culpa ipsorum fraus detegatur; quapropter vel nutibus vel oculorum ictibus secum ipsi alloqui coguntur : tanta est eorum timiditas ac diffidentia! Adde præterea, eam esse peccatoris ignaviam, ut de ipsis quoque gressibus suspicetur : si enim libratis minus vestigiis ambulet, timet ne in ipsomet scelere deprehensus pœnas luat; si inanem vocis sonum accipiat, immotus, lapidis instar, hæret; si canem latrantem audiat, omnino corruit; si quidpiam forte moveatur, ad fenestras advolat, ut e muro aut sepibus evadat : nonquam tamen ex janua effugium quærit. Et quoniam infernum hostem intrinsecus latentem gerit, quocumque se vertat, sua illi scelera tanquam furiæ occurrunt, quæ ipsum respirare non sinunt.

XXX. Jam vero si crimina hominibus occulta tantum formidinis injiciunt, quid dicendum de iis quæ publice in-

notescunt? quid cum ante formidandum divini judicii tribunal discutienda proponentur? Si furem aut adulterum unius homunculi aspectus tantopere sollicitat, quem non iisdem terrorem ultio Domini, ac terræ cœlique ingeret exprobratio?

XXXI. Nulla cogitatio, nullus oculorum obtutus impunitus evadet : justissimus siquidem Judex, qui relevat profunda et abscondita, non modo prava cordium consilia, verum ludicra etiam quælibet et inconsideratos gestus reteget, et in discrimen vocabit. Cœlum terramque suæ administras justitiæ adhibebit, cum interim et improbi timore horribili complebuntur, et inter justos vix quisquam erit qui valeat sine metu Judicem intueri, cujus ardebunt oculi et furor undequaque emicabit, clementiæ nomine jam penitus extincto.

XXXII. Cœlum concutietur, et ejus luminaria, quæ in præsentia tam pulchre fulgent, eodem labefactata motu concidant necesse est. Sol obscurabitur; et luna, quam a sole haurit, luce privabitur. Sidera, quæ infixa cœlo sunt, elabentur. Pelagus horribili murmure infremet, et in ipso furoris æstu deficiet. Terra quoque incendio flammisque tamdiu conflagrabit, donec in nihilum redigatur : subvertentur montes, et ut plumbum in medio fornacis liquescent.

XXXIII. Surget Deus ad judicandum, et ejus inimici conterentur; creatura autem omnis, chlamydis instar scissæ et prorsus laceræ semianimis decidet. Firmamentum collabetur, cœlum ac terra transibunt, et universus orbis ut fumus dissipabitur.

XXXIV. Cum vero improborum ac perduellium causam, omnium animis plane titubantibus, cognoscendam suscipiet, ut in ipsorum perfidiam ea qua par est severitate animadvertat, quis erit virtute adeo præstans ut queat tantam cladis acerbitatem sustinere? Sua modo beneficentia ut optimus parens

mundum fovet; tum vero injuriarum vindex conditam evertet molem : in qua quidem destruenda eo plane modo se geret ac iratus quisque in hoste provocando utitur; is enim antequàm hostem adoriatur propriis exuitur vestibus, ut, hujusmodi sublato impedimento, sit ad pugnam expeditior. Porro deplorandæ hujusce vastitatis instrumentum ignis erit, qui ante Judicem præcedens inflammabit in circuitu inimicos ejus: hic autem ignis ex ipso egrediens, velut sarmenta comburet quotquot divina patientia abusi eamdem temere impudenterque contempserunt. Si ergo cœlum, terra, mare ac reliqua mundi globum ambientia istius ignis impetu absumentur, ecquis erit adeo perfrictæ frontis, ut, si peccasse se noverit, incolumem discessurum confidat? Hujus præterea ignis natura a communi igne admodum diversa erit; quandoquidem cum a Deo optimo maximo ad scelestorum malitiam, quæ quodammodo infinita est, torquendam construendus sit, ipsius vis nullis mensurarum angustiis comparanda videtur. Quapropter jure asseri potest parvam ipsius ignis scintillulam humanis futuram viribus intolerabilem.

XXXV. Ex quo Deus ex nihilo terram condidit, sua miseratione ignem clausit, ne ipsa adureretur : nam si liberas illi habenas relaxasset, certe ea quæ nunc cernimus, nullo pacto constitissent. At cum cœlum terramque judicabit, abditum eumdem patefaciet, quo furente mundus deficiat prorsus oportet. Tum vero justi ipsi vix ab excidio se immunes fore arbitrabuntur, cæteri autem mortem omni supplicio acerbiorem subibunt.

XXXVI. Æthereus, de quo nunc agimus, ignis una cum peccatoribus electos devoraret, nisi divina postremos clementia tueretur. Insuper si divinæ gratiæ virtus cœlestes desereret cives, eos etiam flammarum furor cæco quodam impetu insequeretur.

XXXVII. Si igitur beatorum animæ Deo charissimæ vix

superstites erunt, quid de miseris peccatoribus sentiendum? Angeli Judicem placandum nulla ratione suscipient; hujus namque severitate inspecta velut semivivi conticescent. Sancti apud illum intercedere non audebunt, veriti ne una cum reis admisceantur : quamdiu enim subsellia Judex tenebit, ii qui illius clementiam exposcere tentabunt, etiamsi sint ex ipsius familiarissimis, iram æque ac reprobi experientur.

XXXVIII. Judex itaque super igneum thronum vectus, igneis undique radiis emicans, igneum ex se flumen ad mortales probandos emittet. Is tamen ignis non omnibus promiscue nocendi facultatem habebit; eos solum invadet quorum pectora nullo charitatis igne inflammata comperiet. Hujusmodi autem ignem Christus Dominus venit olim mittere in terram, nihil aliud optans nisi ut accenderetur. Hunc qui sibi comparaverit, vigentemque in animo custodierit, incendium illud funestissimum evitabit. Qui contra propria malitia extinxerit, iisdem quibus hæc universi machina, flammis interibit.

XXXIX. Rex regum Deus e suæ majestatis sede cœlestium agminum præsidio ac comitatu fultus, in terram descendet. Nemo ex celeberrimo illo consessu metu vacuus omnino erit. Omnes quotquot extiterunt aut in posterum futuri sunt, ibi præsentes aderunt; nec ullus ab Judicis sententia excipietur.

XL. Tuba interim repetito clangore personabit, cujus strepitus in sepulcris abditos excitabit, et singuli resurgent incorrupti : Unigenitus namque Dei Filius unico infinitæ potentiæ nutu celerius universos ante suum tribunal congregabit, quam quis oculi palpebram movere possit.

XLI. Mortem ipsam invadet timor; quocirca in lucem restituet quos voraverat, et redivivos omnes ad judicium mittet. Ne vero ulla terrenæ pulveris particula mortuorum

fortasse cineribus admixta ad judicium pertrahatur, Dei jussu fiet ut terrenus pulvis ab humanis cineribus segregetur.

XLII. Quos æquor ingurgitavit, quos feræ comederunt, quos avium discerpsere ungues, quos ignis absumpsit, in momento singuli ad perfectam ætatis mensuram redacti surgent, et in jus prodibunt. Quare pueruli quoque illi qui, præsentis vitæ limen nondum ingressi, in matris utero decesserunt, ad florentissimam integramque ætatem, Deo ita sapientissime disponente, traducentur.

XLIII. Fœmina quæ fœtum in utero gestans occubuit, eumdem, licet in virum mutatum, recognoscet; eademque ratione, fœtus matrem a cæteris distinguet suam. Hæc autem mutua cognitio utrisque inerit, etiamsi nulla cæteroquin cum ipsis consuetudo aut necessitudo intercesserit.

XLIV. Huc accedit, quod resurrectio præter integram unicuique ætatem, scientiam quoque perfectam tribuet. Quapropter quem propria non excæcavit improbitas, omnia tam quæ in cœlo quam quæ in terra sunt, superaddito gloriæ lumine, in Deo tanquam in speculo perspicue distincteque cognoscet.

XLV. Mulier impudica quæ ex adulterio conceptam prolem abortioni causa præstita, lucis beneficio privavit, novo illo mundo minime perfruetur; id enim infans tam enormiter læsus non sinet: quocirca cum impudentissima mulier puerili innocentiæ neutiquam parcens suffocatum illum in terræ visceribus condidit, eadem ita exigente facinoris atrocitate, perpetua noctis caligine obruetur.

XLVI. Jam vero ut ad rem redeamus, in ipsa ætatis mensura in qua summus opifex Deus primos hominum parentes constituit, omnes reviviscent; nullo ætatis discrimine remanente, quisquis ex operum quæ gessit conditione ab alio tantummodo differet: nam qui propriæ dignitatis

immemores cupiditati ad satietatem indulserint, insigni turpitudine notabuntur; qui vero ita se gesserint ut eorum probata sit fides, integritas, probitas, virtus, « fulgebunt » *quasi splendor firmamenti, et quasi stellæ in perpetuas » æternitates*[1]. »

XLVII. Illud autem postremum erit, quod Judicis jussu probi ab improbis dissociabuntur, illi quidem ad cœlum, hi vero ad inferos, unde egressi sunt, redituri. His gestis, hæc una eademque vox ab omnibus exaudietur : « Justus » es, Domine, et rectum judicium tuum[2]. » « Justus es et rectus, » clamabunt qui latus dextrum tenebunt, « nam statutum justis præmium persolvis. — Justus es et rectus, » ad lævam stantes vociferabunt, « nam debitas improbis pœnas constituis. »

XLVIII. Proh! quam felix justorum conditio! Hi enim vitam adepti immortalem beatissimamque, præclaro Dei conspectu in perpetuum perfruentur. Tanta insuper erunt gloria ac splendore præditi, ut quibuslibet cœlorum radiis eorum lux et claritas summopere antecellat.

XLIX. At quid loquar de iis quorum ignominiosa vita nullum honestæ morti locum reliquit? Væ miserrimis illis! quippe qui in inferno acerrimis cruciatibus divexati, suam omnes dementiam infelicitatemque inutiliter ingemiscent.

L. Qui nefariis Deum sceleribus ad ultionem concitavit, suamque fraudem virtutum involucris contexit, in tenebras omni luce carentes projicietur. Qui livore intrinsecus absumpti pravum in animo dolum foverunt, in horribilem puteum igne ac sulphure plenum præcipites delabentur. Qui vesano furore correptus charitatem e suo sinu expulerit, et proximos capitali odio sit prosecutus, Angelis divinæ ultionis administris puniendus tradetur.

LI. Qui panem esurienti denegaverit, nec afflictis proxi-

[1] Dan. XII, 3. — [2] Psal. CXVIII, 137.

morum rebus succurrerit, opem assidue exposcere cogetur, quin ullum sibi affuturum confidat.

LII. Qui opes in luxu intemperantiaque profuderit, quin egenti aliquid solatii tribueret, in atroci incendio positus, guttulam aquæ implorabit, quæ tamen ipsi denegabitur.

LIII. Quorum impurissima ora contumelias conviciaque, et, quod deterius est, blasphemias egerere consueverunt, in pestiferam sordium sentinam obvoluta, oppilabuntur.

LIV. Qui æs alienum rapacibus furatus est manibus, seu fraudulenter se in ludo gessit, domumque suam turpibus lucris opulentiorem reddidit, assiduo dentium stridore laborabit, ipsumque dæmones asperrimis tormentorum generibus torquebunt.

LV. Qui sensus libidine percitus mentem ad stupra et adulteria aliaque id genus flagitia convertit, in æstuanti illa flammarum voragine supra quam cuique credibile sit exardescet. Qui sacrosancta sacerdotum jura violavit, Deumque audacter contempsit, acerbiorem præ aliis pœnam luet.

LVI. Quæ cum ita futura sint, te modo, Deus optime, Patrem amantissimum profitemur. Tua valeat pro nobis virtus, ne cum tui nominis hostibus gehennæ perpetuo addicamur. Cum misericors sis, tuæ nos clementiæ præsidio tuere; cum, lucis auctor, nostram mentem tuæ gratiæ radiis illustra, ne callida hostis assentatione capiamur; cum justus, justitiam; cum salvator, salutem; cum demum sanctus, sanctitatem nobis omnibus impertire : ut qui ad divini tui corporis et sanguinis communionem toties accessimus, per te servatos esse intelligentes, in hoc unice incumbamus, ut nostri erga te amoris tibi argumenta minime dubia præbeamus.

SERMO III.

IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI I.

I. Accedite, et venite, filii lucis; auribus percipite benedictam atque beatam illam vocem Salvatoris nostri ad nos dicentem : « Venite, benedicti Patris mei, possidete » regnum cœlorum[1]. » Videte, charissimi, ne quis vestrum beata illa hæreditate frustretur; ecce enim pro foribus est. Lux de luce ad nos descendit; cumque nos illuminasset, ad lucem reduxit. Descendit ad nos, factus similis nobis, ut nos sibi similes redderet. Immortalis ad mortales descendit; quos ubi immortales fecit, iterum ad Patrem ascendit. Jam veniet cum gloria benedicti Patris, ut judicet vivos et mortuos. Via vitæ factus est nobis, lucis et gloriæ plena : ut nos in luce per ipsum ad Patrem pergamus. Venite, dilectissimi, incedamus per viam quam Dominus ostendit nobis, ut cum gaudio ad ipsius regnum pertingamus. Sumamus commeatum et oleum in vasis nostris; non enim modica est viæ illius longitudo[2]. Præcingamus igitur lumbos nostros in sinceritate et veritate, sicut homines expectantes Dominum suum. Accendamus lampades nostras, et strenue vigilemus : expectamus enim ut e cœlis Dominum nostrum suscipiamus. Non ergo dormitemus, ne forte lampades nostræ extinguantur; vox enim illa repente fit : Ecce sponsus venit; exite obviam ei omnes qui diligitis ipsum, quique vos præparastis ad videndum eum cum gloria. Cunctos enim ipsum desiderantes lætitia sempiterna afficiet in thalamo illo lucido et sempiterno. Considerate ergo, dilecti

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Ibid.

mei, considerate ne, dum clamor ille insonuerit, inveniatur quis vestrum lampadem obscuram et sine oleo habens, aut veste squallida ac sordida amictus, damneturque in tenebras exteriores et supplicia illa immortalia atque æterna, ubi erit fletus et stridor dentium. Muniamus ergo nos, charissimi, quoniam nescimus quando Dominus noster veniet. Sicut enim fur in nocte, et ut laqueus; sic dies illa tremenda superveniet : et sicut fulgur velocissimum, ita erit adventus Domini. Canet enim tuba, et mortui resurgent, et terra ex fundamentis suis contremiscet, et cœli cum virtutibus suis commovebuntur.

II. Hei mihi! dilecti mei, quis in hora illa sibi confidet? omnis spiritus contremiscet atque exhorrescet. Sed gratia Salvatoris corroborabit et lætificabit corda justorum, rapienturque in nubibus obviam ei. Similes autem mei, pigri ac desides, cum timore atque tremore super terram manebunt. Quare nos ipsos a terra modicum sublevemus, dilecti mei, et facilius ad cœlum ascendamus. Quid proderit nobis mundus iste, quod sic nos curis atque sollicitudinibus ejus innectimus? aut quodnam ex splendido vestium ornatu lucrum consequemur, nisi ignem inextinguibilem? aut quid nobis conferet exquisitus ciborum apparatus, nisi supplicium æternum? Certo igitur scitote, dilecti mei, quod nisi brevi hoc temporis curriculo certaverimus, perpetuam ibi pœnitentiam absque ullo fine acturi simus. Quid ergo, charissimi fratres, ita negligentes ac desides sumus? quamobrem nos ipsos studiose non præparamus? Ecce enim dies Domini magna ac terribilis appropinquavit super nos. Cur non omnem inutilem curam a nobis abjicimus, et a rerum terrenarum pondere nos liberamus? Nescitis quod angusta et arcta sit janua vitæ, et dives per eam ingredi non possit[1]? Amat enim Deus pauperes, quique seipsos sponte propter

[1] Matth. VII, 14. Luc. XIII, 24.

Christum in piis exercitationibus, vigiliis multisque afflictationibus contriverunt, seque ipsos ad videndum sponsum immortalem cum gloria præpararunt ut regnum cœlorum hæreditate possiderent.

III. Ecce enim, charissimi, ipsa nos janua invitat, dicens : « Accedite, et properate ad me. « En mater quoque nostra Hierusalem cum amore et desiderio ad nos loquitur : « Venite, filii mei desideratissimi, venite ad me; multiplicetur numerus vester, et in thalamo Domini magnificentur chori vestri in lumine cum sanctis Angelis. Videam vos cum gloria et decore, cum gaudio et exultatione. Concupiscite me, filii mei, sicut et ego concupisco vos. Nihil possederitis super terram, nihilque solliciti sitis; sed satagite, laborisque amantes estote. Nam ecce Sponsus paratus est ut prodeat in nubibus cœli cum gloria et majestate benedicti Patris, et vocabit singulos nominatim, eosque recumbere faciet in ordine sanctorum in luce ineffabili, in vita incorruptibili, immortali et sempiterna, pro ratione laborum suorum; ubi non erit dolor, neque mœror, neque gemitus. » Hæc igitur omnia scientes, satagamus, quæso, filii mei, satagamus brevi hoc tempore vitæ. Ne simus hic negligentes, charissimi mei, ut non per infinita sæcula postmodum pœnitentiam agamus, ubi nihil proderunt nobis lacrymæ ac gemitus, ubi non erit amplius pœnitentia. Cæterum in studiis atque laboribus vestris, dilectissimi mei, gaudent et exultant Angeli atque Archangeli : sicut contra in torpore ac negligentia vestra gaudet inimicus. Contendite igitur, filii mei desideratissimi, contendite, quæso, ut et ego læter in vobis, et vos in me in sæcula sæculorum.

IV. Procidens supplico tibi, Domine mi Jesu Christe Fili Dei vivi, ut dones mihi, et omnibus qui te diligunt, ut cum gloria et gaudio te videamus in regno tuo, illudque

hæreditate percipiamus cum iis qui desiderant et diligunt te. Charissimi mei, si hic desides ac negligentes fuerimus, nullam in die illa tremenda excusationem habebimus. Quomodo enim peccata nostra purgemus, non inveniemus: nam cum Dominus et Salvator noster ad nos descenderit, omnis nobis excusatio sublata est; donavit enim nobis vitam sempiternam. Eramus inimici, et reconciliatus est nobis Dominus noster; eramus terreni, et cœlestes facti sumus; mortales, et immortales facti; filii tenebrarum, et filii lucis evasimus; captivi, et revocati sumus; servi peccati, et liberi facti sumus; perditi ac dispersi, et inventi collectique sumus; infirmi, et sanati; non antea consecuti misericordiam, et misericordiam consecuti sumus; peccatores, et salvati sumus; terra et cinis, et filii Dei evasimus: nudi eramus, et operti sumus, factique sumus hæredes Filii Dei. Ecce hæc nobis omnia largitus est Dominus noster, cum pro nobis incarnatus in terram descendit. Quid ergo nos, dilectissimi, pro his omnibus ei retribuemus? qui pro nobis consputatus est, qui flagellatus, qui in crucem sublatus, qui colaphis percussus,, qui cæsus ab impuris illis, iniquis, peccatoribus ac infelicibus? Quid igitur possumus nos miseri ac peccatores Domino nostro pro his omnibus retribuere? Væ nobis, si desides fuerimus! quoniam nullam apud eum excusationem habebimus.

V. Venite igitur, dilectissimi mei, excutiamus a nobis omnem curam atque sollicitudinem vani hujus ac transituri sæculi; magnoque cum studio ac diligentia serviamus ei soli: quoniam ipse est Dominus et herus noster. Ecce enim dies ejus vere appropinquavit, adventusque ipsius prorsus nos antevertit. Venite igitur, amici mei, præparemus nos et vigilemus, expectantes Dominum nostrum et sponsum immortalem. Ecce enim jam fulget, ecce venit: nox præcessit, dies autem appropinquavit. Filii lucis, festi-

nate ad lucem : exite cum gaudio, occurrite luci Domini nostri; ostendite ei virtutes vestras; offerte ei pias religionis exercitationes vestras, lacrymas vestras, omnesque tribulationes quas sustinuistis propter ejus desiderium et propter ejus amorem. Ne ergo negligentes sitis atque ignavi, sed sustinete modicum : nullus vestrum respiciat retro, sed sursum ad cœlestem illam pulchritudinem, ad cœleste illud immortalis Sponsi gaudium oculos suos dirigat; ut illius gloriæ et claritatis atque decoris contemplatione anima nostra satietur. Qui continens est ac temperans, adhuc modicum expectet; ecce enim regalis mensa eum præstolatur : qui sitit, perferat; ecce enim deliciæ paradisi ei paratæ sunt : qui vigilat et psallit, qui orat et plorat, confortetur; quia gaudium thalami Domini sui ipsum consolabitur.

VI. Hæc igitur omnia scientes, nihil in terris possideamus, fratres mei charissimi : nam in die illa ostendere unusquisque nostrum tenebitur quam hic possederit virtutem, quos labores, quas pietatis exercitationes, quas vigilias. Putatis, fratres mei, quando ostensuri sunt martyres cicatrices suorum verberum ac cruciatuum, et ascetæ suam exercitationem et continentiam, patientiam, tribulationes, paupertatem et lacrymas; qui hic negligenter ac inutiliter vitam traduxerunt, in quo gloriari poterunt? Væ ipsis, qui neglexerunt! Venite, amici mei; venite, satagamus; venite, procidamus ei, et lugeamus atque ploremus coram ipso diu noctuque absque rubore ac verecundia, in oratione et psalmodia, ut lucem animæ nobis donet, et intelligamus adversarii nostri honestatisque inimici insidias : nostro enim objicit aspectui lubricitates, ac scandala et damna, pestemque immodicæ cupiditatis habendi, distractionem sæculi hujus, voluptatem carnis, longiorem vitæ præsentis expectationem, timiditatem in religiosis exerci-

tationibus, in oratione torporem, in psallendo somnum, quietemque carnalem. Quanto autem ille magis in nostram perniciem incumbit, tanto nos amplius negligimus atque torpescimus. Quanto ille nobis insidiatur, tanto magis aspernamur; cum sciamus quod dies nostri abbreviati sunt, tempusque nos præoccupat, et Dominus gloriæ jam veniet cum decore pulchritudinis suæ, et cum terribili potestate regni sui, ut reddat unicuique juxta opus suum. Vereor, charissimi, ne in nobis impleatur sermo ille Domini : « Venient ab oriente et occidente, et septentrione et meridie; et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum : vos autem ejiciemini foras in tenebras exteriores[1]. »

VII. Oro te igitur, lux veritatis, Christe, Nate benedicti Patris, figura substantiæ ejus, qui sedes ad dexteram majestatis ejus, incomprehensibilis Fili Dei, impervestigabilis Christe, gloria et gaudium desiderantibus et diligentibus te, exultatio et lætitia expectantibus te, vita mea Christe : salva me peccatorem in regno tuo, lux mea Domine. Qui laborat operarius, mercedem sui a te laboris expectat : heu! lingua mea laborat, laudem tuam enarrando, Salvator; verum ne mihi retribuas secundum opus meum, neque secundum actus meos rependas mihi; sed salvum me fac per gratiam tuam, et per miserationes tuas miserere mei : quia benedictus es tu, una cum benedicto Patre tuo, et Spiritu tuo sancto vivificante et Paraclito, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. VIII, 2. Luc. XIII, 29.

SERMO IV.

IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESUS CHRISTI II.

I. Fratres mei Christo dilecti, audite quæ dicturus sum de secundo et terribili Domini Nostri Jesu Christi adventu. Ego enim recordatus sum horæ illius, et tremui, ob nimium timorem cogitans quæ tunc erunt revelanda. Quis enim ea narrabit? quæ lingua referet? quæ auris capax erit ea audiendi? cum Rex regum surgens ex throno gloriæ suæ descendet, ut visitet omnes habitatores orbis terræ, et ponat rationem cum ipsis, et reddat bonam mercedem dignis, et pœnæ dignis similiter pœnas, ut justus judex. Hæc igitur cogitans totus consternor, et timore membra mea concutiuntur : oculi mei lacrymantur, vox mea deficit, comprimuntur labia, horret lingua, et cogitationes silentium meditantur. Necessitate compellor dicere propter vestram utilitatem, ac timor silere me cogit. Hæc enim prodigia magna et terribilia neque unquam contigerunt ab initio rerum creatarum, neque contingent unquam in omnibus generationibus : et modo quidem sæpe cum tonitru vastius fit, omnem hominem terret, atque omnes in terram inclinantur; tunc vero quomodo sustinebimus, cum audiemus tubæ vocem de cœlo omne tonitru clangore superantem, atque e somno eos excitantem qui a sæculo dormiunt, justos et injustos? Tunc et in inferis ossa humanæ terræ, quæ audient sonum tubæ, celeriter current et quærent suas compages, cum videbimus omnem hominum spiritum in ictu oculi resurgentem unumquemque ex loco suo, simulque congregatum ad judicium ex quatuor ter-

minis terræ. Jubebit enim magnus Rex qui omnis carnis habet potestatem, et subito tremebunda et festinans dabit terra mortuos suos, suosque mortuos mare; sive feræ discerpserint, sive pisces voraverint, sive volucres rapuerint, omnia in ictu oculi sistentur, et capillus unus non relinquetur.

II. Quomodo sustinebimus, fratres, cum videbimus igneum fluvium erumpentem cum ira tanquam mare ferox, devorantem montes et saltus, et comburentem omnem terram, et quæ in ea sunt opera? Tunc, dilecti, ab illo igne flumina deficient, et fontes evanescent, stellæ cadent, sol extinguetur, luna abibit, cœlum plicabitur ut volumen, sicut scriptum est [1]. Tunc Angeli missi circumcurrent, congregantes electos a quatuor ventis, ut dicit Dominus, a summo cœlorum usque ad extremum eorum [2]. Tunc videbimus cœlum novum et terram novam, secundum promissionem ipsius [3]. Quomodo sustinebimus tunc, Christo dilecti, cum videbimus terribilem thronum præparatum, et signum crucis apparens in quo affixus est Christus voluntarie pro nobis? Tunc omnes conspicientes in sublimi splendens, terribile ac sanctum sceptrum magni Regis, cognoscent deinceps unusquisque, et recordabuntur sermonis Domini prædicentis quod apparebit signum Filii hominis in cœlo [4], et certo cognoscent omnes post hoc Regem esse appariturum. In hora illa, fratres mei, cogitabit quisque quomodo obviam ibit tremendo Regi, et recogitabit omnes actiones suas. Deinde etiam videbit propria opera coram se posita, sive bona, sive mala. Tunc omnes misericordes, et qui pœnitentiam vere egerunt, gaudebunt videntes vota quæ præmiserunt. Videbunt et ii qui compassi sunt, egenos et pauperes, quorum hic miserti sunt, pro ipsis advocantes, et bona ipsorum prædicantes coram Angelis et ho-

[1] Matth. XXIV. — [2] 2 Petr. III. — [3] Apocal. I. Isai. LXV, LXVI. — [4] Matth. XXIV.

minibus, et rursum lacrymas et labores propter pœnitentiam : et ipsi stabunt hilares, et alacres, et gloriosi, « expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, » et Salvatoris Nostri Jesu Christi[1]. »

III. Et cur breviter non dico majora? cum audierimus magnam illam vocem et terribilem clamorem e summitatibus cœlorum dicentem : « *Ecce sponsus venit*[2], ecce Judex accedit, ecce Rex apparet, ecce Judex judicum revelatur, ecce omnium Deus venit ad judicandum vivos et mortuos; » tunc, Christo dilecti, ex clamore illo trement fundamenta, nervique terræ a terminis usque ad terminos, et mare, et omnes abyssi. Tunc, fratres, angustia et timor ac stupor supra omnem hominem ex clamore et sonitu tubæ, atque a timore et expectatione eorum quæ superventura sunt orbi terræ : « Virtutes *enim* cœlorum commovebuntur[3], » sicut scriptum est. Tunc præcurrent Angeli, et chori Archangelorum simul current, Cherubim et Seraphim, et illa plena oculis in potentia et virtute, clamabunt : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth, qui est, et » qui erat, et qui venturus est[4], » Omnipotens. Tunc omnis creatura in cœlo, et in terra, et sub terra, cum tremore et virtute clamabit : « Benedictus qui venit Rex in nomine » Domini[5]. » Tunc scindentur cœli, et revelabitur Rex regum, immaculatus et gloriosus Deus noster, ut fulgur terribile, cum virtute magna et gloria incomparabili; sicut et Joannes theologus pronuntiavit, dicens : « Ecce venit in » nubibus cœli, et videbit eum omnis oculus, et qui eum » pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus » terræ[6]. » Quæ igitur anima vult inveniri tunc, ut possit sustinere, cum cœlum et terra fugæ se dabunt, ut ait Theologus rursus : « Et vidi thronum magnum candidum, et se-

[1] Tit. II, 13. — [2] Matth. xxv, 6. — [3] Id. xxiv, 29. — [4] Apocal. iv, 8. — [5] Matth. xxi, 9. — [6] Apocal. i, 7.

» dentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cœ-
» lum; et locus non est inventus eis [1]? » Vidistine unquam timorem hujusmodi? vidisti tales res inusitatas et tremendas? Cœlum et terra fugiet, et quis præterea stare poterit? Nos peccatores quo fugiemus, cum videbimus sedes positas, et Dominum omnium sæculorum sedentem; cum aspiciemus innumerabiles exercitus in timore thronum circumstantes?

IV. Tunc Danielis prophetia implebitur : « Aspiciebam,
» *inquit,* donec throni positi sunt, et Antiquus dierum se-
» dit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli ca-
» pitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flammæ ignis;
» rotæ ejus ignis accensus : fluvius igneus egrediebatur a
» facie ejus : millia millium assistebant ei, et decies centena
» millia ministrabant ei. Judicium sedit, et libri aperti
» sunt [2]. » Magnus timor, fratres, in illa hora, atque horror et stupor, cum constituet ille sine personarum acceptione judicium, atque aperientur illi libri terribiles ubi scripta sunt et opera nostra, et sermones, et actiones nostræ, qui locuti sumus et operati in vita hac, et putavimus latere Deum, qui scrutatur corda et renes, ut scriptum est: « Quo-
» niam capilli capitis vestri omnes numerati sunt [3]; » videlicet cogitationes et discursus, de quibus Judici rationem reddemus. Quot lacrymis indigemus propter horam illam, et negligimus! Quot fletus et suspiria fundemus, cum videbimus magna illa dona quæ suscepturi sunt a gloriæ Rege, qui bonum certamen certarunt! cum videbimus nostris oculis cœlorum regnum ineffabile, et rursus ex alia parte conspiciemus præsentes cruciatus tremendos, atque in horum meditullio omnes tribus atque omnes spiritus hominum ab Adam protoplasto usque ad ultimum omnium natum, omnesque cum tremore genua flectentes et supplices proci-

[1] Apocal. xx, 11. — [2] Daniel, vii, 9, 10. — [3] Luc. xii, 7.

dentes in faciem, sicut scriptum est : « Vivo ego, dicit Do-» minus, quia mihi curvabitur omne genu[1] ! »

V. Tunc, dilecti a Christo, omnis humana natura stans media inter regnum et judicium, inter vitam et mortem, inter securitatem et necessitatem, omnes terribilem horam judicii expectantes, et nemo nemini poterit auxiliari. Tunc reposcetur ab unoquoque confessio fidei, et baptismatis signum, et fides immaculata ab omni hæresi, et sigillum infractum, et vestis impolluta, ut scriptum est, quod « omnes » in circuitu ejus ferent munera terribili Regi[2]. » Omnes enim qui in sancta Ecclesia tanquam cives ascripti sunt, rationem reddent juxta propriam virtutem. « Potentes vero » potenter examinabuntur[3], » ut scriptum est : « Cui mul-» tum datum est, multum quæretur ab eo; et qua mensura » metietur quisque, remetietur ei[4]. » Verumtamen, sive magnus quis sit, sive parvus, ex æquo omnes fidem confessi sumus, et sanctum signaculum accepimus; omnes similiter Diabolo renuntiavimus, exsufflantes eum; atque omnes similiter Christo cooptati fuimus, adorantes eum. Siquidem cognovistis mystici lavacri virtutem, atque inimici renuntiationem : etenim renuntiatio quam in sancto baptismate facere postulamur, exigua quidem videtur verbo; sed re intellecta magna admodum est, quam qui servare potest erit beatissimus. Paucis enim verbis, omni quod mali nomine nuncupatur, quodque odit Deus, nuntium remittimus : non uni, aut duobus, aut decem; verum omni malo ita dicto, quod odit Deus, renuntiamus. Exempli gratia : « Abrenun-» tio, *inquit*, Satanæ, et omnibus operibus ejus. » Quibus operibus? audi : scortationi, adulterio, impuritati, mendacio, furto, invidiæ, veneficio, divinationi, incantationi, excandescentiæ, iracundiæ, blasphemiæ, inimicitiæ, conten-

[1] Isai. XLIX, 18, et XLV, 24. Rom. XIV, 11. Philip. II, 10. — [2] Psal. LXXV, 12. — [3] Sapient. VI, 7. — [4] Luc. XII, 48. Matth. VII, 2. Marc. IV, 24.

tioni, æmulationi : abrenuntio ebrietati, otioso sermoni, superbiæ, inertiæ : abrenuntio risibus, citharæ pulsationibus, cantibus dæmoniacis, puerorum stupris, auguriis, spirituum interrogationi, foliorum scriptionibus : abrenuntio idolothyto, sanguini suffocato, et morticiniis [1]. Quid autem plura dico? non enim tempus est omnia dicendi; sed prætereamus multa, et simpliciter dicamus : Abrenuntio omnibus quæ in sole, luna et stellis fiunt, atque in fontibus, et arboribus, et in triviis, et liquoribus et calicibus, aliisque multis absurdis operibus, quæ turpe est etiam dicere. Omnibus eis atque eorum similibus nuntium remittimus in sacri baptismatis renuntiatione, quæ omnes cognoscimus esse Diaboli opera atque institutiones. Omnia hæc, cum eramus in tenebris sub Diaboli potestate, didicimus, priusquam præveniret nos lux, cum eramus venditi sub peccato [2] : cum vero voluit benignus et misericors Deus liberare nos ex ejusmodi deceptione [3], « visitavit nos Oriens ex alto [4], » et apparuit gratia Dei salutaris, et dedit seipsum pretium pro nobis, et redemit nos ab errore idolorum, et complacuit renovare nos per aquam et spiritum. Omnia igitur hæc abnegavimus, et exuimus veterem hominem cum actibus ejus; induimus vero novum Adam [5]. Qui facit igitur hæc opera mala quæ prædiximus, post gratiam, a gratia excidit, et nihil ipsi Christus proderit, si in peccato permaneat.

VI. Audistis, o dilecti a Christo, quam multis malis renuntiastis paucis verbis? Hanc igitur renuntiationem et pulchram confessionem reposcitur in illa hora et die unusquisque ex nobis; scriptum est enim : « Ex sermonibus tuis » justificaberis [6]. » Et rursus Dominus dicit : « Ex ore tuo » te judico, serve nequam [7]. » Clarum igitur est quod sermones nostri vel condemnant vel justificant nos in illa

[1] Act. xv, 21. — [2] 1 Joan. i. 1 Pet. ii. — [3] Rom. vii. — [4] Luc. i, 78. — [5] Ephes. iv. Coloss. iii. — [6] Matth. xii, 37. — [7] Luc. xix, 22.

hora. Quo autem modo interrogantur? Interrogantur pastores, id est episcopi, et de propria administratione et de eorum grege, et reposcitur unusquisque de rationalibus ovibus quas suscepit a Christo pastorum principe : si vero ex negligentia episcopi ovis perierit, sanguis ejus ex manibus illius exquiritur. Similiter et presbyteri rationem reddent de propria Ecclesia : simul etiam diaconi; et quisque fidelis de domo sua, de uxore, de filiis, servis et ancillis[1] reddet rationem, an educaverit eos in disciplina et correptione Domini, sicut hortatur Apostolus. Tunc interrogantur reges, principes, divites et pauperes, parvi et magni, de rebus quas egerunt; scriptum est enim, quod « omnes » stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque » propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive ma» lum[2]. » Et alio loco scriptum est : « Non est qui de mani» bus meis eruetur[3]. »

VII. —Precamur te ut nobis dicas quæ fient post hæc? —Loquar in dolore cordis mei, quoniam vos non potestis audire quæ post hæc eventura sunt. Sed quiescamus, dilecti a Christo. — Rursus igitur dicebant Christo dilecti : Num terribiliora sunt ante dictis quæ a te audivimus? — Magister rursus lacrymans dixit : Dico cum lacrymis : non enim possunt sine lacrymis narrari, quia novissima sunt. Sed quoniam præceptum habemus ab Apostolo, hæc *fidelibus hominibus commendari*[4], vos vero fideles estis; hæc commendo vobis, vos autem alios docete. Etsi vero cordis dolore afficiar in hac narratione, tamen compatimini mihi, fratres benedicti.

VIII. Tunc vero, Christo dilecti, post perscrutationem et publicationem operum cujusque coram Angelis et hominibus, omnes « adversarii ponentur sub pedibus ejus, et

[1] Ephes. vi. — [2] Rom. xiv, 10. 2 Cor. v, 10. — [3] Deuter. xxxii, 39. — [4] 2 Tim. ii, 2.

» evacuabitur omnis principatus et potestas, et flectetur » Deo omne genu[1]. » Sicut scriptum est : « Tunc separabit » eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis[2]. » Qui enim habent bona opera et bonos fructus, segregantur ab infructuosis et peccatoribus : qui et fulgebunt sicut sol. Hi sunt qui, præcepta Domini custodientes, misericordes, pauperum orphanorumque amantes, et hospitio excipientes, et nudos vestientes, et in carcere detentos visitantes, et laborantium susceptores, et ægrotos invisentes, et lugentes nunc, sicut dicit Dominus; mendicantes nunc propter divitias quæ in cœlis repositæ sunt, et peccata fratrum dimittentes, et signaculum fidei custodientes infractum atque immaculatum ab omni hæresi. Hos statuet a dextris, hædos vero a sinistris. Hi sunt infructuosi, qui Pastorem bonum ad iracundiam provocant, qui non attendunt vocibus pastorum Principis, arrogantes, indocti, qui hoc tempore pœnitentiæ tanquam hædi ludentes, et voluptatibus indulgentes, consumpserunt in crapulis atque ebrietatibus et cordis duritie omne tempus vitæ suæ; sicut ille dives qui nunquam misertus est pauperis Lazari. Ideo ii qui sunt partis sinistræ[3], condemnati sunt, ut immisericordes atque immites, et non habentes pœnitentiæ fructus, neque oleum in suis lampadibus. Qui vero, oleum a pauperibus ementes, vasa sua impleverunt, a dextris assistunt gloriosi atque hilares, splendidas tenentes lampadas, audiuntque illam beatam et misericordem vocem : « Venite, benedicti Patris » mei, possidete regnum quod vobis paratum est a con» stitutione mundi[4]. » Qui vero a sinistris, audient acerbam illam austeramque sententiam : « Discedite a me, maledicti, » in ignem æternum, quod paratum est Diabolo et Angelis » ejus[5]. » Sicut non misertі estis, ita nec nunc misericor-

[1] 1 Cor. xv, 24. Rom. xiv, 11. Isai. 45, 24. Phillip. ii, 10. — [2] Matth. xxv, 32. — [3] Luc. xvi, 19. — [4] Matth. xxv, 34. — [5] Ibid. 41.

diam consequemini; sicut vocem meam non audistis, ita neque ego nunc exaudiam vestras lamentationes : mihi enim neque ministrastis, neque esurientem aluistis, neque sitienti potum dedistis, neque peregrinum excepistis, neque nudum induistis, neque ægrotum me visitastis, neque ad me in carcere manentem accessistis. Alterius domini operarii fuistis et ministri, id est Diaboli : ideo discedite a me, operantes iniquitatem. » « Tunc ibunt hi in supplicium » æternum, justi vero in vitam æternam[1]. »

IV. In idem vero supplicium abeunt omnes, an diversa sunt supplicia? Diversa pœnarum loca sunt, ut in Evangelio audivimus. Sunt sane tenebræ exteriores[2], haud dubium quin et interiores. Gehenna ignis locus alius, stridor dentium locus præcipuus. Vermis qui non dormit, in alio loco est[3]. Stagnum ignis locus alius[4] : tartarus locus specialis : inextinguibilis ignis propria regio : infernus et perditio in propriis locis. Inferiora terræ locus alius[5]. Orcus, ubi affliguntur peccatores et profundum inferni, locus crudelior. In his suppliciis distribuuntur miseri, quisque pro gravitate suorum peccatorum, sive gravius, sive lenius, secundum quod scriptum est; quoniam « funibus pecca- » torum suorum quisque constringitur[6]. » Tale autem et illud est : « Vapulabit multis, et paucis[7]. » Quemadmodum et hic sunt diversæ pœnæ, sic etiam in futuro sæculo. Qui autem inimicitias exercent inter se, si contigerit hos sic ex corpore proficisci, inexorabilem damnationem invenient in hora judicii, atque ut exosi in exteriorem ignem mittentur atque in tenebras sempiternas, utpote qui despectui habuerint facile Domini præceptum, quod dicit : « Diligite » alterutrum, et remittite usque septuagies septies[8]. »

[1] Matth. xxv, 46. — [2] Id. viii, 12. Marc. ix, 42. — [3] Apocal. xix, 20. — [4] 2 Petr. ii, 4. — [5] Ephes. iv, 9. — [6] Proverb. v, 22. — [7] Luc. xii, 47, 48. — [8] 1 Joan. iii, 11. Matth. xviii, 22.

Quicumque vero peccaverit, non debet secure degere, neque e contrario desperare; « quoniam advocatum ha» bemus apud Patrem Jesum Christum Deum justum, et » ipse propitiatio est pro peccatis nostris[1] : » non pro iis qui securi vivunt atque otiosi stertunt, quique in deliciis ac risibus vitam ducunt; sed pro iis qui plorant et pœnitentiam agunt, clamantque ad eum die ac nocte : qui etiam a Paraclito consolationem accipient. Qui vero, cum peccaverit, oblitus fuerit peccatorum, in eum, cum morietur, illa ira Dei cadet quam significavit Manasses dicens : « In» tolerabilis ira comminationis tuæ super peccatores[2]. »

X. Væ scortatori, væ ebrio, væ bibentibus vinum cum tympanis et tibiis, opera autem Domini non aspicientibus, neque sermonum ejus recordantibus! Væ iis qui injuria afficiunt divinas Scripturas! Væ iis qui consumunt tempus hoc pœnitentiæ et conversionis in superbia et rebus ridiculis! quærent enim tempus, et non invenient, quod male expenderunt. Væ iis qui consulunt spiritus deceptionis, et attendunt dæmonum doctrinis[3]! quia cum iis condemnabuntur in futuro sæculo. Væ iis qui scribunt iniquitatem! Væ iis qui inepta patrant incantationis, divinationis et puerorum corruptionis, atque horum similia[4]! Væ iis qui defraudant mercedem mercenarii! quia qui fraudat mercedem, sicut qui sanguinem fundit. Væ injustis judicibus, qui absolvunt impium, et justitiam justi eliminant! Væ iis qui maculant sanctam fidem hæresibus, aut hæreticis consentiunt! Væ iis qui immedicabili morbo laborant, hoc est, invidia atque odio! Et quare plura dico, et non recido celeriter sermonem? Væ omnibus qui a sinistris locum sortiuntur in die illa terribili! quia tenebris offundentur, atque amare flebunt quando audient acerbam illam sententiam :

[1] 1 Joann. II, 12. — [2] Oratio Manasses, 5. Isai. V. — [3] 1 Tim. IV, 1. — Sap. XVIII.

«Discedite a me, maledicti[1] !» Alii autem rursus audient gravem illam sententiam : «Convertentur peccatores in in» fernum[2].» Alii audient : «Amen, Amen dico vobis : Nes» cio vos : discedite a me, operantes iniquitatem[3].» Alii audient, scilicet invidi : «Accipe quod tuum est, et vade[4] :» et quonam? certe eo quo qui audierunt : «Discedite a me, » maledicti, in ignem[5].» Alii audient : «Ligatis manibus » et pedibus, mittite in tenebras exteriores.» Alii ut zizania alligabuntur ad comburendum in camino ignis[6].

XI. Sicut vero multi modi salutis sunt, sic etiam mansiones multæ in regno cœlorum; et quemadmodum sunt multi modi peccatorum, errorumque, sic multi modi tormentorum. Quotquot lacrymas et compunctionem habetis, lugete mecum : ego enim, fratres mei benedicti, recordor miseræ illius divisionis, et ferre non possum. In hora enim illa terribili separabuntur invicem divisione miserabili, et migrabit unusquisque migratione quæ non habet reditum, Quis adeo lapideus est, qui non flebit dehinc illam horam, quando dividentur episcopi a coepiscopis, presbyteri a compresbyteris, et diaconi a sociis diaconis, et subdiaconi et lectores a suis sodalibus? Tunc segregabuntur qui quondam reges fuerunt, et flebunt, atque ut mancipia expellentur. Tunc suspirabunt principes et divites immisericordes, et respicient undique in angustias redacti, et nemo erit qui juvare possit. Neque divitiæ aderunt, neque adulatores assistent, neque invenient misericordiam; neque enim misertí sunt, neque præmiserunt ut invenirent : sicut et dicit Propheta de talibus : «Dormierunt somnum suum, et nihil » invenerunt[7].» Tunc separabuntur parentes a filiis, atque amici ab amicis; tunc dividentur cum dolore conjuges qui non custodierunt lectum suum immaculatum; tunc discri-

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Psal. ix, 18. — [3] Luc. xiii, 27. — [4] Matth. xx, 14. — [5] Id. xxv, 41. — [6] Id. xxiii. — [7] Psal. lxxv, 6.

minabuntur virgines quidem corpore, moribus autem immisericordes et crudeles. Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Sed præteribo multa dicere, quia retinet me timor et tremor in hac narratione; atque ut dicam breviter : tunc præterea ejiciuntur a tribunali, atque ab Angelis crudelibus pulsi percussique abiguntur, et stridentes dentibus, et sæpe sæpius convertuntur ut videant justos, et gaudium unde divisi sunt. Et vident ineffabilem lucem illam : vident pulchritudines paradisi; vident notos in regione illa; vident magna illa dona quæ recipient a Rege gloriæ strenue certantes. Deinde paulo post sejuncti ab omnibus justis, et amicis, et notis, postremo absconduntur ab ipso Deo, cum amplius nequeant videre gaudium et verum illud lumen. Et tandem appropinquant ad prædictas pœnas, ut dividantur et dispergantur in ipsis.

XII. Tunc aspicientes omnimodam suam derelictionem, et quod omnis sua spes perierit, et nullus poterit auxiliari, sive patrocinium suscipere ipsorum, justum enim judicium Dei est; tunc, inquam, amarissimis lacrymis ululantes dicunt : « Oh! quantum temporis in desidia perdidimus! Heu! quomodo illusi sumus! Heu! quomodo Scripturas audientes ludibrio habuimus! ibi enim Deus loquebatur per Scripturas, et non attendebamus. Sic nos clamamus; ipse vero faciem suam a nobis avertit. Quid profuerunt nobis mundi fines? ubi pater, qui genuit? ubi mater, quæ peperit? ubi fratres? ubi filii? ubi amici? ubi divitiæ? ubi substantiæ? ubi turbæ? ubi cœnæ? ubi multus atque inutilis fructus? ubi reges atque potentes? Quomodo ex omnibus his nemo nos salvare potest, neque nobis ipsis possumus opem ferre; sed prorsus a Deo atque a sanctis derelicti sumus? Quid faciemus; quoniam pœnitentiæ tempus non erit amplius, neque quid poterit patrocinium, neque lacrymarum utilitas, neque adhuc aderunt pauperes et mendici oleum venden-

tes? Absoluta enim est celebritas. Quando habebamus tempus et facultatem, et vendentes clamabant cum lacrymis, «Emite,» nos aures claudentes, non audivimus, neque emimus : nunc igitur nos quærimus, et non invenimus. Non dabitur ulterius liberatio nobis miseris, non consequemur in posterum misericordiam; non enim digni sumus. Justum Dei est judicium. Non ultra videbimus sanctorum ordines, non amplius lumen verum aspiciemus. Ab omnibus derelicti sumus. Et præterea quid dicemus? Valete omnes justi, valete Apostoli, et Prophetæ, et martyres; vale chorus Patriarcharum, vale ordo monachorum; vale honorabilis atque vivifica Crux; vale regnum cœlorum; vale Hierusalem cœlestis, mater primogenitorum; vale paradise deliciarum; vale et tu, Domina Dei Genitrix, mater misericordis Dei; valete patres et matres, filii et filiæ : tandem haud amplius quemquam vestrum aspiciemus.» Et demum abeunt singuli in pœnarum locum, quem sibi præpararunt suis scelestis facinoribus, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

XIII. Ecce consolationem vestram explevi, vestroque desiderio satisfeci; ecce nostis quid nobis ipsis paremus; ecce audistis quid negligentes et desides, quique pœnitentiam non agunt, lucrentur : audistis quomodo qui Domini præcepta irrident deridentur; audistis quomodo vita hæc, quæ animam labefactat, multos seducit et decipit : nostis quo pacto qui sacras litteras ludibrio habent illuduntur. Nemo decipiatur, dilecti mei ac benedicti; nemo incredulum se præbeat, quod sermones qui de judicio dicuntur exiles sunt : sed sedulo ac firmiter credamus omnes Domino, esse resurrectionem mortuorum, et judicium, retributionemque bonorum pariter et malorum secundum divinas Scripturas; et contemptis rebus omnibus hujus temporis, iisque neglectis, curemus quæ pertinent ad defensionem

cautionemque terribilis tribunalis, horrendæque illius ac formidabilis horæ. Hæc enim est illa hora multorum gemituum, multorum dolorum, multarum tribulationum, quæ universam vitam probat.

XIV. De hac hora terribili ac die sancti Prophetæ atque Apostoli prædixerunt; de hac die atque hora divinæ litteræ a terminis usque ad terminos terræ in Ecclesiis et omni loco clamant, omnibusque testificantur, admonentque dicentes : « Videte, vigilate, attendite, sobrii estote, orate, misericordes estote ac parati, quia « nescitis diem, neque horam, qua » Dominus venturus est [1]. » Omnes igitur, ut dicebam, divini homines cum laboribus ac lacrymis clamant, expectantes illius diei necessitatem. De hac die dicebat Isaias propheta : « Ecce Dominus venit ad consumendam omnem » terram, et ad perdendos peccatores ex ea [2]. » Et rursus idem Propheta inquit : « Ecce Dominus venit, et merces » ejus cum eo; et opus cujusque coram eo [3]. » Alius Propheta clamat, dicens : « Ecce Dominus venit, et quis poterit » cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum » eum [4]? » Alius vero Propheta clamat, dicens : « Domine, » audivi auditionem tuam, et timui, et ingressus est tremor » in ossibus meis [5]. » Alius Propheta clamat ex ore Domini : « In die ultionis retribuam, et non est qui de manibus meis » eruetur [6]. » De hac die divinus David dixit : « Deus ma» nifeste veniet, Deus noster, et non silebit : ignis in con» spectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas va» lida [7]. » De hac die clamat Apostolus Paulus : « In die qua » judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium » meum [8]. » Et rursus dicit : « Videte quomodo ambuletis [9] : » horrendum est incidere in manus Dei viventis [10]. » Clamat

[1] Matth. xxv, 14. — [2] Isai. xiii, 9. — [3] Id. xl, 10, et lxii, 12. — [4] Malach. iii, 2. — [5] Habac. iii, 16. — [6] Deut. xxxii, 35, 39. — [7] Psalm. xlix, 3. — [8] Rom. ii, 16. — [9] Ephes. v, 15. — [10] Hebr. x, 30.

autem et beatus Petrus, princeps Apostolorum, de die illa loquens : « Dies Domini veluti fur in nocte, ita venit; in » quo cœli igne solventur, et elementa calore tabescent[1]. » Et quid dico de Prophetis et Apostolis ? ipse Dominator noster et Dominus de die illa testimonium præmisit dicens : « Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, » et curis hujus vitæ, et superveniat super vos repentina dies » illa : tanquam laqueus enim superveniet in omnes habi- » tantes super faciem omnis terræ[2]. Vigilate itaque, quoniam » qua hora non putatis, Filius hominis veniet[3]; et contendite » intrare per angustam portam quæ ducit ad vitam[4]. »

XV. Per eam, fratres mei, gradiamur viam, ut vitam æternam hæreditate possideamus; qui enim hanc calcat, manifestum est quod et vitam consequetur æternam; hæc enim via est vita. Nam si pauci sunt qui inveniunt ipsam, nos, dilecti, non aberremus ab ea. Nemo ex vobis extra illam gradiatur, ne in perditionem abeat; quemadmodum et Propheta inquit : « Ne forte irascatur Dominus, et pe- » reatis a via justa[5]. » Audiamus Dominum dicentem : « Ego sum lux mundi, ego sum vita; ego ostium, per quod » si quis introierit, salvabitur. Ego sum via : qui sequitur » me, non offendet, sed habebit lumen vitæ[6]. » Per hanc igitur beatam viam ambulemus, per quam ambularunt omnes qui Christum concupierunt. Per hanc ambulationes angustæ, sed requies beata; per hanc ambulationes austeræ, sed retributio hilaris; per hanc ambulationes arctæ, sed diversoria spatiosa : per hanc ambulationes pœnitentia, jejunium, oratio, vigilia, humilitas, paupertas spiritus, contemptus carnis, animæ diligentia, cubatio humi, abstinentia a lavacris, aridorum comestio, fames, sitis, nuditas, misericordia, lacrymæ, fletus, suspiria, genuflexiones,

[1] 2 Pet. III, 10. — [2] Luc. XXI, 34-35. — [3] Id. XII, 40. — [4] Id. XIII, 24. — [5] Psal. II, 12. — [6] Joan. VIII, 12; X, 9, et XI, 9.

ignominiæ, persecutiones, prædæ, colaphi, labores manuum, pericula, insidiæ; convicia accipere, et sustinere; odio haberi, et non odisse; mala pati, et bona retribuere; dimittere debitoribus debita, animam ponere pro amicis; demum effundere sanguinem pro Christo, cum tempus requirit. Hujus arctæ portæ et angustæ viæ ingressus si quis tenuerit, beatam recipiet retributionem, quæ est in cœlis, cujus nunquam erit finis.

XVI. Lata autem janua, et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem : hujus gressus impræsentiarum jucundi, sed postea tristes; hic dulcia, illic felle amariora; hic levia, illic vero gravia et molesta; hic futilia nulliusque ponderis videntur, illic autem veluti agrestes feræ circumdant peccantes et pœnitentiam non agentes, juxta sermonem Prophetæ; ait enim : « In die mala iniquitas calcanei mei cir» cumdabit me[1]; » hoc est : iniquitas ejus vitæ, scilicet, gressus spatiosæ viæ, quos Apostolus ex parte enumeravit dicens, « quales sunt fornicatio, adulterium, impu» dicitia, idololatria, contentio, æmulatio, ira, seditio, » invidia, homicidia, atque horum similia[2], » sunt gressus spatiosæ vitæ : similiter vero ludicra, clamores, deliciæ, citharæ, tibiæ, saltationes, lavacra, mollia indumenta, prandia opipara, manuum plausus et strepitus, hymni temere prolati, strata mollia et cubilia promiscua, nimia edacitas, fraterna odia, quodque omnium deterrimum est, impœnitentia omnimodaque oblivio exitus hujus vitæ; hujusmodi sunt gressus asperæ illius viæ, quam multi ingrediuntur; ideoque diversorium idoneum invenient : pro deliciis famem, pro ebrietate sitim, pro requie dolorem, pro risu fletum, pro cithara gemitum, pro corpulentia vermes, pro desidia sollicitudinem, pro saltationibus dæmonum societatem, pro curiositatibus atque incantationibus, reliquis-

[1] Psal. XLVIII, 6. — [2] Galat. V, 19-21.

que studiis scelestis, tenebras exteriores et gehennam ignis, atque his similia, quæ mortis sunt stipendia, ubi pascit proprias oves, et proprios discipulos, atque amicos per latam ac spatiosam viam ambulantes, juxta verbum Prophetæ; ait enim : « Sicut oves in inferno positi sunt : mors » depascet eos[1]. »

XVII. Nos autem, fratres dilecti, ab illa via difficili declinantes, audiamus Dominum dicentem : « Contendite in» trare per angustam portam; dico enim vobis, quod multi » quærent ingredi, et non invenient[2]. » Et multa alia Dominus, omnesque divini homines horum similia clamant. Hanc diem mente volventes sancti martyres, suorum corporum non miserti sunt; sed omne suppliciorum genus sustinuerunt, gaudentes spe coronæ : alii in solitudinibus et montibus jejuniis ac virginitate certarunt, atque etiamnum certant; nec solum viri, sed et mulieres, infirmiorem partem, et arctam portam, angustamque viam tenentes, regnum cœlorum rapuerunt. Quis igitur sustinebit confusionem illam, cum die illa fœminæ coronabuntur, et multi viri ignominia afficientur? « Non enim est ibi mas et fœ» mina[3], sed unusquisque propriam mercedem accipiet se» cundum proprium laborem[4]. » Non solum autem in solitudinibus et montibus hoc contigit, sed multo magis in urbibus, insulis atque ecclesiis multitudo electorum emicuit, cum singuli pro sua conditione præcepta Domini diligenter custodirent : episcopi, presbyteri, cæterique Ecclesiæ ordines; reges ac principes, principatus ac potestates. Non enim Dominus Deus diversitates fecit, aut locum loco prælegit; sed ita inquit : « Ubicumque sunt » in nomine meo congregati[5], » hoc est, in solitudine, et in montibus, vel in speluncis, vel in quocumque loco do-

[1] Psal. XLVIII, 15. — [2] Luc. XIII, 24. — [3] Galat. III, 28. — [4] I Cor. III, 8. — [5] Matth. XVIII, 20.

minationis meæ, «ibi sum in medio eorum[1],» et cum ipsis ero usque ad consummationem sæculi, et in futuro sæculo pascam eos in sempiternum.

XVIII. Terribile illud judicium Judicemque inexorabilem memoria recolens beatus David, per singulas noctes stratum lacrymis rigabat, Deumque precabatur, dicens: «Domine, ne intres in judicium cum servo tuo[2],» neque velis jus mecum dicere, misericors; sed cum sim omnis defensionis inops, ideo deprecor bonitatem tuam, ne intres in judicium cum servo tuo: si enim volueris hoc facere, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Videte, fratres, beatum David timentem diem illam et horam, obsecrantem, et ad defensionem paratum. Venite igitur et vos, fratres Christo dilecti, antequam veniat dies illa, priusquam dissolvatur conventus, priusquam Deus manifeste veniat et inveniat nos imparatos. «*Præoccupemus » faciem ejus in confessione,*» in pœnitentia, in orationibus, in jejuniis, in lacrymis, in peregrinorum susceptione; præoccupemus, antequam ipse manifeste veniat, nosque inveniat imparatos. Ne cessemus pœnitentiam agere, et obsecrare diligenter, et præparari in occursum Domini, omnes simul viri et mulieres, divites ac pauperes, servi ac liberi, senes et juvenes.

XIX. Videte ne quis dicat, «Quoniam multum peccavi, et non est mihi remissio.» Qui hoc dicit, nescit quoniam Deus est pœnitentiam agentium, et advenit propter male habentes, qui ait: «Gaudium est super uno peccatore pœ» nitentiam agente[3];» quique ait: «Non veni vocare justos, » sed peccatores ad pœnitentiam[4].» Hæc autem est vera pœnitentia, abstinere a peccato, illudque odisse, juxta dicentem: «Iniquitatem odio habui, et abominatus sum[5];»

[1] Matth. XVIII, 20. — [2] Psal. CXLII, 2. — [3] Luc. XV, 7. — [4] Id. V, 32. — [5] Psal. CXVIII, 163.

et illud : « Juravi et statui custodire justificationes tuas[1]. » Et tunc Deus cum gaudio suscipit accedentem ad se.

XX. Videte ne quis audacter dicat, « Quoniam non peccavi. » Qui hoc dicit cæcus est, cæcutiens et seipsum seducens, et ignorat quomodo furatur eum Satanas cum in verbis, tum in operibus, cum per auditum atque oculos, tum per tactum ac cogitationes. Quis enim jactabit se habere cor mundum, omnesque suos sensus puros? Quia nullus sine peccato, nullus mundus a sorde, nullus omnino inter homines innoxius, nisi solus ille qui pro nobis pauper factus est, cum dives esset[2]. Ipse solus sine peccato, qui solvit peccatum mundi, quique vult omnes homines salvos fieri, et non vult mortem peccatoris; qui est amator hominum, et multæ misericordiæ, propitiator, bonus, animas diligens, atque omnipotens, omnium hominum Redemptor, Pater orphanorum, Judex viduarum, Deus pœnitentiam agentium, animarum corporumque Medicus, desperantium spes, fluctuantium portus, desertorum auxilium, via vitæ; qui omnes ad pœnitentiam vocat, nullumque pœnitentium aversatur. Ad hunc confugiamus et nos : omnes enim quotquot ad ipsum confugerunt peccatores, salutem sunt assecuti.

XXI. Et nos igitur, fratres mei, ne desperemus de propria salute. Peccavimus? pœnitentiam agamus. Millies peccavimus? millies pœnitentiam agamus. Omni opere bono gaudet Deus, supra modum autem anima pœnitentiam agente : erga hanc enim totus extenditur, propriisque manibus suscipit atque advocat, dicens : — « Venite ad me, » omnes qui laboratis, » quoniam qui venit ad me non ejiciam foras ; « Venite ad me, omnes qui laboratis » et onerati estis, et reficiam vos[3] » in superna civitate. Ibi omnes sancti mei magno cum gaudio requiescunt.

[1] Psal. CXVIII, 106. — [2] 2 Cor. VIII, 9. — [3] Matth. XI, 28.

Venite ad gaudium inexplicabile, incomparabile, inenarrabile, ad ea bona quæ *desiderant Angeli prospicere*[1], ubi sunt chori atque ordines justorum. Ibi sinus Abrahæ suscipit omnes qui sufferunt tribulationes, quemadmodum et Lazarum quondam pauperem : ibi aperiuntur thesauri bonorum meorum æternorum : ibi superna Hierusalem mater primogenitorum : ibi est beata terra mitium. «Venite ad me omnes, et ego reficiam vos,» ibi, ubi omnia placida atque a tumultu libera; ubi lucida et Deo grata; ubi nemo injurius neque tyrannidem exercens; ubi non amplius erit peccatum, neque pœnitentia; ubi lumen inaccessibile, et gaudium indicibile. «Beati qui lugent.[2]» Lugete, pœnitentiam agite, et convertimini ad me, et ego reficiam vos, ubi non amplius erit labor, neque lacrymæ, neque cura, neque sollicitudo, neque querela. Convertimini, filii hominum, et ego reficiam vos, ubi non amplius mas et fœmina; ubi non amplius Diabolus, neque mors, neque jejunium, neque tristitia, neque contentio, neque æmulatio; sed gaudium, pax, et requies, atque exultatio. Convertimini ad me, et ego reficiam vos, ubi aqua quietis, et virentis herbæ locus, et vinea culta a Deo universorum; in illam beatam terram mansuetorum, in qua et ego vitis vera germino, cujus agricolam Patrem auditis[3].

XXII. «Venite, omnes qui laboratis et onerati estis, et » ego reficiam vos[4],» ubi incorruptibilis vita, et totius bonitatis lætitia. Venite ad me omnes laborantes, et ego reficiam vos, ubi solum amabile, continua exultatio, æterna lætitia, inocciduum lumen et sol indeficiens. «Tollite ju» gum meum super vos, et discite quia mitis sum et humilis » corde, et invenietis requiem animabus vestris.» Ibi sonus festa agentium, ibi thesauri occulti sapientiæ et scientiæ revelantur. Venite ad me omnes, et ego reficiam vos, ubi

[1] 1 Petr. I, 12. — [2] Matth. v, 5. — [3] Joan. xv, 1. — [4] Matth. XI, 28.

magna largitio, incomparabile gaudium, immutabilis lætitia, incessabilis laudatio, indeficiens encomium, perennis gratiarum actio, indesinens de Deo sermo, interminabile regnum, infinitæ divitiæ, æterna sæcula, abyssus miserationum, propitiationis et misericordiæ pelagus, quæ ab ore hominum explicari nequeunt, sed solum per ænigmata subindicari. Ibi millia millium Angelorum, primogenitorum conventus, Apostolorum throni, Prophetarum prima subsellia, Patriarcharum sceptra, martyrum coronæ, justorum laudationes. Ibi omnis principatus, potestatis atque ordinis merces reconditur, locusque paratur. Venite ad me, omnes esurientes et sitientes justitiam, et ego implebo vos bonis quæ concupivistis, « quæ oculus non vidit, neque auris au» divit, neque in cor hominis ascendit[1]. » Hæc enim paravi illis qui a via sua mala resipuerunt; hæc paravi misericordibus, et pauperibus spiritu; hæc paravi lugentibus per pœnitentiam, hæc paravi pacificis; hæc paravi iis qui propter me persecutiones, calumnias et ludibria perpessi sunt.

XXIII. » Venite ad me, omnes qui onerati estis, et excutite ac abjicite a vobis pondus peccatorum : nemo enim ad me confugiens mansit oneratus, sed abjecit malam consuetudinem, artemque quam a diabolo male didicerat dedidicit, bonam artem a me edoctus. Magi appropinquantes mihi abjecerunt magiam, Deique cognitionem didicerunt[2]. Publicani reliquerunt telonia, et constituerunt ecclesias[3]. Persecutores persequi destiterunt, et libenter persecutiones sustinuerunt[4]. Meretrices scortationes oderunt, continentiamque dilexerunt[5]. Latro cædes deposuit, latronum artem dediscens, et fidem sinceram suscepit, et factus est incola paradisi. Venite igitur vos ad me, quoniam « eum » qui venit ad me, non ejiciam foras[6]. »

[1] I Cor. II, 9. — [2] Matth. II. — [3] Luc. V. — [4] Act. VIII. — [5] Luc. XXII. — [6] Joan. VI, 37.

XXIV. Audistis, dilecti, utiles promissiones, dulcesque voces Salvatoris animarum nostrarum? Quis vidit Patrem ita benevolum? quis medicum ita bonum vidit? Venite igitur, adoremus, et procidamus ante eum, confitentes peccata nostra[1]. Gloria bonitati ipsius; gloria ipsius longanimitati; gloria ipsius benignitati, ipsiusque indulgentiæ; gloria ipsius miserationibus; gloria regno ipsius; gloria, honor et adoratio nomini ejus in sæcula! Amen.

XXV. Iterum dico, et dicere non desistam : ne inertiæ, peccatores, ac timiditati dedamus nos : ne cessemus clamare die noctuque cum lacrymis; misericors enim est, et verax, et faciet omnimodam ultionem pro illis qui clamant ad ipsum die ac nocte : ipse enim est Dèus eorum qui pœnitentiam agunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

IN SECUNDUM DOMINI NOSTRI JESUS CHRISTI ADVENTUM III,

SEU

De communi resurrectione, de pœnitentia et de charitate.

I. Dilectissimi, nihil sinceræ charitati præferamus; multa enim negligendo peccamus diebus singulis et horis : atque ideo charitatem possidere studeamus[2]; hæc enim operit multitudinem peccatorum[3]. Quid enim prodest, fratres, si habeamus omnia, sola autem nos salvante charitate careamus? Quid prodest, si quis instructo convivio, et abunde paratis epulis, regem et principes invitet, magnificeque excipiat omnes, ita ut nihil apparatui desit præter sal? numquid prandium illud sine sale manducari poterit? non solum

[1] Psal. xciv, 6. — [2] 1 Joan. iii. — [3] Jacob. v, 20.

sumptus et operam perdet, sed et injuriam sibi et contumeliam ab invitatis referet. Ita et hic fiet, fratres mei; in ventum enim laboramus, nisi charitatem habeamus : nam sine charitate opus omne immundum est. Sive enim quispiam virginitatem colat, sive jejuniis se aut vigiliis maceret, sive orationi insistat, sive suscipiat pauperes, sive dona offerat Deo aut primitias fructuumve decimas, sive ecclesias construat, sive aliud aliquid magnum faciat; nisi charitatem habeat, nihili omnia apud Deum æstimabuntur, neque beneplacitum erit in illis Domino. Noli igitur sine charitate aliquid agere. Si autem dixeris, Quia fratrem meum odi, sed Christum diligo; invenieris mendax : arguet enim te Joannes theologus dicens : « Qui non diligit » fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quo- » modo potest diligere[1] ? » Manifestum est igitur eum qui servat odium adversus fratrem suum, etiamsi videatur Deum diligere, mendacem esse, ac seipsum penitus fallere : dicit enim rursus Joannes, quoniam « hoc mandatum habemus » ab eo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum[2]. » Et iterum Dominus dicit : « In his duobus mandatis uni- » versa lex pendet et Prophetæ[3]. » O miraculum ingens et stupendum ! Qui habet charitatem, totam legem implet : « Plenitudo enim legis est charitas[4]. »

II. O inæstimabilis virtus charitatis ! o vis dilectionis immensa ! Nihil est charitate excellentius aut pretiosius, neque in cœlo, neque in terra. Hæc divina charitas est omnium caput et summa virtutum. Charitas est bonorum omnium causa; charitas est virtutum sal; charitas est finis legis. Hæc in corde habitavit Abel; hæc Patriarchis opitulata est; ista servavit Moysen; hæc habitavit in Prophetis; hæc David Spiritus sancti domicilium fecit; ista Job confortavit. Sed longe his majora dicam : hæc Dei Filium de cœlis ad nos de-

[1] 1 Joan. IV, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Matth. XXII, 40. — [4] Rom. XIII, 10.

duxit. Per charitatem bona nobis omnia manifestata sunt: mors per eam mortua est, infernus captivatus, Adam revocatus: per charitatem unus factus est Angelorum hominumque grex; per charitatem paradisus reseratur, cœlorumque regnum repromittitur. Hæc Piscatores sapientia imbuit; ista corroboravit martyres; hæc eremos in civitates convertit; hæc montes ac speluncas Psalmorum vocibus replevit; hæc non viros tantum, sed et mulieres per arctam angustamque viam incedere docuit. Sed quandiu loqui de charitate persistam? quis enim illam pro merito laudare sufficiat? Ne ipsi quidem Angeli omnia charitatis merita pro sua dignitate explicare valebunt. O beata charitas, bonorum omnium indultrix. Beati, et vere beatissimi, qui charitatem veram et minime fictam sibi comparare student! quemadmodum ait Dominus: « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut » animam suam ponat quis pro amicis suis [1]. »

III. Hac divina charitate flagrans Paulus Apostolus, dicebat: « Charitas proximo malum non operatur, non red- » dit malum pro malo [2], » nec maledictum pro maledicto. Qui hanc possidet, non superbit, non invidet, non irascitur, non murmurat, non odit fratrem suum aliquando: qui hanc adeptus est, non modo diligentes se diligit, verum etiam affligentes. Hanc divinam charitatem possidens Stephanus protomartyr, pro se lapidantibus Deum precabatur, dicens: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum [3]. » Beatus homo qui, contemptis omnibus, charitatem assecutus est: hujus merces quotidie crescit; hujus corona præparata est; hunc Angeli omnes beatum prædicant; ab hoc nunquam Dominus separatur: « Deus enim charitas est; et qui manet in » charitate, in Deo manet, et Deus in eo [4]. » Et hæc quidem hactenus de charitate.

IV. Nos vero ad id quod instituimus redeamus, loquamur-

[1] Joan. xv, 13. — [2] Rom. xiii, 10. — [3] Act. vii, 59. — [4] 1 Joan. iv, 16.

que de pœnitentia et de judicio futuro. Hæc jugiter die noctuque meditemur, dilectissimi; extremamque horam semper ante oculos habentes, inextinguibilis flammæ nunquam obliviscamini. Psalmus nunquam de vestro ore deficiat; Deus enim cum nominatur, dæmones fugat : ubi Psalmus, illic et Deus est; ubi vero personant Diaboli cantica, illic ira et perpetuum væ; ubi sacri codices lectionesque, ibi justorum lætitia, salusque animarum; ubi vero citharæ chorique perstrepunt, ibi virorum ac mulierum offuscatio Diabolique celebritas est. Quid prodest, dilectissimi, ad momentum temporis hic choreas agere festaque celebrare, illic vero in æternum cruciari? Consideremus, quia nihil proderunt nobis orbis fines in illa hora; pensemus, quia nullus cuiquam auxiliari poterit : sed unusquisque onus suum portans assistet, expectans sententiam contra se ferendam. Hæc alto corde cogitantes, dilectissimi, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, sicut docuit Apostolus : « Emundemus nos ipsos ab omni inquinatione carnis et » spiritus[1]. Deponamus opera tenebrarum[2] : » neque jam gentium ritu ambulemus. Cum sanctorum memorias celebramus, memores simus omnium debilium, viduarum, pupillorum, peregrinorum, pauperum, necnon eorum qui in carceribus detenti sunt, et qui in solitudinibus et montibus, et speluncis et cavernis terræ delitescunt. Festivitates honoremus, epulantes non celebritate sæculari, sed divina exultatione; non mundane, sed spiritualiter et christiane. Non januarum coronemus frontes, non choreas statuamus, non tibiis et citharis auditum effœminemus, non mollibus indumentis utamur, non auro ornemur, non comessationibus et ebrietatibus operam demus; verum hæc omnia Græcis Judæisque relinquamus.

V. Nos autem pretiosa ac vivifica Salvatoris cruce postes

[1] 2 Cor. VII, 1. — [2] Rom. XIII, 12.

nostras coronemus, dicentes cum Apostolo : « Mihi absit » gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi[1]. » Pingamus in januis atque in frontibus nostris, et in pectore, et in ore, atque in membris omnibus vivificam crucem : armemur insuperabili hac christianorum armatura; ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæresum, firmamentum fidei, magna orthodoxorum custodia salutarisque gloria. Hanc, o christiani, diebus singulis et noctibus, horis atque momentis in omni loco circumferre non desinamus : nihil sine ipsa perficias; sed, sive dormias, sive evigiles, sive operi insistas, sive manduces, sive bibas, sive iter agas, sive per mare naviges, sive transmittas flumina, membra tua omnia cruce vivifica exorna : « neque accedent ad te » mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; » hoc enim signo conspecto, adversariæ potestates conterritæ recedunt. Crux enim sanctificavit orbem, tenebras fugavit, lucemque revexit. Hæc eliminavit errores; hæc ab ortu solis et occasu, septentrione et meridie collegit gentes, atque in unam Ecclesiam, et in unam fidem, atque in unum baptisma in charitate connexuit : hæc orthodoxorum inexpugnabilis murus est. Quod os, quæ lingua digne pro merito laudare poterit victricia arma Christi Regis? Crux in Calvariæ loco defixa, mox vitæ nostræ botrum pullulavit. Hoc denique pretiosissimo signo Christus Salvator noster inferni voracissimum disrupit ventrem, nimisque patulum Diaboli obstruxit os. Eo conspecto contremuit mors, omnesque quos a primo homine usque ad id temporis sub ditione sua tenuerat vinctos, demisit. Crucis armis accincti beati Apostoli, omnem Inimici calcavere virtutem : hac se thoracis vice munientes milites Christi et martyres, omnes artes et inventiones atrocitatesque tyrannorum superarunt;

[1] Galat. VI, 14.

hanc bajulantes qui sæculo abrenuntiarunt, summo cum gaudio et alacritate in solitudinibus et montibus, et speluncis et cavernis terræ sibi sedes elegerunt.

VI. O immensam benignissimi Dei bonitatem, qui tam magna tamque præclara munera humano generi per crucem indulsit! Hæc sancta crux rursus in consummatione sæculi, cum secundus illuxerit Domini adventus, prima cum gloria ingenti et Angelicorum exercituum multitudine apparebit in cœlo; inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem lætificans atque illuminans, adventumque magni Regis annuntians. Et de pretiosa quidem cruce hactenus diximus; etsi plura his dici poterant.

Cætera omnia quæ sequuntur de futuro judicio ad verbum leguntur supra in Sermone IV; ideo a nobis consulto omittuntur.

SERMO VI,

PARÆNETICUS, IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI IV.

I. Resipiscamus, ac pœnitentiam agamus, fratres, ut Deum peccatis nostris propitium reddamus. Imploremus ipsum, quia exacerbavimus eum; humiliemur, ut nos exaltet; adoremus, ut lætitia nos afficiat; lugeamus, ut consoletur nos. Projiciamus a nobis malam vivendi consuetudinem, et virtute induamur, tanquam vestimento: maxime autem nos, qui angelico vitæ instituto digni habiti sumus. Sumamus, charissimi, pro mensura bonum ac perfectum certamen patrum qui ante nos vita defuncti sunt. Noli, frater, hodie a temperantia commendari, et cras in conviviis versari; noli hodie aquam bibere, et cras vini potationi te dare: ne ho-

die nudis pedibus incedas, et cras calceamentorum varietate gaudeas; ne hodie vilibus utaris vestibus, et cras ornatus incedas ; cave hodie mansuetus sis ac humilis, et cras arrogans atque superbus; cave hodie obedientem te præbeas, et cras dissolutum atque inobedientem : vide ne hodie in te audiatur ploratus ac ejulatus, et cras risus atque contemptio ; vide ne hodie humi cubes, et cras molliter in lecto dormias; ne hodie pœnitentiam agas, et cras ejus obliviscaris. Sed canonem unum retine, sicut etiam sancti fecerunt patres, qui ad quinquaginta et ultra annos suum non mutarunt canonem et regulam.

II. Cur mundo renuntiasti, charissime, si mundana adhuc oblectamenta quæris? Ad tribulationem vocatus es, et tu requiem inquiris ! ad nuditatem, et tu vestium ornatum sectaris ! ad sitim perferendam, et tu vinum potitas ! ad bellum, et tu sine armis in cœleste regnum ingredi cupis ! ad vigilias, et tu somno obdormiscis ! ad gemitum atque ploratum, et tu rides ! ad charitatem, et tu fratrem tuum odisti ! ad subjectionem atque obedientiam, et tu contradicis atque repugnas ! ad mansuetudinem et humilitatem, et tu superbis ! ad hæreditatem regni ejus, et tu terrena sapis !

III. Videte, fratres, ne post renuntiationem sæculi, quæ sunt mundi sapiamus ; nolite iterum converti retrorsum, et res mundanas sapere, vel agere, aut loqui. « Corrumpunt » *enim* bonos mores colloquia mala [1]. » At, sicut propheta David ait, in lege Domini meditare die ac nocte, ut cum ipso confidenter dicas : « Ego vero legem tuam meditatus » sum [2] ; » et iterum : « Meditabor legem tuam semper [3] ; » et rursus : « Bona mihi lex oris tui, super millia auri et » argenti [4] ; » et rursus : « Exultabo ego super eloquia tua [5] : » et tu, frater, ne sæcularia loquaris, sed spiritalia ; neque de terrenis, verum de cœlestibus. Sursum cor tuum ad Salva-

[1] I Cor. xv, 33. — [2] Psal. cxviii, 70. — [3] Ib. 117. — [4] Ib. 72. — [5] Ib. 162.

torem Christum habe, et cum Davide dicito : « Domine, » non est exaltatum cor meum [1]. » Ad ipsum respice semper, dicens : « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in » cœlis [2]. » Produc lacrymas; quoniam « qui seminant in » lacrymis, in exultatione metent [3]. » Nocte dieque ad novissimam horam respice. Psalmus assidue sit in ore tuo; nam Deus cum nominatur, dæmones fugat. Cum Deo multis, et cum hominibus loquere paucis. Semper Dei memineris : et cœlum mens tua evadet. Ne quæras delicias; sed voluptatum fuge illecebras. Omne sæculi istius gaudium detestare. Humi cubationem ne abjicias, quoniam requiem æternam conciliat. Ne tibi grave jejunium appareat; quoniam in lætitiam sempiternam te transmittet. Christi factus es miles? ne rebus hujus vitæ impliceris; ut ei qui suæ te ascripsit militiæ placeas. Renuntiasti sæculo? ne sæculum diligas, neque quæ in eo sunt. Adjecisti manum tuam ad aratrum? ne respicias ad ea quæ retro sunt. Desponsasti te Christo? eum adventantem expecta.

IV. Singulis vero diebus ac horis, momentisque, ipsius recordare, sicut sponsa sui ipsius sponsi : semper in eum mentem defixam habe. Quemadmodum uxor maritum amans virum suum, licet procul absentem ac peregrinantem, in memoria apud se habet; et cum in multis constituta sit sollicitudinibus atque angustiis, non cessat explorare vias, et interrogare prætereuntes, quonam abiisse potuerit? de ipso loquitur, et dormiens eum expectat et auscultat; non fruitur quiete, neque ridet cum quoquam, non lætatur, non desinit lacrymari, donec susceperit desideratum : sic igitur et tu, christiane, ac præcipue qui vanissimo sæculo abrenuntiasti. Et quid dico, qui abrenuntiasti? omnes enim stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. Quocirca deinceps, frater, ne nimium momentanea alimenta appe-

[1] Psal. CXXX, 1. — [2] Psal. CXXII, 1. — [3] Psal. CXXV, 5.

tas : non corporalem requiem quæras; non des somnum nimium oculis tuis; neque vitam curæ ac sollicitudinis expertem degas : sed Deum præ oculis tuis semper habe, ut cum sancto David dicere queas : « Providebam Dominum » in conspectu meo semper [1]. » Non cesses divinas perscrutari Scripturas; non cesses sanctam matrem tuam interrogare Ecclesiam, quando veniet desideratus Sponsus : et signum adventus ejus perquire ac disce, quia Judex non tardabit. Non desinas interrogare, donec plane certior factus sis; non desinas de hoc interpellare eos qui exacte norunt.

V. Cupis porro nosse quinam illi sint qui accurate magnum istud ac formidabile mysterium sciant? Prophetæ, Apostoli, et Evangelistæ : hi plene de horribili adventu Christi ac Sponsi instructi sunt : hos, frater, interroga; et audies quod veniet et non tardabit. Interroga magnum prophetam Isaiam; respondebitque tibi, dicens : « Ecce Dominus ve» niet : et merces ejus cum ipso [2]; » et iterum : « Dominus » Sabaoth egredietur ad conterendum bella [3]. » Aliusque Propheta ait : « Veniens veniet, et non tardabit [4]. » Vicissimque tibi propheta respondebit Malachias, dicens : « Ecce » veniet, et quis sustinebit diem introitus ejus? aut quis » stabit in conspectu ipsius [5]? » Docebit quoque te propheta David, cum dicit : « Deus manifeste veniet : et adorabunt » eum omnes reges terræ [6]; » et iterum : « Quia veniet, ut » judicet terram [7]. » Quod si Petrum quoque interroges coryphæum; ipse tibi respondebit vicissim, ac dicet : « Non » tardat Dominus promissionem, sicut quidam tarditatem » existimant : sed patienter agit, nolens quemquam perire, » sed omnes ad pœnitentiam reverti; » et rursus : « Dies » Domini, sicut fur in nocte, ita veniet [8]. » Respondetque

[1] Psal. xv, 8. — [2] Isai. xl, 10. — [3] Id. lxii, 11. — [4] Habac. ii, 3. — [5] Malach. iii, 2. — [6] Psal. xlix, 3, et lxxi, 11. — [7] Psal. xcvii, 9. — [8] 2 Pet. iii, 9.

18.

tibi vicissim Jacobus, dicens : « Ecce Judex ante januam as- » sistit[1]. » Quin et Joannes te admonebit theologus, dicens : « Ut cum apparuerit, fiduciam habeamus, et non confun- » damur ab eo in adventu ejus[2]. » Interroga etiam, charissime, sanctum Matthæum Evangelistam; et ipse tibi clarius de adventu Sponsi dicet quæ ab ipsomet audivit. Ait autem : Dixit Dominus : « Vigilate, quia nescitis horam, neque » diem[3], » in qua Christus Dominus veniet; et rursus : « Estote parati, quia qua hora non putatis, Dominus ve- » niet[4]; » et rursus : « Beatus ille servus, quem cum venerit » dominus ipsius, inveniet vigilantem[5]. » Rursusque ait : « Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum » virtute et majestate magna. Tunc sedebit super sedem ma- » jestatis suæ, et congregabuntur coram ipso omnes gentes, » et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab » hædis[6]; » et quæ sequuntur. Reliquosque si interroges Evangelistas, ac cunctos sanctos, similia ab eis de adventu Domini audies, quod prope sit in januis. Non igitur amplius excusationem habes : ecce a beatissimis Prophetis et Apostolis omnem veritatem audisti : modo ergo quæ tuæ sunt salutis para.

VI. Et quid, inquies, agam ut salver, misericordiamque inveniam, ac fiduciam in die defensionis? Ego tibi dicam : solum serva. Quod si Dominum audieris, et ipse te exaudiet; nam ita dixit Dominus : « Si dimiseritis hominibus errata » ipsorum, et Pater vester cœlestis dimittet peccata ves- » tra[7]. » Ecce audisti tandem unum præceptum magnum et leve; dixit enim benignissimus Deus : « Onus meum leve » est[8]. » Nam quod ac quale onus est, dimittere fratri offensas, et indulgentiam atque remissionem a Deo proprio-

[1] Jacob. v, 9. — [2] I Joann. II, 28. — [3] Matth. XXIV, 42, et XXV, 13. — [4] Luc. XII, 40. — [5] Ibid. 43. — [6] Matth. XXIV, 30; XXV, 31, 32. — [7] Matth. VI, 14. Marc. XI, 26. — [8] Matth. XI, 30.

rum accipere delictorum? ut cum fiducia dicere possis : « Dimitte mihi offensiones meas, Domine; ego enim fratri meo remisi. » Hoc serva præceptum : ne inimicitias adversus aliquem habeas; neque quemquam unquam odio prosequaris; ne ludicris rebus vaces; ne verba otiosa proferas; ne aliis detrahas atque obloquaris; ne ullos maledictis incessas; ne mundanis hominibus nimium adhæseris ac converseris; ne fabulis ac nugis te dedas; ne res terrenæ te occupent. Qui universo renuntiasti mundo, ne aliam admittas sollicitudinem, neque aliud certamen, præterquam diei illius horribilis; semperque cor et lingua tua de judicio meditentur. Sive igitur operi, sive orationi intentus sis; sive ambules, sive sedeas; sive comedas, sive jejunes; sive in cubili tuo vigil jaceas, sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare, et os tuum loqui de judicio.

VII. Corde porro sic tecum cogita : « At quomodo respondere potero Judici? Numquid reperietur peccator alius ut ego? Quo pacto peccata mea delebo?» Quo pacto? ego tibi dicere potero : sicut fecit et docuit David, dicens : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis » meis stratum meum rigabo [1]. » Sic plora et cogita, dicens : « Sed qualia sunt horrenda illa tormenta quæ divina dicit Scriptura? qualis est fluvius ille igneus? qualis ignis ille inextinguibilis? cujusmodi tandem tenebræ illæ exteriores? cujusmodi stridores illi dentium? cujusmodi gehenna illa ignis? qualis erit vermis ille nunquam moriens? qualis caminus ille ignis? et cui tandem ex istis locis ego peccator destinandus ero? » Hæc tecum meditare, o fili, singulis diebus, ac noctibus, et horis; et studiose in jejuniis, vigiliis et orationibus ac lacrymis persiste; semperque in cella sub silentio versare : et ne contemnas, neque relaxeris, mi frater. Et si aliqui tibi detrahant, aut te derideant vel spernant

[1] Psal. VI, 7.

aut deprimant, tu noli attendere iis, sed ob oculos tibi constitue desideratum Sponsum, et dicito : « Dignus sum qui illudar; nam et Dominus meus illusus est ac contumeliis affectus, consputatus et crucifixus, odioque a Diaboli discipulis habitus. » Atque etiam nos docet Dominus ut et nos injuria affecti sufferamus; conviciis ac maledictis excepti, benedicamus; et persecutionibus exagitati, sustineamus. Rursusque memineris, frater, Domini ad suos Discipulos dicentis : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem » vobis odio habuit. Sed quoniam ego elegi vos de mundo, » propterea odit vos mundus [1]. » Et iterum : « Beati estis, » cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, » ac vos oderint [2]. » Quin et cuncti per angustam hanc viam ambularunt sancti, sicut ait Apostolus : « Quoniam ludibria » et verbera experti sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati » sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in me- » lotis, in pellibus caprinis; egentes, angustiati, afflicti, in » solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in ca- » vernis terræ [3]. » Ita et tu, frater, si sustinueris, et canonem tuum paululum curaveris, una cum ipsis reperieris.

VIII. Nolite ergo obtorpescere, quia odit vos mundus : qui enim oderunt, infelicissimi sunt; at qui propter Christum odio habentur, felicissimi : veniet enim, et reddet unicuique secundum opera sua. Ait quippe Propheta : « Veniet, et quis » sustinebit diem introitus ipsius [4] ? » Vere enim, vere formidabilis est dies adventus ejus. Audi quoque haud dissimile huic; dicit enim propheta Daniel : « Throni positi sunt, » et Antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum » sicut nix, et capillus ejus quasi lana munda. Thronus » ejus quasi flamma ignis. Mille millia assistebant ei, et de- » cies millies centena millia ministrabant ei : judicium sedit,

[1] Joan. xv, 18. — [2] Matth. v, 11. — [3] Hebr. xi, 36-38. — [4] Malach. iii, 2. Joel. ii, 11.

» et libri aperti sunt [1]. » Quis non reformidet diem illum? quis horam illam non pertimescat? Hic crebro si clarius tonitru resonet, non sufferimus : at cuncti in terram præ hororre inclinamur atque deprimimur. Quis igitur tunc perferet, quando signa illa admirabilia et obstupescenda contuebitur? quando virtutes cœlorum commoveri aspicies? quando elementa dissolvi videbis? quando cernes cœlum ut librum convolvi, solem obscurari, lunam in sanguinem commutari, astra e cœlo decidentia, sicut folia e ficu; terram comburi, et quæcumque in ea sunt opera? quando tubam e cœlo horribiliter resonantem, et eos qui a sæculo obdormierunt excitantem audieris? quando cœlos discindi, et Deum magno cum furore super peccatores revelari contemplatus fueris? quando Angelos emissos et circumcursantes, congregantesque electos ex quatuor ventis, a summis cœlis, usque ad extremitatem eorum, conspexeris? quando thronum horribilem paratum, justumque Judicem sedentem contuitus eris? quando omnem humanam naturam coram ipso magno cum timore atque tremore congregatam videris? Mihi credite, fratres mei charissimi, multis digna est lacrymis multisque suspiriis dies illa, quando commiserandam et lugubrem illam horam contuebimur, quando nos ab invicem Judex separabit, sicut pastor oves segregat ab hædis.

IX. Tunc parentes segregabuntur a filiis, et filii a parentibus. Tunc fratres separabuntur a fratribus, et amici ab amicis, consanguineique a familiaribus. Tunc clerici a sociis dividentur clericis, episcopi a coepiscopis, diaconi ab aliis diaconis, et subdiaconi et cantores atque lectores a se invicem. Tunc quoque conjuges a se mutuo separabuntur cum lacrymis. Tunc reges plorabunt, et principes magna hic factitantes, et vitam cum injustitia et aliorum injuria degentes, propriosque ac ejusdem fidei fratres op-

[1] Daniel, VII, 9, 10.

primentes. Tunc sanguis eorum qui ex episcoporum ac presbyterorum negligentia perierunt, ex eorum manibus requiretur. Tunc quod quisque talentum accepit et apposuit, repetetur; et omnis quidem christianus de iis quæ audivit atque accepit exquiretur : præcipue autem pontifices, sacerdotes et levitæ; nam « potentes potenter tormenta » patientur. » Tunc quisque cum timore atque tremore consistet, caput demittens, et sententiam adversus ipsum proditurum expectans ; tunc aspiciet quomodo honorabuntur qui in jejuniis et vigiliis, lacrymis atque orationibus decertaverint; tum etiam qualia a rege oblectamenta atque solatia accipient, et suspirans, dentibusque stridens, dicet : « Quomodo ego miser non decertavi exiguo illo vitæ meæ tempore, sed in negligentia traduxi dies meos ? nunc autem quo me ire deceat, ignoro; anne ad supplicium ? » Hæc porro secum cogitante, a Rege prodit sententia, dicens : « Quod quisque seminaverit, hoc et metet [1]. » Tunc qui hic seminaverint in lacrymis, in exultatione illic metent. Tunc quisque abibit quo et opera ejus; constituta quippe uniuscujusque coram ipso erunt opera, sic ad eum dicentia : « Tu nos fecisti, o miser. Debuisses tuis nos diluisse lacrymis. Scripturam audisti, dicentem : Veniet hora, ut reddat unicuique secundum opera sua; et irrisisti ejusmodi dicentes. Age nunc igitur, et fructus laborum tuorum percipe. »

X. Tunc abibit unusquisque ad locum proprium, quem sibi ipsi præparavit : implebiturque Scriptura, dicens : « Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos [2]. » Qui vero sese præparaverint, non conturbabuntur; sed cum fiducia clamabunt : « Paratus sum, et non » sum turbatus. » At qui imparati extiterint, conturbabuntur, dum illud audient : « Discedite a me, maledicti, in ignem » æternum [3]. » Tunc abibunt, hi quidem in tenebras exteriores, alii vero in stridorem dentium et reliqua suppli-

[1] Galat. VI, 8. — [2] Psal. II, 5. — [3] Matth. XXV, 41.

cia; propellentibus eos cum diligentia ac festinatione Angelis, et ad eos dicentibus : Sicut oves facti estis inferni, mors depascet vos. Hi porro abibunt, dentibus stridentes, et post tergum crebro respicientes, cernentesque quo pacto separati sint, abducentur : nullusque qui auxiliari ibi possit, reperietur. Ubi cunctæ tunc mundi opes? ubi potentia regum? ubi principum temeritas? Quomodo nusquam tunc apparebit qui adjuvare possit dilectos? ubi tunc qui genuit, pater? ubi quæ peperit mater? ubi germani fratres? ubi amici? ubi consanguinei? ubi comessantium cœtus? ubi turbæ? ubi qui in divitiis gloriantur? Oh! quantis digna erit lacrymis atque suspiriis illa hora! Propter istam horam dicebat Dominus: «Beati qui nunc lugent ac plorant [1].» Tunc, fratres, qui fiduciam invenerit, vere beatus erit. Tunc beati Apostoli super solem resplendebunt; Prophetæ exhilarabuntur; et martyres coronabuntur. Tunc apparebunt etiam qui hic in montibus, speluncis cavernisque terræ occultati fuerunt: greges beatorum monachorum, qui mundo renuntiarunt, in exultatione cum Angelis choros ducent; similiter qui in speluncis se ipsi per lacrymas et vigilias atque orationes confecerunt. Qui hic viles fuerunt et obscuri, ibi clari comparebunt, et cum fiducia; qui hic inglorii et contemptibiles, ibi cum gloria erunt atque honore; qui hic pauperes et mendici, ibi divites atque dilecti; qui hic patriam reliquerunt et cognationem ac fratres et delicias, ibi regno cœlorum perfruentur. Oh! quam felices, imo felicissimi sunt monachi, qui hic affliguntur et vim patiuntur, et illic regnum rapiunt! Nam hic in speluncis, et cellis, ac montibus sine intermissione Deum glorificastis eique deservistis, non solum viri, sed etiam mulieres, genus fragile et imbecille; illic vero cum Angelorum choris eum rursus collaudare promeriti estis : Christum desiderastis, sæculo

[1] Matth. v, 5. Luc. vi, 21.

vos abdicastis, recessistis ex mundo, habetis Christum. « Nemo enim est, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, » aut filios propter me, qui non centuplum in præsenti sæ- » culo accipiet, et in futuro vitam æternam possidebit ; » sicut ait Dominus. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

SERMO VII.

IN SECUNDUM ADVENTUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI V,

SEU

Sermo utilis de pœnitentia et judicio, et separatione animæ et corporis.

I. Dilectissimi, quam utilitatem invenimus in vana hac vita ? Heu ! beatus qui reperit fiduciam in hora separationis, quando nimirum anima a proprio corpore dividitur. Veniunt enim Angeli ad excipiendam animam, et ad sistendam eam tribunali terribili, ac tremendo judicio. Ingens timor, fratres, in mortis hora, quando anima separatur a corpore cum timore et doloribus : præsentant enim se animæ opera ipsius, in hora separationis, quæ fecit die ac nocte bona et mala, et Angeli festinantes student eam a corpore expellere ; conspiciens autem anima opera sua, veretur exire. Peccatoris vero anima a corpore cum timore separatur, et tremens abit ad sistendum se Regi immortali ; coacta vero e corpore egredi, dum videt opera sua, cum timore eis dicit : Date mihi spatii horam, ut exeam. Respondent ei opera ipsius : Tu fecisti nos ; nos tecum veniamus ad Deum. Odio habeamus, fratres, hanc vitam inanem, et Christum solum Sanctum diligamus. Nescimus, fratres, qua hora sit noster exitus : nemo nostrum novit horam aut diem separationis. Repente vero progredientibus nobis, ac deliciis fruentibus secure super terram, venit

edictum deserendi corpus, et discedit peccator die qua non expectat, plenus peccatis existens, et fiduciam non habens. Propterea hortor vos, fratres, fiamus liberi, servitutem vanæ hujus vitæ excutiamus: pennis tollamus animam nostram ad Deum quotidie ex laqueis et scandalis.

II. Malignus semper pedicas subducit a conspectu animæ nostræ, ut ipsi offendiculum ponens, irretitam ducat ad æternum supplicium. In mediis scandalis laqueisque ambulamus, dilectissimi, orantes ne incidamus in illos. Dulcedine referti sunt laquei mortis. Non laxetur nostra voluptas erga dulcedinem ipsorum laqueorum mortis, id est terrenarum rerum, et pecuniarum, ac cogitationum, operumque malorum sollicitudinem. Ne dulcedine capiaris, frater, laquei mortis; ne emolliaris, neque diffluas in meditationem cogitationum malarum. Si sordida cogitatio in anima ingressum invenerit, suaviter emollitur ad pravam meditationem, ut ipsam morte afficiat, et prava cogitatio vertitur in laqueum animæ, nisi abigatur per orationem et lacrymas, per continentiam et vigilias. Fias semper ab omnibus terrenis rebus liber, ut a pedicis cogitationum operationumque malarum libereris. Ne relaxeris temporis momentum in considerationem cogitationis pravæ. Ne versetur diu, frater, in anima tua cogitatio mala. Confugias semper ad Deum per preces, et jejunium, et lacrymas, ut ab omnibus laqueis, scandalis et malis affectionibus eripiaris. Ne longum tempus vivere te putes, frater, in terra: nam ex improviso veniet mandatum Domini, et inveniet te peccantem, neque amplius pœnitentiæ tempus habentem, neque similiter indulgentiam.

III. Et quid dices in hora separationis, frater? Accidere enim potest ut mandatum non concedat tibi temporis punctum in terra. Multi sunt qui se putabant multo tempore victuros; venit repente mors, exinanivit ineptam

expectationem. Venit repente mors, invenit hominem peccatorem, et divitem censentem plures annos se in terra in relaxatione vivere, computantem digitis sortem, et fructum, dividentem cogitatione longo tempore numerum divitiarum suarum. Venit ex improviso mors, omnia simul irrita reddidit, computationem et divitias, et sollicitudinem vanæ ratiocinationis. Venit tandem mors, reperit virum justum et sanctum colligentem cœlestes divitias per preces ac jejunia. Habeto semper mortem ante oculos, frater mi, neque timeas tui corporis separationem. Sic semper expecta singulis diebus, tanquam prudens et spiritalis, mortem et exhibitionem ad tribunal Domini. Præpara quotidie tuam lampadem, ut prudens et studiosus ipsam considerans singulis horis, in lacrymis atque orationibus; quanto tempore in securitate manes, frater, sollicitus sis : venit enim tempus plenum, ac refertum timiditate, et timore, ac tumultu, quod non sinet cogitare meliora propter ipsius confusionem. Attendite, dilectissimi mei, quomodo omnia mala crescunt, atque proficiunt quotidie prava, proceditque nequitia. Hæc expectant venturam confusionem ac tribulationem magnam quæ ventura est super omnes terminos terræ propter peccata nostra; propter nostram mollitiem mala proveniunt.

IV. Fiamus vigilantes, Christo dilecti bellatores, singulis diebus. Vincamus bellum hostis, a Christo dilecti. Discamus pugnæ instituta; invisibilis enim existit. Pugnæ hujus institutiones sunt semper esse spoliatum rebus terrenis. Si quotidie ante oculos habeas mortem, non peccas; si spolieris terrenis rebus, in fugam non verteris in bello : si oderis terrena, despiciens temporalia, poteris ut bellator optimus victoriæ præmium referre. Etenim quia terrena ad se pertrahunt deorsum, ac pravæ affectiones cordis oculos obscurant in bello, idcirco expugnat vincitque nos mali-

gnus, terrenis repletos, et terrenarum sollicitudinum passionibus inservientes : nam universi pariter terrena diligimus, fratres, et mens nostra in terra propter nostram socordiam detrimentum accipit. Inclinata est dies, et ad vesperam tempus nostrum vergit, et nos, amici, propter nostram incredulitatem matutinam horam esse existimamus. Ecce in foribus est regnum cœlorum, ut effulgeat; nos vero de eo audire nolumus. Fiunt aliquando signa, et prodigia, quæ dixit Dominus, fames, et pestilentiæ, et terræ motus, terroresque, et populorum motus : hæc autem omnia videntur nobis tanquam somnia, quæ invicem narrantur; illorum auditio nos non terret, neque aspectus. Congregantur electi ante tribulationem, ne confusionem videant, atque ingentem angustiam impendentem mundo iniquo. Sementis jam pervenit ad messem, atque hoc sæculum finem habet. Angeli falces tenent, nutumque expectant. Timeamus, dilectissimi : hora est undecima diei, ac viæ longitudo multa : festinemus in mansione inveniri. Simus vigilantes, atque a somno careamus, tanquam vigiles. Ignoramus qua hora Dominus venire vult. Elevemus nos a pondere rerum terrenarum : nihil solliciti sitis omnino, dixit Dominus. Omnes ut diligamus, nos jubet Deus. Nos vero charitatem potius persecuti sumus; et e terra effugit. Amorem perfectum erga Deum in terra non invenis, ab omnibus rejectus est : ab universis dilectio odio habetur; invidia potius regnat : contentiones confusionesque in terra cumulantur, iniquitates omnes simul operuerunt. Unusquisque terrena inquirit, ac cœlestia aspernatur : temporalia exoptat, et futura nemo diligit.

V. Cœlestis esse cupis? quæ in terra sunt minime quæras, sed aversare atque execrare : operare vero ut perfectus, ac concupisce ut perfectus regnum cœlorum. Cogita dicens : « Longum est exercitationis tempus et grave, et

ipse sum negligens atque imbecillis, et operam navare non possum. » Auribus excipe verba optimi utilisque consilii : intellige quid tibi dico, fratrer a Christo dilecte. Si in aliam regionem longinquam transire volueris, una hora totum iter conficere non potes, sed gradatim singulis diebus eundo et consistendo migras, et cum tempore et labore pervenis in regionem quam desideras. Haud aliter est regnum cœlorum, ac paradisi delectatio : per jejunia ac continentiam, vigiliasque ac dilectionem, unusquisque ibi comparet : hæ sunt viæ quæ in cœlum ducunt ad Deum. Ne timeas initium bonæ viæ capessere, quæ ducit ad vitam. Ire solum delibera per viam : et si promptus inventus fueris, extemplo iter dirigitur coram te, et lætus procedens, stationes habes in ipsis delectatione affectus. Roborantur enim gressus animæ tuæ in singulis mansionibus, ac difficultatem minime invenies in via quæ ducit ad vitam : ipse Dominus tui causa factus est via ad vitam cupientibus cum gaudio ire ad Patrem luminum.

VI. Fias mihi, Christe, via vitæ, quæ ducit ad Patrem tuum. Ipsa sola lætitia est, et finis illius regnum cœlorum. Fias mihi, Domine Dei fili, via vitæ, atque illuminatio. Hausi per me ipsum ex fonte gratiarum, plenus desiderio. Facta est gratia in corde servi tui lumen, et gaudium, et dulcior super mel et favum in ore famuli tui. Facta est gratia in anima servi tui, veluti thesaurus ditavit paupertatem meam, fugavit indigentiam ac putredinem. Facta est gratia tua servo tuo refugium, et potentia atque exultatio, defensio et exaltatio, et cibus animæ. Non tacebit, Domine, servus tuus a multa dulcedine dilectionis ac gratiæ tuæ. Aperi os meum indigni. Quomodo rursus sustinebit lingua mea, post tantum præsidium, ne hymnos et laudes dicam diebus singulis Largitori bonorum ? Et quo pacto rursus audeo intercludere fluctus gratiæ tuæ, qui scatent in corde meo pecca-

toris? Imple eos dulcedine cum multis beneficiis tuis, ut psallens laudem factorem cœli, qui tribuit proprio famulo dona cœlestia. Propter ingentia munera magnifico gratiam tuam, Christe Salvator, in Ecclesia magna laudabo te: ipse ego magnifico me. In ipsa non quiescet lingua mea confiteri gratiam tuam, Domine: non tacebit cithara mea canere melodias spiritales. Desiderium tui trahit me ad te, Salvator, gloriatio animæ meæ. Tua gratia mitem reddit mentem, ut trahatur post te. Fiat tibi cor meum terra bona excipiens bonum semen, atque illud aspergat gratia tua rore vitæ æternæ: et metet gratia tua manipulum bonum in terra cordis mei, compunctionem, adorationem, sanctificationem; quæ placita tibi sunt semper ut faciat. Converte animam meam ad ovile paradisi deliciarum cum ove inventa: inveniatur anima mea in lumine. Illam quidem ovem repertam super humeros tulit: hanc vero indignam animam meam per gratiam tuam trahe, atque utramque offerto Patri tuo immaculato et immortali in conspectu Angelorum atque Archangelorum, ut dicam inter paradisi delicias cum omnibus sanctis: Gloria Patri immortali, et Filio immortali, et Spiritui sancto immortali: Patri quidem invisibili, Filio vero in carne viso, et Spiritui qui locutus est per Prophetas et Apostolos. Gloria ipsi sanctissimæ et consubstantiali Trinitati, quæ adoratur et laudatur ab universa cœlesti virtute, terrestrium et infernorum, quod cœlestia dedit dona proprio servo, ut ipse offerat pugillum gloriæ Regi sæculorum, et Deo universorum, Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

DE SECUNDO ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VI,

SEU

De patientia et consummatione hujus sæculi, ac de secundo adventu; necnon de meditatione divinarum Scripturarum : et quæ quantaque sit quietis silentiique utilitas.

I. Illustris est vita justorum : sed quomodo illustratur, nisi per patientiam? Hanc dilige, o monache, tanquam fortitudinis matrem; admonet enim Psalmista, dicens : « Ex» pecta Dominum et custodi viam ejus[1]. » Paulus quoque modum acquirendæ virtutis docens, ait : « Tribulatio pa» tientiam operatur[2]. » Hanc exercens, spem fontem omnis boni invenies : spes autem non confundit. Subditus igitur esto Domino, et ora eum, inveniesque deinceps illud : « Et » dabit tibi omnes petitiones cordis tui[3]. » Quid hoc beatius, quam consequi talis regis benevolas aures? Quis non exoptet judicis aures sibi apertas atque obsequentes? Operarius es virtutis, o frater; conduxit te Christus; dum tempus habes, operare bonum. Audi Paulum dicentem : « Quod» cumque seminaverit homo, hoc et metet[4] : » semina in Spiritu, ut de Spiritu metas vitam æternam; « quoniam » qui seminat in carne sua, *inquit*, de carne et metet cor» ruptionem[5]. » Audi bonum adhortatorem commonentem : « Seminate vobis in justitia, vindemiate fructum vitæ[6]. » Ne sis negligens in laborando, spem tibi fructus ante oculos constituens : ubi enim sunt certamina, ibi et præmia; ubi

[1] Psal. XXXVI, 34. — [2] Rom. V, 3. — [3] Psal. XXXVI, 4. — [4] Galat. VI, 8. — [5] Ibid. — [6] Osee, X, 12.

bella, ibi etiam honores; ubi colluctatio, ibi quoque corona.

II. Ad hæc respiciens, ange teipsum per patientiam. Sanctis vocibus semper tecum loquere, ac dicito : « Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum [1]. » Præpara in exitum opera tua, et ad agrum tuum colendum accingere. Ager est præsens hæc vita. Pro bono ligone novum tibi Testamentum sumito. Sepi agrum ac fundum tuum spinis, jejunio, oratione atque doctrina : si hoc munitus sis sepimento, non te fera invadet fraudulenta, Diabolus, inquam. Vineæ pulchræ instar, animam tuam excole : et sicut vinearum custodes manu pulsant ac voce clamitant, iisque fragoribus insidiatores arcent; ita et tu clama oratione, jubila cantu psalmodiæ, et fraudulentam fugabis bestiam vulpem, hoc est Diabolum, de quo dicebat Scriptura : « Capite nobis vulpes parvulas [2], » et reliqua. Observa semper inimicum, si forte absurda cor tuum confixerit concupiscentia : si animum tuum quasi funda petierit, et in eum cogitationes immundas injecerit, resiste, et oppone ei scutum fidei; indue te galea spei; extrahe gladium Spiritus, quod est verbum Dei, et sic armatus adversus hostem, sustine : et ne sis in bello negligentior, sed sobrium atque vigilantem te præbe in omnibus, et dicito : Non enim ejus ignoramus consilia. Gaude autem in Domino semper, sicut scriptum est : « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus [3]. » Timor Dei versetur in corde tuo. Ne timidus sis atque ignavus, ac piger operarius. Ne fugias coronam. Tempus breve est, sed judicium longum : ad quæ respiciens, o monache, admone cor tuum, et cum sancto illo loquere, ac dicito : « Viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum [4]. » Imitare David, et uno jactu lapidis prosterne adversarium : assistunt enim Angeli

[1] Psal. XXVI, 14. — [2] Cant. II, 15. — [3] Philip. IV, 5. — [4] Psal. XXVI, 14.

spectatores vitæ tuæ; quoniam « spectaculum facti sumus » mundo, et Angelis atque hominibus [1]. » Si te victorem viderint, gaudebunt; at si victum, cum id sufferre nequeant, tristes recedent. Gaudebunt super te dæmones.

III. Pro framea igitur ac gladio, timorem apprehende Domini : nam timor Dei velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam pravam excidens. Semper ergo mente Deum timoremque ejus sumito, memor semper novissimi illius diei, quando cœli ardore ignis solventur, et terra cum omnibus operibus quæ in ea sunt comburetur; quando astra tanquam folia decident, sol et luna tenebris obscurabuntur, neque dabunt lumen suum; quando apparebit Filius Dei, et de cœlis in terram descendet, cœlorumque Virtutes commovebuntur; quando Angelorum discursiones, vocesque tubarum supervenient : ignis in conspectu ejus ardens atque percurrens, exuret totum orbem; in circuitu ejus tempestates maximæ, terræque motus horribiles, ac fulgura, qualia nunquam evenerunt neque fient usque in diem illum, ut et vel ipsæ Virtutes cœlorum tremore magno corripiantur. Nos igitur quales oportebit tunc esse, fratres mei, cujusmodi nos timor ac horror invadet? Perpende Israëlitas in eremo, quomodo caliginem atque obscuritatem, clangoremque tubarum ac vocem ipsius loquentis Dei in medio ignis perferre nequiverint; sed operam dabant ne Dei vox atque oratio ad illos accederet : non enim ferebant in veritate quod peragebatur, tametsi neque cum horrore descenderat, neque cum ira alloquebatur ipsos, sed omni potius consolatione certiores eos reddebat esse cum illis Deum.

IV. Audi ergo, frater : si neque cum consolatione valuerunt sufferre adventum ejus, quando nec cœli incensi igne soluti sunt, nec terra cum his quæ in ipsa sunt exusta;

[1] I Cor. IV, 9.

neque tubæ dederunt sonum, sicut ventura illa tuba resonabit, excitabitque cunctos qui a sæculo dormierunt; neque ignis devoravit universum mundum; neque quis alius rerum futurarum obvenit terror, et non potuerunt tolerare : quid, obsecro, facturi sumus quando in furore et ira intolerabili descendet, sedebitque in solio gloriæ suæ, omnemque terram ab ortu solis usque ad occasum et cunctos fines orbis advocabit, ut dijudicet populum suum, reddatque singulis juxta opera sua? Hei mihi! quales et quo animo tunc oportebit nos esse, quando nudi ibi apparebimus, prodituri ad horrendum illud tribunal? Hei mihi! ubi tunc procacitas ac petulantia? ubi tunc carnis fortitudo; ubi pulchritudo fallax atque inutilis? ubi tunc humana voluptas? ubi tunc impudens inverecundaque audacia? ubi tunc ornatus vestium? ubi tunc voluptas peccati vere immunda et sordida? ubi tunc qui masculorum stercora in voluptate ponunt? ubi tunc eorum negligentia qui in desidia hic vitam transegerunt? ubi tunc deliciarum illecebræ? Cuncta illa præterierunt, et mollis aëris instar dissoluta sunt. Ubi tunc avaritia, et rerum terrenarum cupiditas, quæque ex ipsis oritur immisericordia? ubi tunc immanis superbia, quæ cuncta despicit seque solam æstimat quid esse? ubi tunc inanis ac vana hominum felicitas et gloria? ubi tunc potentia? ubi tunc tyrannis? ubi princeps, ubi dux, ubi magistratus? ubi qui in opibus, ubi qui in multitudine gloriabantur divitiarum suarum, et Deum contemnebant? Tunc aspicientes vere mirabuntur, conturbabuntur, commovebuntur, tremor apprehendet eos : *ibi dolores ut parturientis,* in spiritu vehementi tunc conterentur. Ubi tunc sapientia sapientium? ubi vanæ eorum astutiæ? Væ, væ ipsis! « conturbati sunt, et moti sunt sicut ebrius a vino; » et omnis sapientia eorum devorata est [1]. » Ubi tunc sa-

[1] Psal. CVI, 27.

piens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi vanissimi? Peribit omnis sapientia, mi frater.

V. Expende igitur quales et quo tunc animo oporteat nos esse in reddenda ratione omnium, tam parvorum quam magnorum, quæ egimus, usque ad minimum : nam et de verbo otioso rationem reddituri sumus justo Judici. Quales oportebit esse nos, ut gratiam illa hora coram ipso inveniamus? At vero quo nos gaudio afficiemur, si ad dexteram Regis separabimur? Cujusmodi nos tunc oportebit inveniri, quando nos justi amplectentur ibi? amplectentur, inquam, te ibidem Abraham, Isaac et Jacob, Moyses, Noë, Job, David, sanctique Prophetæ, Apostoli ac martyres, et quotquot sancti Deo in vita complacuerunt; et quoscumque modo contemplari velles, ibi venient ad te, et amplexabuntur te, super salute tua gloriantes. Quales nos esse tunc necesse erit? quale illud erit gaudium atque ineffabile quod capiemus, quando Rex iis qui a dextris erunt cum hilaritate dicet : « Venite, benedicti Patris mei, » possidete paratum vobis regnum a constitutione sæculi[1]. » Tunc, mi frater, accipies regnum decoris et diadema speciei[2] de manu Domini, et de cætero cum Christo regnabis; tunc hæreditate percipies illa bona quæ Deus præparavit diligentibus ipsum : tum porro securus eris, nulloque amplius pavore perfunderis. Recogita, mi frater, cujusmodi sit in cœlis, sicut ante diximus, regnare : accipies enim diadema de manu Domini, et de cætero cum Christo regnabis.

VI. Recogita, mi frater, quale sit Dei perpetuo frui aspectu; quale sit ipsum datorem luminum possidere! Tunc enim non ultra tibi erit sol in lumine diei, sicut ait Esaias, neque ortus lunæ illuminabit noctem tuam : sed erit tibi Dominus lux perpetua, Deus gloria tua. Ecce, frater mi,

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Sap. v.

quanta gloria reposita sit timentibus eum, custodientibusque mandata ejus, jam audisti : postea vero, peccatorum quoque exitium cogita, quando ad tremendum introducentur tribunal; quanta eos coram justo Judice confusio tunc apprehendet, nullam habentes excusationis suæ viam; quanta eos, cum ad sinistram Regis segregabuntur, verecundia corripiet; quantæ in eos tenebræ irruent, quando in ira sua loquetur ad eos, et in furore suo conturbabit ipsos, dicens : « Discedite a me, maledicti, in ignem æter» num, qui præparatus est Diabolo et angelis ejus [1]. »

VII. Heu! heu! quanta pressura et angustia spiritus afficientur, quando supervenerit clamor omnibus audientibus : « Convertantur peccatores in infernum; omnes gentes » quæ obliviscuntur Deum [2]! » Heu! heu! quas voces inter lamenta gemitusque emittent, quando abducentur amarissime cruciandi in æternum! Heu! qualis est locus ille clamoris atque stridoris dentium, tartarus appellatus, quem et ipse horret Satanas? Heu! qualis est gehenna ignis inextinguibilis? Heu! qualis est non dormiens et venenatus ille vermis! Heu! quam graves sunt tenebræ illæ exteriores, æternæ, et in æternum permanentes? Heu! quales sunt angeli tormentis præpositi, immites atque immanes, qui in suppliciis illis jugiter conviciando exprobrant, et graviter admodum increpant? Tunc qui in tormentis reperientur, intentis vocibus clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos : tunc intelligent sibi res vitæ hujus omnes inanes evenisse; et quæ hic videbantur dulcia, felle quovis atque veneno acerbiora. Ubi tunc falsi nominis voluptas peccati, cum non sit alia voluptas, quam timere Dominum? In hoc vere voluptas est; istud vere tanquam ex adipe et pinguedine animam replet. Tunc damnabunt seipsos, et opera quæ fecerunt; tunc confitebuntur judicium Dei esse jus-

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Psal. ix, 18.

tum, dicentes : Audiebamus enim hæc, et a pravis nostris actionibus noluimus recedere. Sed tunc nihil profuerit ejusmodi commemorare. Hei, hei mihi peccatis incomparabilibus prægravato! nam super numerum arenæ maris peccavi, et ab iis, velut a multis ferreis catenis, incurvor : non enim audeo sursum intueri altitudinem cœlorum.

VIII. Ad quem igitur confugiam, nisi ad te, benignissime, idemque clementissime? « Miserere mei, Deus, secundum » magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem » miserationum tuarum dele iniquitatem meam [1]. » Ad te confugio propter multam bonitatem et clementiam tuam. Ad iracundiam te provocavi, et ad te ob magnam misericordiam tuam recurro. Te aspernatus sum, et ad te propter summam tuam benignitatem confugio, et obsecrans clamo : « Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates » meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum » rectum innova in visceribus meis [2], » propter nomen tuum solum. Nihil enim quod tibi offeram habeo, non opus bonum, neque cor mundum : verum miserationibus tuis confisus, me ipsum projicio, ut me ad compunctionem adducas, et ad perseverantem mandatorum tuorum observationem : ne iterum facile in peccatum relabar, sed ex hoc tempore serviam tibi in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ meæ.

IX. Obsecro ergo vos, fratres, ut ista expectantes, studeamus immaculati et irreprehensibiles ei inveniri in pace. Quando prava aliqua tibi supervenerit cogitatio, hunc gladium extrahe; id est timorem Dei recogita, omnemque fortitudinem confringes inimici. Loco autem tubæ divinas Scripturas adhibe : quemadmodum enim tuba sonans congregat milites; sic et divinæ Scripturæ clamantes, cogitationes nostras congregant ad timorem Dei : sunt enim co-

[1] Psal. L, 1. — [2] Ibid. 11, 12.

gitationes nostræ militum instar, resistuntque adversariis Regis. Et rursus, quemadmodum tuba, belli tempore sonans, strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat; ita et divinæ Scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborantque. Idcirco, mi frater, quantum potueris, vim tibi infer, quo frequentius in iis verseris, ut cogitationes tuas congregent, quas inimicus invento suo maligno dispergit improbas suggerens, vel etiam tribulationes sæpe inferens, aut res secundas ac lætas exhibens : hæc quippe sua calliditate ac dolo operatur, ut hominem a Deo alienum reddat. Cum enim aliquem cogitationibus lædere atque dejicere nequiverit, tum tribulationibus eum afflicit, ut mentem illius obscuret, occasionemque superseminandi reperiat quæ voluerit; incipitque tunc suggerere monacho cogitationes ejusmodi, ac jurejurando dicere : Ex quo bonum operari cœpi, malos dies experior : faciamus igitur mala, ut rursus eveniant bona. Tunc nisi quis sobrius inveniatur ac vigil, devorabit eum, tanquam infernus viventem. Quod si neque per ejusmodi nocere ei potuerit, tunc prospera affert ei, et in superbiam elevat ipsum, fraudemque multiplicem subministrat eidem cunctis malis intolerabiliorem atque deteriorem : hæc enim est, quæ superbum et insipientem reddit hominem; hæc in profundum voluptatum mentem detrahit; hæc in cœlum facit ponere os blasphemiæ : scriptum est enim : « Et posuit in cœlum os » suum [1]. » Hæc hominem ignorare facit Deum; atque adeo ne imbecillitatem quidem propriæ naturæ cognoscere, neque cogitare diem mortis possit. Hæc autem omnium malorum est via, per quam qui gaudet incedere, in penetralia mortis perveniet. Hæc est via de qua Christus dixit : « Lata » et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem [2]. »

[1] Psal. LXXII, 9. — [2] Matth. VII, 13.

X. Ecce audisti, mi frater, quare inimicus nunc quidem prosperitates, interdum angustias adhibeat : in quod enim inclinatiorem hominis animum viderit, eo adversus illum inique se armat. Quapropter, mi frater, sobrium te præbe ac vigilantem solerter, operamque da semper ut lectioni divinarum Scripturarum adhæreas, quæ te doceant quomodo effugere oporteat laqueos inimici, et vitam æternam assequi : nam sacrarum Scripturarum lectio mentem vagabundam contrahit et colligit, donatque in Deum cognitionem; scriptum est enim : « Vacate, et videte quo- » niam ego sum Deus [1]. » Audis, frater, quod Dei scientiam accipiat qui simplici veroque corde divinis vacat Scripturis? Idcirco, mi frater, vide ne negligas animam tuam; sed lectioni ac precibus sedulo incumbe, ut mens tua illuminetur, fiasque perfectus et integer, in nullo deficiens. Gloriantur alii de magnatum principumque ac regum familiaritate atque colloquio : at tu coram Angelis Dei gloriare, colloquens, et cum Spiritu sancto per sacras litteras conferens; nam Spiritus sanctus est qui loquitur per eas. Da operam igitur ut divinarum Scripturarum lectionem familiarem tibi reddas, et persistas in oratione : quotiescumque enim per eas Deum interpellas, toties tibi corpus sanctificatur et anima.

XI. Hoc ergo cognoscens, mi frater, cura ut frequentius eas verses. Et licet labores manibus, mente ora : nam et beata Anna, mater prophetæ Samuelis, orabat, et labia ejus tantummodo movebantur : oratio autem ipsius in aures Domini Sabaoth introivit, concessaque est ei petitio sua. Ideo, frater charissime, licet manus occupatas teneas, mente tamen ora. Quod si legere forte nescias, adhibe eum a quo audire queas, atque proficere; scriptum quippe est : « Si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus os-

[1] Psal. XLV, 11.

» tiorum illius exterat pes tuus [1]. » Hoc enim conducit, frater, non solum scientibus quid legant, sed et ignorantibus; nam multi sunt legentes, sed quæ legunt non intelligunt. Vide ergo, o monache, ne donum Dei quod in te est negligas, quod gratis tibi a Christo est collatum. Sed stude, et inquire quomodo placere possis Deo, ut beatitudine sanctorum perfruaris; scriptum est enim : « Beati qui scrutan» tur testimonia ejus, in toto corde exquirent eum [2]. » Vide ne te interrumpat inimicus, cum volueris legere, tædium tibi afferens, teque in mentis distractionem conjiciens, ac dicens : Fac primum rem istam, quoniam et exigua est; sicque postmodum securior leges. Quando enim suggerit ejusmodi, simul inducit te ad opus manuum prompte peragendum; hæc autem omnia suggerit, ut te a lectione abducat et impediat. Cum enim hominem viderit Diabolus studiose et cum utilitate legentem, ejusmodi occasionibus aliisque variis impugnat eum, studens ipsum impedire. Tu ergo ne parueris ei, sed esto quasi cervus sitiens desideransque adire fontes aquarum, id est sacras Scripturas; ut ex iis bibas, refrigeresque sitim tuam variis te morbis adurentem. Bibe simul et illam quæ inde ad te manat, utilitatem.

XII. Illuc vero mea spectat oratio, ut quando tibi donaverit earumdem intelligentiam Dominus, ex iis verbum quod tibi utile sit ne te prætereat; sed ingenio ac mente tua meditaberis illud, inscribesque cordi tuo, et memoria tua istud conservabis indelebile; sicut scriptum est : « In justi» ficationibus tuis meditabor [3]. » Rursusque ait : « In corde » meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi [4]. » Et iterum : « In quo corriget adolescentior viam suam? in cus» todiendo sermones tuos [5]. » Vides, frater, quod in recordatione verbi ejus corrigit homo viam suam? Quis enim recordatur verborum ejus, et non corrigit; nisi sit ille plane

[1] Eccli. vi, 36. — [2] Psal. cxviii, 2. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 9.

reprobus, et miserrimus, nihil prorsus cogitans? quin et quorum videtur sibi recordari, obliviscitur. Tali enim homini dicit Deus : « Quare tu enarras justitias meas, et assu» mis testamentum meum per os tuum[1]? » Jubet ergo auferri ab ipso etiam quod videtur habere; videtur enim talis habere fidem, per quam et se christianum appellat, sed operibus eam negat, et est infideli deterior : ideo auferri ab eo jubet Spiritum sanctum, quem accepit in die redemptionis, quemque videtur habere. Et fit talis homo instar fictilis vasis vini, rimam habentis, et per eam vinum deperdentis : quod quidem omnes qui aspiciunt, nescientes quid acciderit, arbitrantur plenum esse; sed re explorata, eo distillante, mox palam fit omnibus vacuum illud jacere. Ita et homo ejusmodi in die illa judicii perquisitus, inanis invenietur et vacuus : et tunc cunctis manifesta erunt quæ ad illum pertinent. Talesque sunt qui in die illa ad Regem dicent : « Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, » et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Respondensque » Rex, dicet ipsis : Amen dico vobis, nescio vos[2]. »

XIII. Vides, frater, quod nihil penitus habeat qui ejusmodi est. Tu ergo memoria tene quæ audis, et corrige viam tuam. Vide ne sinas volucres cœli descendere, et semen Filii Dei comedere; ipse enim dixit : « Semen est ver» bum, quod audistis[3]. » Abde semen in terræ viscera, hoc est, absconde verbum in medio cordis tui, ut fructifices Domino in timore tuo. Porro cum leges, studiose et accurate legas, magna cum tranquillitate atque industria percurrens versum; et non studeas duntaxat libri folia evolvere, sed, si opus fuerit, non pigeat etiam bis terve ac sæpius eumdem repetere versum, ut vim orationis intelligas. Cum autem te ad sedendum ac ad legendum, vel etiam ad alium legentem audiendum paras, Deum cumprimis ora,

[1] Psal. XLIX, 6. — [2] Matth. VII, 22. — [3] Luc, VIII, 11. Matth. XIII.

dicens : «Domine Jesu Christe, aperi aures et oculos cordis mei, ad audiendum et intelligendum sermones tuos, faciendamque voluntatem tuam : quoniam ego incola sum in terra, Domine, non abscondas a me mandata tua, sed revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. In te enim spes mea, Deus meus, ut tu cor meum illumines.» Etiam, mi frater, obsecro, sic semper Deum ora ut tibi mentem illuminet, aperiatque virtutem sermonum suorum. Multi enim decepti sunt prudentia sua judicioque confisi, et cum dicerent se esse sapientes, stulti facti sunt, non intelligentes Scripturas; incideruntque in blasphemias, et perierunt. Si ergo inter legendum occurrat tibi verbum aliquod intellectu difficile, vide ne te malignus doceat dicere intra te, quod non sic se habeat ut dicit verbum istud : Quomodo enim sic esse potest? et ejusmodi. Sed si credis Deo, crede et sermonibus ipsius, et dic ad malignum: «Vade post me, Satana : ego enim novi quod eloquia Dei eloquia casta sunt, sicut argentum igne examinatum, probatum terræ, et purgatum septuplum; nihilque in iis obliquum vel tortuosum esse, sed omnia bona his qui intelligunt, et recta his qui cognitionem inveniunt. Ego autem insipiens sum, et non intelligo. Novi tamen spiritaliter scripta esse; ait enim Apostolus, quod spiritalis sit lex.» Deinde sic reflexis in cœlum oculis dicito : «Domine, credo sermonibus tuis, non contradico, sed confido sermonibus sancti Spiritus. Tu igitur, Domine, salva me, ut inveniam gratiam coram te; ego enim aliud non quæro, Domine, nisi solum salvari, et misericordiam tuam, indulgentissime, consequi.»

XIV. Posside autem et mentis tranquillitatem atque quietem, frater, pro muro munitissimo : nam quies superare te faciet passiones tuas; tu enim de loco superiori pugnas, illæ autem de loco inferiori. Acquire igitur cum timore Dei quietem, et non nocebunt tibi quæcumque tela inimici :

nam quies cum timore Dei juncta, currus igneus est, in cœlum possessorem suum efferens. Fidem illius tibi faciat propheta Elias, qui quietem ac timorem Domini amans, assumptus est in cœlum. O quies scala cœlorum! o quies compunctionis mater! o quies peccatorum speculum, quæ homini sua scelera atque delicta ostendis! o quies quæ lacrymas nequaquam impedis! o quies mansuetudinis procreatrix! o quies humilitatis contubernalis ac socia! o quies timori Dei conjuncta, quæ menti lucem infers! o quies cogitationum inspectrix, et discretionis adjutrix! o quies omnis boni genitrix, jejunii firmamentum, et gulæ impedimentum! o quies orationis sacræque lectionis vacatio! o quies cogitationum serenitas, et tranquillitatis portus! o quies animæ securitas! o quies jugum suave et onus leve, reficiens portansque portantem te! o quies procacitatis interemptrix, et impudentiæ inimica! o quies pietatis ac religionis mater! o quies passionum carcer! o quies animæ lætitia et cordis! o quies oculorum et aurium linguæque frenum! o quies omnis virtutis cooperatrix! o quies voluntariæ paupertatis hospita et amica! o quies Christi ager fructus optimos proferens! o quies murus ac propugnaculum decertare cupientium propter regnum cœlorum! Ita, mi frater, hanc optimam tibi partem compara quam Maria elegit : hæc enim Maria quietis exemplar existit, sedens secus pedes Domini, ipsique soli adhærens; quare et eam laudavit Dominus dicens : « Maria optimam » partem elegit, quæ non auferetur ab ea[1]. »

XV. Cernis, frater, qualis sit mentis tranquillitas ac quies, cujus possessorem et ipse laudat Dominus. Hanc, mi frater, posside, et delectaberis in Domino tuo, ad pedes ejus sedens, ipsique soli vacans atque adhærens; ut confidenter dicere queas et tu : « Adhæsit anima mea post te, me sus-

[1] Luc. x, 42.

» cepit dextera tua. *Propterea* sicut adipe et pinguedine » repleatur anima mea [1]. » Hanc, quæso, partem, mi frater, tibi vindica, quovis melle dulciorem : melior enim est buccella panis in sale cum quiete ac tranquillitate, quam mensa sumptuosis instructa dapibus, cum distractionibus ac curis. Audi dicentem : « Venite ad me, omnes qui laboratis et » onerati estis, et ego vos reficiam [2]. » Reficere te cupit Dominus a curis, ab ira, a tribulationibus atque distractionibus hujus sæculi; vult te liberum esse a gravi opere atque labore laterum Ægypti; vult te in solitudinem adducere, hoc est, ad sanctam quietem, ut vias tuas illuminet columna nubis, et cibet te manna, pane scilicet tranquillitatis ac quietis; ut hæreditate percipias terram bonam, supernam nempe Hierusalem. Ita, charissime, hanc dilige ac consequere, ut delecteris in via testimoniorum Dei, sicut in omnibus divitiis. Ita, frater, quietem cum timore Dei posside, et Deus pacis erit tecum.

XVI. Obsecro vos, fratres mei spirituales ac dilectissimi, ut studeatis singulis diebus horum memoriam facere, fidei scilicet ac charitatis, spei, humilitatis; sigilloque assidue munimini orationis, et meditationis divinarum Scripturarum, atque quietis, et cæterarum virtutum : ista enim si nobiscum adsint et abunde suppetant, non otiosos neque infructuosos nos constituent in cognitione Domini nostri Jesu Christi. Nam monachus, cui hæc præsto non sunt, sed negligit salutem suam, cæcus est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum; acciditque illi, quod vero dicitur proverbio : Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti. Si enim refugientes inquinamenta mundi in cognitione Domini nostri Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt ipsis novissima pejora primis : melius quippe erat

[1] Psal. LXII, 9. — [2] Matth. XI, 28.

illis viam veritatis non agnovisse, quam post agnitam denuo retrorsum converti. Proinde, dilectissimi servi fideles, electique milites monachi, amplectamur prædictorum armaturam in cordibus nostris, eorumque quotidie absque ulla intermissione meminerimus; ut bonum certamen certare possimus, omnemque virtutem inimici conculcare, ut a superventura in filios diffidentiæ ira liberemur, inveniamusque misericordiam ac gratiam in die illa judicii coram justissimo Judice, qui reddet secundum uniuscujusque opus; cui convenit omnis gloria cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

DE ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, VII,

ALIAS

Sermo in adventum Domini, et de consummatione sæculi : et in adventum Antichristi.

I. Quomodo minimus ego et peccator Ephræm, plenusque delictis, enarrare ea potero quæ meas excedunt vires? Quia tamen Salvator noster pietate sua indoctos sapientiam docuit, perque eos fideles ubique illuminavit, et ipse linguam nostram affatim movet ad ea recensenda quæ in communem utilitatem ædificationemque et mihi dicenti, et cunctis auditoribus cedere possint : verba in doloribus facturus sum, et cum suspiriis dicam de instanti hujus mundi consummatione, impudentissimoque ac sævissimo Dracone, qui turbaturus adveniet omnem sub cœlo regionem, timorem ac pusillanimitatem, gravemque perfidiam cunctorum simul hominum pectoribus injiciens, pro-

digia quoque ac signa terroresque portendens, ut, si fieri possit, in errorem etiam ipsos inducat electos, omnesque decipiat in falsis ac mendacibus signis prodigiorumque imaginationibus, quæ ab illo fient[1]. Siquidem sancti Dei permissu, potestatem decipiendi mundum accipiet, quod impleta jam sit impietas sæculi, quodque ab omnibus et ubivis locorum pessima quæque perpetrentur. Eam igitur ob rem immaculatus Dominus spiritu erroris tentari patietur mundum propter eorum impietatem; quandoquidem sic Deo relicto, placuit hominibus adhærere maligno.

II. Magnum, fratres, tunc cunctis hominibus, maxime vero fidelibus, erit certamen in diebus illis, quando signa et prodigia in magna potestate ab ipso Dracone perficientur: quando rursus seipsum ut Deum ostentabit, formidabilibus portentis per aëra volitans, cunctique dæmones in forma Angelorum coram tyranno in aëre sublimes volitare conspicientur. Clamabit enim cum fortitudine, etiam formas immutans, ad immensum terrorem cunctis incutiendum hominibus. Quis, quæso, fratres, sic tunc reperietur mundus, et immobilis persistens, ut evidens tunc argumentum secum in animo habeat, jam sanctum unigeniti Filii Dei adventum adesse, quando inenarrabilem illam viderit tribulationem ubique super omnem animam fieri, omni prorsus solatio ac requie destitutam undique, in terra et in mari? quando universum mundum conspexerit turbatum (fugiet enim unusquisque ad montes, ut abscondatur in illorum cacuminibus), et alios quidem fame perire, alios gravissima siti, instar ceræ, liquescere, et qui eorumdem tunc misereatur nullum adesse; quando viderit quamcumque faciem lacrymis madentem, ac magno cum desiderio homines sciscitari num usque adhuc sit verbum Dei in terris? respondeaturque, nusquam: quis, obsecro, dies illos feret? quis intole-

[1] Matth. xxiv, 24.

rabilem illam sustinebit, quando viderit confusionem populorum undique ab ultimis finibus terræ venientium ad videndum Tyrannum, multosque coram Tyranno procidentes, clamantesque magno cum tremore: «Tu es Salvator noster?»

III. Tunc mare turbabitur, terra exarescet, cœli non pluent, plantæ marcescent, cunctique orientalis plagæ incolæ terrore nimio exterriti, ad partes occidentales fugient; et vice versa qui occiduas regiones inhabitant, præ timore ad loca orientalia fugam capient. Assumpta enim potestate tunc impudentissimus ille dæmonas ablegabit ad universos terræ fines, qui cunctis palam prædicent magnum jam Regem cum gloria apparuisse: Venite, et videte eum. Quis, quæso, ita adamantino est pectore, ut fortiter atque intrepide cuncta illa scandala perferat? quis, inquam, erit iste, sicut ante dixi, homo, ut eum omnes Angeli felicem prædicent? Ego quidem, o fratres Christo dilecti, et perfecti, vel sola recordatione sævi illius Draconis attonitus fio, dum animo mecum complector cogitoque futuram illam tribulationem atque angustiam quæ illo tempore cunctis obveniet hominibus; et quomodo scelestus hic Draco humano generi apparebit, maxime vero quam atrox infestusque futurus sit sanctis Dei hominibus, qui fallacia ejus portenta vincere potuerunt! Erunt enim tunc plurimi, qui Deo grati placitique reperientur, in montibus et collibus, locisque desertis, in multis orationibus planctuque immenso, salvandi: Deus siquidem sanctus, contemplans eos sic in gemitibus ineffabilibus fideique sinceritate perseverantes, commiseratione illorum ducetur, velut indulgentissimus pater, salvos eos ubi sese abdiderant conservans. Etenim impurissimus ille non cessabit inquirere sanctos quosque in terra ac mari, secum sic statuens quod deinceps super terram regnaturus sit, omnesque dominatui suo subjectos

fore: existimabitque, miser, se hora illa tremenda resistere posse, quando ad judicium venerit Dominus; ignorans interim suam ipsius imbecillitatem atque superbiam, ob quam et ipse corruet. Turbabit tamen terram, exterrebitque simul universa fallacibus prodigiis et magicis signis. Nulla tempore illo, quando Draco venerit, erit in terris requies; verum maxima tribulatio, perturbatio atque confusio, mortes atque fames in cunctis finibus terræ; siquidem ipse Dominus divino ore suo prædixit, talia non contigisse ab initio creaturæ [1].

IV. Nos autem peccatores quo pacto immensam atque inexplicabilem illam angustiam adumbrabimus, cum sic eam nobis Deus denominaverit? Figat vero hic quisque sedulo mentem suam in sanctissimis dictis Domini ac Salvatoris nostri, animadvertatque quo pacto ob necessitatem angustiamque illam intolerabilem, dies illos sua pietate ac misericordia abbreviet, nos sic adhortans, dicensque: « Orate, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato [2].» Et rursus: « Vigilate omni tempore, orantes assidue, ut digni » sitis fugere tribulationem, et stare ante Deum: tempus » enim prope est [3].» Nos interim cuncti in hac malitia permanemus, et nullatenus credere volumus. Oremus igitur assidue cum lacrymis et orationibus dies noctesque, procidentes coram Deo, ut salutem nos peccatores consequamur.

V. Si quis compunctionem cum lacrymis habeat, Dominum roget, ut effugere queamus tribulationem superventuram orbi terræ; ne omnino videat illam bestiam, neque terribilia ejus signa audiat. Erunt enim per loca fames, terræ motus, mortesque diversæ in terris [4]. Strenui sit animi oportet, qui in medio tot scandalorum suam ipsius

[1] Matth. XXIV. Marc. XIII. — [2] Matth. XXIV, 20. — [3] Luc. XXI, 36. — [4] Matth. XXIV.

salvare poterit vitam. Si enim aliquis hominum vel paulo remissior inventus fuerit, facile expugnabitur, captivusque reddetur per signa atque portenta Draconis pessimi ac dolo pleni : indignusque talis reperietur in die judicii, qui spontanea voluntate sua fidem Tyranno dedit. Multis sane orationibus et lacrymis opus erit nobis, charissimi, ut firmi atque constantes in tentationibus permaneamus. Plurima etenim sunt phantasmata atque figmenta bestiæ tunc futura : cum enim adversetur Deo, cunctos ipse molitur perdere. Ad eumdem modum se armabit Tyrannus, ut cuncti bestiæ sigillo reperiantur muniti, cum advenerit decepturus universum mundum suis signis atque prodigiis tempore suo, in consummatione nimirum sæculorum, et ita demum sibi cibum et quamcumque formam comparandi potestatem habeant : statuet autem principes populi ad istud edictum suum exequendum. Attendite, fratres, superbiam bestiæ, et machinamenta iniquitatis : quoniam a ventre initium ducet, ut quando quis cibi pressus fuerit inopia, cogatur tunc signaculum illius suscipere; nec id quidem promiscue in quolibet corporis membro, sed in dextera manu ac fronte characterem hunc impium insculpturus est : ne scilicet facultas sit homini dextera se signandi signo crucis, neque rursus in fronte ullatenus sanctum Domini nomen imprimere queat, aut gloriosam et honorandam Christi Salvatoris crucem. Novit quippe infelix ille, per impressionem crucis Domini potestatem sibi omnem ademptum iri : quamobrem signat hominis dexteram, quod ea scilicet cuncta nostra membra signemus; similiterque frontem, quod illa, candelabri in modum, lucernam lucis, hoc est, signum Salvatoris nostri in altum præferat.

VI. Restat ergo, fratres mei, horrendum cunctis fidelibus Christi amatoribus certamen; ne unquam ad horam usque mortis formident, neve torpore languescant, quando Draco

signaculum suum loco signi crucis Salvatoris imprimere conabitur, ut nulla penitus ratione nomen Domini ac Salvatoris nominetur temporibus suis; facietque hoc suæ infirmitatis conscius, pertimescens metuensque sibi propter sanctam virtutem nominis ipsius Salvatoris. Si quis enim ejus signo non fuerit notatus, nequaquam phantasmatibus illius illaqueabitur, neque etiam rursus ab hoc recedet Dominus, verum eum illuminabit trahetque ad seipsum. Oportet igitur nos, charissimi, omni studio atque diligentia nosse atque vitare hostis phantasmata. Dominus autem noster in tranquillitate nobis omnibus adveniet, ut propter nos fraudes et machinamenta bestiæ reprimat. Quamobrem sinceram firmamque Christi fidem tenentes, instabilem Tyranni virtutem deturbemus; mentem præterea constantem piamque nobis vindicemus: et ipse cum viderit se nihil posse, suam agnoscens infirmitatem, confusus a nobis recedet.

VII. Ego minimus omnium rogo vos, fratres Christi amatores, ne ignavia torpeatis, quin potius per virtutem crucis vos fortes firmosque præbeatis. Inevitabile jam certamen præ foribus est. Quare, clypeo fidei assumpto, omnes parati estote, tanquam servi fideles, non alium expectantes. Quando enim fur ille ac pessimus sævusque hostis primum suis temporibus adveniet, volens electum veri pastoris Christi gregem furari, mactare ac perdere, formam sibi veri illius Pastoris assumet. Perdiscamus, o amici, quonam amictu impudens ille serpens in terris apparebit. Quandoquidem Salvator humanum volens liberare genus, e Virgine natus est, et in habitu hominis per sanctam virtutem suæ divinitatis conculcavit hostem: unde secum ipse cogitabit dolosus de assumendo adventus ipsius habitu, quo sic nos decipiat. Etenim Dominus noster in pellucentibus nubibus, sicut fulgur horribile, co-

ruscans in terras descendet : at non sic inimicus adveniet; apostata enim erit : nascetur autem perfecte illius organum ex spurcissima muliere; non sic tamen incarnabitur : atque isto habitu amictus veniet scelestissimus ille ut fur; et ut cunctos decipere possit, se humilem simulabit atque quietum, injustitiæ osorem, aversorem idolorum, magnum pietatis æstimatorem, benignum, pauperum amatorem, speciosum ultra modum, longe placidissimum, hilarem in cunctos; supra modum autem Judæorum gentem honorabit, quod hi scilicet maxime illius expectent adventum. Atque inter hæc omnia editurus est signa, portenta, atque terrores in potestate magna. Astu doloque placere conabitur cunctis, ut cito populi amorem atque benevolentiam sibi conciliet. Munera non captabit, cum iracundia non loquetur, mœstus non apparebit, sed omnino hilaris; et sub specie religionis, quoad regnaverit, decepturus est mundum. Quando autem multi e populo ac plebe tot tantasque ejus virtutes aspexerint, ipsumque potentia adeo præstantem; cuncti pariter in eamdem sententiam descendent, summoque cum gaudio illum sibi Regem proclamabunt, dicentes ad invicem : Numquid reperiri poterit alius vir tantus, adeoque benignus ac justus? Cito autem ejus regnum erigetur, et in furore suo tres reges magnos atque potentes percutiet. Deinde supra modum corde exaltabitur, evometque Draco universam suam amaritudinem : orbem terrarum turbabit, ultimos fines terræ commovebit, affliget universa, polluet inquinabitque animas ; non amplius velut pius ac religiosus, verum prorsus per omnia austerus, durus, iracundus et excandescens, sævus instabilis, terribilis, inflexibilis, odibilis et abominabilis, immitis, improbus et impudens, qui universum mortalium genus in barathrum impietatis præcipitare studebit. Signa vero multiplicans, falso et non vere ejusmodi ostentabit. Etc-

nim astante circumcirca maxima populorum multitudine eum propter phantasmata laudantium, vehementissimam emissurus est vocem, adeo ut locus totus moveatur in quo turbæ ei assistebant, inquiens : Cognoscite, universi populi, magnam potestatis meæ virtutem. Transferet autem montes coram oculis spectantium, et insulas ex mari attollet : ficta autem ab eo erunt omnia, nihil vere fiet; sed mundum apparentibus suis portentis decipiet : et multi his credent, et ut Deum fortem ipsum glorificabunt.

VIII. Tunc vehementer omnis lugebit anima ingemiscetque : tunc omnes aspicient pressuram illam ineffabilem, qua dies noctesque prementur; neque usquam reperient ubi cibis famem sibi expleant. Siquidem præsides quidam populi, duri atque immites per loca constituentur, qui illos duntaxat paululum ciborum, eorum scilicet quales tunc invenientur, sibi coemere permittent, qui signaculum Tyranni secum in fronte vel dextera prætulerint. Tunc deficient infantes in sinu matrum; ipsæque matres vicissim super infantes morientur : pater item cum uxore et filiis in medio fori corruet mortuus, nec erit qui eos sepulturæ condat et in monumentis componat. Et præ multitudine cadaverum per plateas projectorum ingens undique fœtor ipsos viventes fortiter affliget. Mane omnes cum dolore ac gemitu colloquendo dicent : Quando adveniet vespera, ut fruamur requie ? adventante autem jam vespera, inter amarissimas lacrymas secum ita loquentur : Quando putas illucescet, ut urgentem pressuram effugiamus? nec dabitur ipsis fugiendi aut abscondendi se locus, cuncta etenim simul turbata tum erunt, mare et arida; quamobrem sic nos præmonuit Dominus : « Vigilate, et orate incessanter, ut » effugiatis a tribulatione illa [1]. » Gravis tunc fœtor in mari, fœtor in terra, pestilentiæ et terræ motus : confusio in mari,

[1] Matth. XXIV, 42. Marc. XIII, 33. Luc. XXI, 36.

et confusio super terram; terrores in mari, et terrores in terra. Auri argentique copia et vestes sericæ nulli quidquam in pressura illa proderunt : sed cuncti mortales tunc mortuos beatos prædicabunt qui sepulti fuerint, priusquam tanta in terris supervenerit tribulatio. Tunc per plateas palam projectum jacebit aurum atque argentum, nullusque erit qui tangat illud; quandoquidem cuncta tunc abominationi erunt. Verum cuncti tunc fugiendi occultandique se quærent modum, nec ullus eis e pressura illa evadendi locus patebit. Imo præter pestilentiam, pressuram metumque, feræ atque serpentes humana vescentes carne reperientur. Intus timor, extra tremor, et nocte diuque in plateis jacebunt cadavera : in plateis fœtor, in domibus fœtor; in plateis fames ac sitis, in domibus fames ac sitis; in plateis vox ululatus, in domibus vox gemitus ; in plateis tumultus, in domibus tumultus. Unusquisque alteri cum gemitu ejulatuque occurret, pater filio et filius patri, mater filiæ : amici amicos in plateis complectentes, deficient; et fratres a fratribus amplexi, mortui concident. Marcescet pulchritudo aspectus omnis carnis, reddenturque hominum facies velut emortuæ. Detestationi atque odio tunc erit pulchritudo mulierum; tabescetque omnis caro, et concupiscentia hominum.

IX. Cuncti vero qui crudeli crediderint bestiæ, impiamque illius characterem pro signaculo acceperint, simul ad ipsum accedent, cum angustia atque dolore dicentes : « Da nobis quod edamus et bibamus; quoniam ecce cuncti deficimus fame tabefacti, venenatasque a nobis depelle bestias. » Cumque non sit impuro illi quod eis dare possit, ad eos magna cum severitate respondebit : « Unde dabo vobis quod edatis et bibatis, o homines, cum cœlum terræ pluviam deneget, terraque ideo prorsus germinare ac fructificare nequeat? » Quibus auditis, populi ingemiscent flebunt-

que, inter tot angustias omni penitus solatio destituti: addeturque ipsorum afflictioni afflictio verbis non exprimenda, quod ita se promptos ad Tyranno credendum exhibuerint. Cum ille infelix ne sibi quidem ipse opitulari queat, quomodo ergo ipsorum miserebitur? In diebus illis erit pressura magna præ tribulatione quam Draco inferet, et præ timore, ac terræ motu, sonituque maris, et fame, ac siti, morsuque ferarum. Quicumque enim signaculum Antichristi acceperint, ipsumque ut Deum optimum adoraverint, partem in regno Christi non consequentur, sed cum Dracone projicientur in gehennam. Felicem illum qui repertus fuerit sanctus et fidelis, spemque firmam fixamque in Deum habens; quoniam facillime hic evadere poterit omnes ipsius tentationes, tormenta atque phantasmata.

X. Cæterum priusquam ista fiant, mittet misericors Dominus Eliam Thesbiten, et Enoch, qui palam humano generi pietatem prædicent, edicantque cunctis ne Tyranno ob timorem credant, clamantes atque dicentes: «Seductor hic est, o homines: nullus illi prorsus credat, aut obtemperet impio: nullus vestrum terreatur; citissime enim destruetur. Dominus sanctus jam ecce de cœlo adveniet, judicaturus omnes illos qui signis ejus crediderint.» Quanquam pauci tunc reperientur qui illorum Prophetarum dictis sint obtemperaturi. Hæc autem omnia facturus est Salvator, ut cunctis ostendatur ejus infinita clementia: quandoquidem nec illo tempore mortalium genus est destituturus prædicatione veritatis, ut omnes in die judicii reperiantur inexcusabiles. Plurimi porro sanctorum, qui tunc reperientur cum impurus ille advenerit, profusi lacrymarum fluminibus, gementes et flentes ad Deum sanctum recurrent, ut a Dracone illo liberentur; confugientque maximo cum studio ad deserta, et occultabuntur metu perculsi in montibus et speluncis, capitibusque suis terra ac cinere conspersis, in

maxima cordis humilitate die noctuque orabunt. Donabiturque illis a Deo sancto quod orantes petierint; deducetque eos gratia ipsius ad loca definita, et salvabuntur occultati in cavernis et speluncis, ne Antichristi signa atque terrores conspiciant : et iis quidem qui cognitione atque intelligentia illustrati fuerint, continuo innotescet Antichristi adventus; qui vero mentem in terrenis rebus defixam habuerint, etsi audient, non tamen credent, sed dicentem aspernabuntur. Atque hujus rei gratia prævalebunt sancti, quandoquidem curam omnem sæculi abjecerunt.

XI. Lugebit tunc omnis terra et mare; lugebit aër cum feris bestiis et volatilibus cœli; lugebunt montes et colles et ligna campi; lugebunt quoque luminaria cœli propter genus mortalium, quoniam omnes declinaverunt a Deo sancto, et seductori crediderunt, pro vivifica Salvatoris cruce characterem impuri Deoque adversarii assumentes; lugebit terra ac mare, quia vox psalmi et orationis repente cessavit de ore hominum; lugebunt Ecclesiæ Christi universæ luctu maximo, eo quod amplius non offeratur divina et sancta oblatio. Postquam ergo tria tempora cum semi impleta fuerint potestatis et operationis scelesti illius, consummatisque jam scandalis omnibus totius terræ, quemadmodum Dominus prænuntiavit, veniet de cœlo sicut fulgur coruscans, Sanctus, immaculatus, terribilis et gloriosus Deus noster cum gloria incomparabili, præcurrentque ante gloriam ejus Angeli et Archangeli, flammæ ignis, et fluvius igne plenus terribili cum eruptione exæstuans; Cherubim quoque vultum deorsum inclinatum tenentia, et Seraphim volantia, alisque igneis facies pedesque occultantia, et cum tremore clamantia : « Surgite qui obdormistis, ecce jam » venit Sponsus [1]. » Tunc aperientur monumenta, et in ictu oculi excitabuntur omnes tribus, aspicientque sanctam

[1] Isai. VI, 26, et XXVI, 13.

Sponsi pulchritudinem[1] : et millia millium et decies centena millia Angelorum et Archangelorum, innumeræ militiæ, gaudebunt gaudio magno; sancti quoque ac justi, et quotquot non acceperunt signaculum impuri impiique Draconis. Abduceturque Tyrannus vinctus ab Angelis una cum omnibus dæmonibus coram tribunali; et ducentur simul cum eo quotquot ejus signum acceperint, omnesque peccatores et impii ligati. Feretque adversus eos Rex sententiam damnationis æternæ in igne inextinguibili. Qui autem signaculum Antichristi non receperint, et quicumque in speluncis tunc occultati fuerint, cum Sponso exultabunt in æterno et cœlesti thalamo, cum sanctis omnibus in sempiterna sæculorum sæcula. Amen.

SERMO X.

DE JUDICIO ET RESURRECTIONE.

I. Adeste, fratres mei omnes, et me Ephræm minimum audite : cogitationemque nostram judicem statuamus, ut exploratione cordis nostri perdiscamus num, quemadmodum divinitus inspiratæ nobis tradunt Scripturæ, ita et ambulemus. Caveamus igitur Spiritum sanctum contristare, in quo signati sumus. Et quidem, si quis sibi bonorum operum fuerit conscius, gratiam, quam in humilitate ab hominum amatore Deo accepit, augere studeat. At, si peccatorum conscientia arguimur, quid est quod negligentes sumus, Christo dilecti fratres? Ecce enim pervenit ad nos, o fratres, dies terribilis, in qua lumen solis

[1] Matth. xxv, 6.

obscuratur et astra decidunt; in qua cœlum tanquam liber complicatur; in qua buccinat tuba vehementem atque formidabilem sonum emittens, cunctosque ab initio sæculi defunctos excitans; in qua ad vocem et nutum Judicis, promptuaria inferni redduntur vacua; in qua Christus in nubibus cum sanctis Angelis advenit, judicaturus vivos et mortuos, redditurusque omnibus secundum ipsorum opera.

II. Vere enim formidabilis est gloriosus Christi adventus. Res enim est plane admiratione dignissima, Christo dilecti, cernere cœlum repente discindi, et terram immutari, ac mortuos resuscitari : reddet enim terra corpus hominis quale suscepit, licet a feris discerptum, licet ab avibus comestum, licet a piscibus absorptum fuerit; non deperibit, ne capillus quidem hominis, coram Judice : Deo enim jubente, omnes incorruptibiles fiunt; corpusque ejusmodi accipient singuli, quale eorum merentur opera. Justorum corpora septuplo solis radios superabunt; at peccatorum, tenebrosa et fœtore plena invenientur : quoniam hominis corpus ipsius opera et actiones indicabit; quisque enim nostrum actiones suas in proprio gestabit corpore. Gravis siquidem nostrorum operum tunc fiet inquisitio : etenim, sive verbis, sive cogitationibus quis nostrum peccaverit, tunc ipsi apparebit; et sive bona, sive etiam similiter mala egerit, manifeste illa tunc contuebitur : quocumque enim se verterit, suas ante se actiones cernet. Quamobrem contendamus, dilecti fratres, opprobrium atque confusionem horribilem, quæ tunc cunctos consequentur peccatores, effugere; nitamurque bonorum illorum participes fieri quæ præparavit Deus omnibus justis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascenderunt; in quæ desiderant Angeli prospicere. Nam cum e cœlis Christus descenderit, statim inextinguibilis ignis ubique ante Christi

conspectum præcurret, operietque universa. Etenim quod Noë factum est diluvium, inextinguibilis hujus ignis figura extitit : quemadmodum enim tum aqua omnes montium operuit vertices, ita et tunc igne occupabuntur universa; tunc undique Angeli discurrent, rapientque sanctos omnes atque fideles cum gloria in nubibus aëris, obviam Christo.

III. Contendamus igitur, amici mei, digni illo inveniri raptu et consistere tunc irreprehensibiles omnique crimine vacantes coram tremendo illo atque formidabili tribunali. Beatus enim ille qui in nubibus Regi gloriæ occurrit, sicut contra infelicissimus est qui raptu illo privatur : qui enim sic non rapti fuerint cum gloria in nubibus, se impios peccatores esse designabunt. Ne igitur torpeamus, Christo dilecti fratres; nam ecce stadium omnibus apertum. Dum igitur tempus nobis suppetit, pœnitentiam agere studeamus, et perniciosas corporis et animæ passiones vincere. Vincamus voluptatem, sicut temperans et continens Joseph, non solum corpore, sed et mente : ita namque vir perfectus se continentiæ legibus astringit. « Qui enim viderit mulierem » ad concupiscendum eam, jam mœchatus est ipsam in » corde suo [1]. » Corporis enim actiones multis frequenter difficultatibus impediuntur, et humano metu prædicuntur : at mentis actiones absque metu perficiuntur, et sine labore. Volo dicere, fratres charissimi : sæpenumero quis vestrum lascive aspexit, et cogitationem sceleris admisit, præteriitque illico. Similis est ille capreæ spiculo transfixæ, quæ cum venatorum manus evaserit, sagittam tamen in se ipsa gestans abiit. Nam si quis nostrum impudica superatus sit cogitatione, non quidem talis jam propter Deum pudicus est : nisi enim sæpe hominum metus seu verecundia prohibuissent, corpus sane cum anima corrumpere non metuisset.

[1] Matth. v, 28.

Quare non jam ille continentiæ corona donandus erit; verum tanquam qui hominibus placere studuerit, perpetuo supplicio torquebitur, nisi pœnitentiam egerit. Porro si quis aliquando præoccupatus superatusque propria cogitatione fuerit, vulnus pœnitentia sanabit.

IV. Vitemus ergo, fratres, concupiscentiam pravam : nam hæc Evam gloria nudavit, ut unius cibi gustum appeteret. Hæc quoque diluvium in mundum induxit : viderunt enim filii Dei filias hominum, et accesserunt ad ipsas, turpiterque sunt polluti [1]. Hæc effecit ut Ægyptia casti Joseph insano amore deflagraret; verum adolescens ille divino timore plenus, aspidem secum conclusam devicit [2]. Hæc strenuum atque invictum illum Nazaræum Samsonem captivum sumpsit : qui enim olim sanguivorum leonem discerpserat, et mille viros percusserat maxilla asini, postquam concupivit cum vipera habitare, illico capilli Nazaræo defluxere, oculisque suis privatus, miserabilis atque ridiculus omnibus subito est demonstratus [3]. Similiter autem David concupiscentia victus, Uriam interemit [4]. Propter concupiscentiam Naboth etiam interiit [5]. Quin et hæc miserrimum Judam ad Christum proprium Dominum tradendum impulit [6]. Quocirca felix ille qui omnis concupiscentiæ auditus et visus, tactus et odoratus victor evaserit! et corona pudicitiæ exornatus, eam sic ad formidabile Christi tribunal portabit. Venite in idipsum, adoremus eum, paribus vocibus dicentes, Alleluia. Venite omnes, Christum glorificemus. Amen.

[1] Gen. VI. — [2] Id. XXXIX. — [3] Jud. XVI. — [4] 2 Reg. XI. — [5] 3 Reg. XXI. — [6] Matth. XXVI.

SERMO XI.

IN ILLUD : *Duo erunt in agro.*

I. Audisti quod « duo erunt in agro, quorum alter assu» metur, et alter relinquetur; duæ molentes in mola, una » assumetur et una relinquetur; et duo in domo [1], » et reliqua. Et hi quidem qui in domo, qui in sublimitate sunt constituti; ut judices, præfecti, reges, optimates : est namque judex justus, et est injustus; ac justus quidem ab igne assumetur, injustus autem relinquetur. Qui vero in agro, hoc scilicet in mundo, sunt agrestes, rudes et idiotæ, genere et opibus minimi, gloria item nominis conspicui, atque inglorii; et hi quidem justi, alii autem injusti : justi assumendi, injusti in igne relinquendi. Molentes autem sunt multitudo mulierum, vicissim vero et ipsæ animæ quæ servile sortitæ sunt jugum, et in morbo vitam terminant : sunt quippe mulieres justæ, sunt et injustæ. Sunt ægroti ac languidi justi, ut Job et Lazarus; sunt et injusti, ut Caïn et Giezi; unde ait : « Duo erunt in lecto [2], » illorum infirmitatem denotans : justi assumentur, et injusti relinquentur.

II. Sed quonam modo justi sint assumendi, dicat Paulus : « Qui vivunt in Domino, in nubibus, *inquit*, obviam Domino » rapientur in aëra, et semper cum Domino erunt [3]. » Injusti vero quo pacto relinquendi? « Congregabunt Angeli elec» tos quidem a quatuor ventis, impios autem comburent » igni inextinguibili [4]. » Ne igitur suspiceris ex lignis inextinguibilem illum supplicii ignem fore, succensoresve illius,

[1] Matth. xxiv, 40. Luc. xvii, 34, 35. — [2] Luc. xvii, 34. — [3] 2 Thess. iv, 16. — [4] Matth. xxiv, 31. Luc. iii, 17.

lictores aliquos, ut plerique imperiti vulgo arbitrantur. Ad Sodomam respice, et caminum absque lignis cerne. Cogita quomodo uxor Lot versa sit in saxum, et comminationes ignis admirare : simul enim cum Lot erat uxor, et duæ filiæ; quandoquidem neque Lot cum suis filiabus ignis conflagrationem sensit, neque ignis minas uxor effugit : sed unicuique propriam sortem justitia divina attribuit, persolvitque. Sic et in judicio assumentur justi, ut Lot; injusti vero relinquentur, ut uxor ejus.

SERMO XII.

DE JUDICIO ET COMPUNCTIONE.

I. Venite, universi fratres; consilium a me peccatore et imperito Ephræm accipite. Jam enim dies illa horrenda atque terribilis nos occupat, o fratres mei; dum nos interim, dilectissimi, vagamur animo, nolentes brevitatem temporis hujus intelligere, et sedulo curare ut Deum nobis propitium reddamus. Ecce enim dies, et anni, ac menses, instar somnii et umbræ pomeridianæ, prætereunt, ut subito tremendus ac magnus Christi adventus properet. Vere enim terribilis erit illa dies peccatoribus, ac illis qui voluntatem Dei exercere, seque ipsos salvos facere noluerint. Obsecro vos ergo, fratres mei charissimi, venite, projiciamus a nobis curam atque sollicitudinem rerum terrenarum : omnia enim prætereunt, et cuncta evanescunt. Nihil nobis in illa proderit hora, præter bona quæ hinc detulerimus opera : futurum enim est ut unusquisque nostrum propria facta ac dicta ante tremendi Judicis tribunal deferat.

II. Cor sane tremit, et renes immutantur, dum actuum

manifestatio, cogitationumque ac sermonum exacta discussio ibi fiet. Magnus timor, fratres; magnus tremor, o amici! Quis non ploret? quoniam ibi manifesta erunt quæ unusquisque in occulto et obscuro gesserit. Intelligite hoc, fratres mei, quod vobis denuntio. Atque ut studio vestro satisfaciam, frugiferas arbores pro exemplo ad confirmandum proferam, quæ ab intrinseco ipsarum principio, tempore suo poma cum frondibus edunt; non extrinsecus aliunde sua venustate induuntur arbores, sed ab interiore principio, Dei jussu, singulæ fructum, pro sua quæque natura, producunt: sic et in illa horribili die, quæcumque hominum corpora gesserint, sive bona, sive mala, palam proferent; et deferet secum unusquisque ante tremendum Christi tribunal proprias actiones tanquam frúctus bonos et jucundos, locutiones autem ut folia. Sancti fructum bonum et vegetum proferent : martyres gloriam patientiæ ex tormentis ac pœnis suis secum afferent : monachi religiosam exercitationem, continentiam, vigilias, et orationes. Homines autem peccatores, impii atque profani, ignominia luctuque ac ululatu pleni, secum eo fructus deferent turpissimos ac marcidos, vermemque non dormientem in igne inextinguibili.

III. Horrendum ibi, fratres, erit judicium, in quo etiam absque testibus cuncta erunt manifesta, opera atque sermones, cogitationes et animorum sensa; ubi etiam assistent millia millium, et decies dena millia Archangelorum et Angelorum, Cherubim et Seraphim, justorum et sanctorum, Prophetarum atque Apostolorum chori. Quid ergo torpemus et negligentes sumus, fratres charissimi? ecce nunc tempus appropinquavit, et dies nos præoccupat quo omnia nostra etiam occultissima tremendus Judex in lumen proferet. Quod si nossemus, fratres, quid nobis immineat, diu noctuque indesinenter plangeremus, Deum deprecantes

ut nos a confusione illa æternisque tenebris liberet : obturabitur enim coram tribunali illo os hominis peccatoris, et contremiscet omnis creatura; ipsaque sanctorum Angelorum agmina ob majestatem illam et gloriam adventus ejus expavescent. Quid vero in die judicii ei dicemus, si hoc vitæ tempore adeo negligentes fuerimus, fratres? ipse enim patienter nos expectat, et omnes nos ad suum regnum invitat. Rationem etiam a nobis de tanta brevis hujusce vitæ negligentia exquiret; dicetque ad nos ipse : « Propter vos incarnatus sum, propter vos in terris palam incessi, propter vos flagellatus sum, propter vos virgis cæsus sum, propter vos crucifixus sum, exaltatus in ligno; propter vos terrenos aceto potatus sum, ut vos sanctos atque cœlestes redderem. Regnum meum donavi vobis. Omnes vos meos vocavi fratres : Patri vos obtuli : Spiritum misi vobis. Quid amplius his mihi fuit agendum, quod non egerim, ut salvemini? Tantum liberam vestram voluntatem nolo cogere, ne saluti vestræ vis ac necessitas imponatur. Jam dicite, peccatores et natura mortales, quid vos propter me Dominum vestrum perpessi estis, cum ego pro vobis sim passus? Ecce ergo præparatum vobis est regnum et vita, requies et gaudium, supplicium item æternum in tenebris exterioribus. Quam quisque maluerit incedere viam, eo pergat : in libera uniuscujusque positum est voluntate. »

IV. Venite omnes, procidamus coram ipso, et ploremus coram Domino qui fecit nos, dicentes : « O Domine, hæc omnia tu Deus propter nos sustinuisti; at nos peccatores multarum miserationum tuarum immemores sumus. Quid igitur peccatorum genus tibi incomprehensibili, benignissimo et misericordi Deo retribuet? Qui gratia tua universum terrarum orbem illuminasti, quique cæci ex utero nati oculos aperuisti, illumina quoque cordis nostri oculos, ut te diligamus, Domine, et cum desiderio tuas jugiter volun-

tates perficiamus. Ecce calix tremendi tui sanguinis lumine ac vita plenus est. Intelligentiam nobis lumenque largire, ut cum fide et desiderio ac sanctificatione ad ipsum accedamus, sitque nobis in remissionem peccatorum, et non ad judicium. » Qui enim anima indigne ad divina mysteria accesserit, seipsum condemnat, non purificans se ut Regem in thalamum suum suscipiat : est enim nostra anima sponsa sancta immortalis Sponsi; nuptiæ autem sunt divina sacramenta, quæ in sancta anima comeduntur et bibuntur. Attende itaque tibi ipse, thalamumque tuum jugiter immaculatum custodire, et cœlestem sponsum Christum Regem suscipere contende, ut in die adventus sui mansionem apud te una cum Patre suo faciat; eritque laus tibi coram sanctis Archangelis, ingredierisque in paradisum magna cum gloria et gaudio. Quid enim a te quærit Deus præter salutem tuam, o frater? Si vero neglexeris, et salvari nolueris, rectasque vias Domini non ambulaveris, et mandata ejus non custodieris, teipsum interimes et ex cœlesti thalamo ejicies. Deus sanctus, qui solus est absque peccato, propter te proprio non pepercit Filio; et tu, infelix, tui ipsius non misereris!

V. Expergiscere igitur parumper a somno tuo, o vilis atque abjecte homo : aperi os tuum, et invoca eum; ora assidue, lacrymas indesinenter funde; segnitiem atque ignaviam fuge; ama mansuetudinem, dilige continentiam, sectare quietem, meditare psalmodiam : dilige Deum ex tota anima tua, sicut et ipse te dilexit; esto Dei templum, et in te excelsus Deus habitabit; nam anima quæ in seipsa Deum habet, templum Dei sanctum et mundum efficitur; habitante enim Deo in anima, Angeli cœlestes super ea lætantur, festinantque honorare illam, utpote templum Domini sui effectam.

VI. « Beatus vir qui te ex toto corde dilexerit, mundumque et quæcumque in eo sunt detestatus fuerit; ut te solum

Dominum sanctissimum, pretiosam margaritam, ac vitæ thesaurum possideat! » Si quis ita Deum sincere diligit, nequaquam in terris ejus est cogitatio; sed sursum semper, ubi et diligit, et sitit, ut perfruatur. Inde dulcedinem sentit, inde illuminatur, inde perpetua dulcedine amoris Dei satiatur. Sed quis, putas, amorem Dei digne explicare poterit? Paulus Apostolus, qui gustavit eum et satiatus est ex eo, proclamat et dicit : « Neque altitudo, neque profundum, » neque vita, neque mors, neque Angeli, neque Principa» tus, neque Potestates, neque creatura alia, neque quæcum» que alia simul, poterunt a charitate Dei separare animam » quæ gustavit dulcedinem ejus [1]. » Ignis immortalis est charitas Dei, quæ a terris sustollitur, et terrena quæcumque odio habet. Et hoc ipsum nos docent sancti martyres, qui eam gustaverant et illa se expleverant. Delicatum ac molle vinculum est charitas Dei, et tamen gladius anceps eam scindere non potest : dissecuerunt tyranni membra sanctorum, charitatem autem eorum nequaquam dissecare potuerunt. O molle ac dulce charitatis Dei vinculum! gladius eam non discidit, neque ignis extinxit; submersio, vincula suppliciaque illam in profundum demergere nequiverunt. Quis ergo non admiretur, aut quis non desideret hanc charitatem? nam et hanc Deus Ecclesiæ suæ charitatem donavit, ut ea semper exornetur. Hæc pignus Dei est in anima, columna et firmum in sancta anima fulcimentum. Hæc rursus charitas unigenitum ad nos Filium attraxit : per hanc charitatem paradisus apertus est; per hanc charitatem ligatus est Fortis; per hanc charitatem anima facta est sponsa Sponsi immortalis, ut ejus decore illuminetur : propter hanc charitatem passus est Sponsus impassibilis et purissimus. Nam si anima extra hanc charitatem fuerit, non complacebit sibi in ipsa cœlestis Domi-

[1] Rom. VIII, 38, 39.

nus : omnino autem voluntatem ejus cogere non vult Deus, et ob id suæ eam libertati reliquit, ut semper agat sicut ipsa voluerit. Quis igitur digne poterit suffeceritque glorificare et collaudare Deum Salvatorem ob tantum donum, quod ab ejus gratia cuncti accepimus? Gloria et adoratio ejus benignitati.

VII. Audite, fratres, bonum consilium tenuitatis meæ; studeamusque semper, donec tempus habemus, caste ac Deo digne conversari, ut Spiritus sanctus habitet in nobis, et charitas Dei abundet in nobis, quo ejus semper voluntatem perficiamus. Ne aliam habeamus sollicitudinem, fratres, præter hanc solam, quomodo scilicet anima nostra in lumine inveniatur : ne vinciamus constringamusque illam ullis rebus terrenis, aut sollicitudinibus possessionum et pecuniarum; verum exornemus eam orationibus et jejuniis, vigiliis et lacrymis, ut quantulamcumque fiduciam anima coram tribunali tremendi Judicis inveniat, quando omnes animæ cum timore ac tremore assistent; quando electi ibi separabuntur a peccatoribus; quando stabunt oves a dextris, et hædi a sinistris. Certo scitote, fratres, quod in proximo est adventus Domini, ut reddat unicuique secundum opera sua : sanctis quidem et electis suis requiem in luce perpetua; peccatoribus autem, qui eum exacerbaverunt, supplicia atque tormenta. Beatus homo qui in illa hora fiduciam invenerit, audieritque vocem illam dicentem : « Venite, benedicti Patris mei, possidete cuncti » electi regnum meum. [1] »

VIII. Tunc videbit unusquisque seipsum in lumine, consideransque seipsum, cogitabit ac dicet : Numquid ipse ego sum? et quomodo hic repertus sum ego vilis et indignus? Tunc Angeli accedentes cum gaudio magno glorificabunt sanctos, enarrabuntque eis ipsorum conversationem, vitam-

[1] Matth. xxv, 34.

que religiosam, continentiam, vigilias et orationem, paupertatem voluntariam, perfectam omnium rerum nuditatem, in siti patientiam, in fame tolerantiam, in oratione perseverantiam, in nuditate lætitiam : quæ omnia ob perfectam in Christo charitatem pertulerunt; atque ista magno cum gaudio sanctis prædicabunt. Justi autem vicissim Angelis respondebunt dicentes : «Omnino quandiu in terris viximus, ne unam quidem diem in recte factis transegimus, aut ullum opus bonum fecimus.» Quibus rursus Angeli in memoriam revocabunt locum ac tempus : et seipsos admirantes, glorificabunt Deum, aspicientes corpora sanctorum super luminis claritatem in cœlo fulgentia, quod in terris voluntarie afflicti sint : « thesaurum enim in agro absconditum invenerunt, venditisque omnibus super terram, illum acquisiverunt [1]; » suaque patientia pretiosam apud se margaritam occultaverunt, vestemque immaculatam compararunt. Modicus est labor exercitationis, fratres; at requies maxima : exiguo durat tempore labor continentiæ; sed requies ejus in paradiso deliciarum permanet in sæculum sæculi. Si quis forte sibi conscius sit quod peccaverit Deo, et intentione atque proposito animi laxato sponte deliquerit, quandiu tempus suppetit, ex affectu lacrymas fundat, jugiterque plangat, ut lacrymis suis divinam cordi suo gratiam conciliet. Possideat compunctionem, lavet corpus suum lacrymis atque singultibus. Ingens est vis lacrymarum, fratres, plurimumque valent lacrymæ quæ secundum Deum sunt, quando quis Deum orans corde illustratur.

IX. Volo igitur vobis, fratres, virtutem atque potentiam lacrymarum explicare. Anna per orationem accepit Samuelem prophetam in exultationem et gloriam cordis sui. Mulier quoque peccatrix, in domo Simonis, a Domino, lacrymis sanctos ejus rigando pedes, veniam ac remissionem

[1] Matth. XIII, 44.

consecuta est peccatorum. Compunctio, fratres, sanitas est animæ, remissionemque peccatorum nobis conciliat. Compunctio, fratres, unigenitum Dei Filium in nobis habitare facit, dum eum desideramus ac quærimus. Compunctio, fratres, Spiritum sanctum ad animam invitat et attrahit. Certo scitote, fratres, non esse in terris quid dulcius gaudio quod ex compunctione oritur. Putatisne vos lacrymarum habere experientiam, o fratres? numquid quis vestrum ab illo lacrymarum gaudio, quod secundum Deum est, illuminatus reperitur? Si quis vestrum expertus lacrymarum dulcedinem, mediante oratione desideraverit elevari e terris, in hora illa totus hic extra corpus fertur, extra sæculum universum totus est, nec amplius conversatio ejus invenitur in terris : talis quippe cum ipso Deo colloquium habet, et in Christo illuminatur. Magnum sane miraculum, fratres, quod terrenus homo in oratione sua cum Deo sermones conferat. Sanctæ ac puræ, quæ secundum Deum sunt, lacrymæ semper animam a peccatis abstergunt, eamque ab iniquitatibus expiant. Lacrymæ secundum Deum fiduciam jugiter ad ipsum Deum præbent : nec prævalent unquam cogitationes sordidæ appropinquare animæ compunctionem cordis secundum Deum semper habenti. Quid ergo hac dulcedine potest esse sublimius? quid ista beatitudine desiderabilius? cum anima ipsum Deum in oratione contemplatur? Quando enim anima Deum desiderat, o fratres, semper eum sua precatione intuetur, ipsumque meditatur die ac nocte.

X. Thesaurus securus est compunctio cordis, gaudioque ineffabili exultat anima compunctionem habens. Compunctionem autem dico, non unius tantum diei, sed quæ noctu diuque et usque in finem perseverat. Fons est purissimus compunctio cordis, fructuosas animæ plantas irrigans : dico autem fructuosas plantas, opera bona atque virtutes, quæ

assidue lacrymis precibusque irrigantur. Quare fructuosas speciosasque plantationes in anima tua semper plantare contende, easque lacrymis et orationibus irriga : plantæ enim lacrymis precibusque irrigatæ, uberrimos fructus proferunt, electos animæque utilissimos. Speciosæ sint plantæ tuæ, o frater, mixtas lacrymis preces fundens, ut sic irrigatæ crescant, fructumque proferant de die in diem. Noli imitari hominem desidiosum et peccatorem, semper dicentem et nunquam facientem : qui ex proposito negligens est, nec puram orationem nec cordis compunctionem habens ; qui agnoscit seipsum semper peccatorem, semperque futurorum supplicium reformidantem, nullamque excusationem pro delictis negligentiæ suæ habentem.

XI. Quapropter vos obsecro, fratres mei sancti, qui Deum timetis et quæ illi sunt placita semper facitis ; intercedite apud ipsum pro me misero, ut veniat super me gratia ejus propter vestras orationes, salveturque anima mea in tremenda et magna hora illa, quando venerit Christus, ut reddat unicuique secundum opera sua. Gloria soli Deo, immortali, sancto, immaculato atque tremendo, bono et misericordi, qui linguam nostram movet redditque expeditam sua gratia ad dulciter canendum verba judicii, et charitatis atque compunctionis, in ædificationem animæ, illuminationem cordis, mentisque utilitatem ; ut omnis anima horum meditatione atque dulcedine ad vitam trahatur æternam. Amen.

SERMO XIII.

DE RESURRECTIONE ET JUDICIO, ET DE REGNO CŒLORUM, ET MUNDITIA ANIMÆ.

I. Gloria omnipotenti Deo, qui os nostrum superno nutu aperuit, ad enarrandum de illis terribilibus miraculis de quibus omnes sancti homines a sæculo cecinerunt. Quis ignorare potest, vel oblivioni tradere in præsentiarum, quam grande discrimen est, quanta post excursum vitæ peccatoribus supplicia, et quanta justis promissa sunt præmia? Idcirco præparare mentem et mundare debemus, omnique virtute insistere, et operam dare semper de cœlestibus sapere, et sublimia et æterna sectari, contemnentes temporalia desideria, et ad illas promissiones tendentes, de quibus omnes sancti suspirantes, et a longe aspicientes, per fidem et patientiam, longitudinem æquo animo pertulerunt, fidelem existimantes eum qui promisit : nam omni carcere tristiorem commorationem corporis arbitrantes, expectabant illam beatam Domini diem, et splendidam, in qua fulgebunt ut sol, in qua etiam Filius Dei cum gloria et sanctis virtutibus ejus descendet in nubibus cœli. Veniet enim in virtute brachii sui, et opera uniuscujusque coram ipso, et colliget sanctos suos a summo cœli usque ad summum ejus. Cujus est intolerabilis potentia, in qua cœli solventur ut liber, et terra producet omnes qui a sæculo requieverunt. Montes et petræ omnisque arida obstupescent a facie ejus, cum venerit judicare vivos et mortuos. Universos enim tremor apprehendet, et Virtutes cœlorum contabescent, eo quod multa nimis erunt castra ejus, et fortia opera ser-

monum ejus. Nubes etiam pulvis pedum ejus, comminans mare et exsiccans illud. Veniet ergo Dominus cum indignatione et ira, et tanquam procella currus ejus, et ignis præibit ante faciem ejus. Audient vero qui in monumentis sunt vocem ejus, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii.

II. Tunc apparebit illud terribile judicium Christi, in quo throni apponentur, et multa millia Angelorum astabunt. Fluvius igneus curret ante eos, et libri aperientur in quibus singulorum acta conscripta sunt. Propterea, rememorantes diem illum, in quo hæc omnia Dominus revelabit, cum venerit glorificari in sanctis suis, non negligamus, dilectissimi, neque in præsentibus et caducis rebus tanquam in æternis et perennibus delectemur : non obdormiamus somno nequissimo ; somnum autem dico peccatum et mortem. Non obliviscamur sanctorum Patrum qui hujus vitæ nostræ duces optimi extiterunt; quorum contemplantes conversationem, imitemur fidem : qui « circumierunt in » melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti [1],» et quotidie pro Christi nomine morientes. Scio enim quamplurimos et obdormisse, et nunquam de die illa terribili cogitasse; qui sine dubio, cum venerit Sponsus, excludentur a thalamo. Nos ergo omni custodia servemus cor nostrum, expectantes patremfamilias Christum Deum, ac Dominum nostrum, qui *dum dives esset,* propter nostram salutem *pauper factus est*[2], et infirmitatem nostram voluntate propria in semetipso suscepit : nam idcirco pauper factus est, ut nos divitiarum suarum socios faceret, et ineffabilis futuræ gloriæ participes demonstraret : ideo crucifixus est, ut nos a cruciatibus et potestate Diaboli liberaret. Hunc ergo diligere sine intermissione debemus, ut

[1] Hebr. XI, 37. — [2] 2 Cor. VIII, 9.

ab ipso quoque diligi mereamur, et cum illo in mansionem illam quæ apud Patrem præparata est, introëamus, et videamus lumen in lumine.

III. Terribilis enim erit dies illa. Adventus ejus magnus et præclarus nimis; et quis idoneus erit ei? Propter quod, has promissiones habentes ineffabiles et tremendas, exultemus exultatione inenarrabili et gloriosa. Abluamus frequenter animas nostras lacrymis, ne radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per hanc inquinentur multi; ut illo purissimo et splendidissimo lumine constituti in quo non est ruga vel macula, contemplemur inæstimabilem et beatam Christi Salvatoris nostri naturam, ubi Pater et Filius et Spiritus sanctus est. Ibi contemplabimur omnem naturam Angelorum et Archangelorum, Virtutum et Potestatum; ibi, fratres, quæ vobis a sæculo servata sunt ineffabilia bona; ibi, fratres, videbitis sanctam civitatem, quæ est omnium in præsenti lugentium mater; illic ex uberibus ejus consolationis lac potabitis; illic de torrente epulationis bibetis; illic vocabimini filii Dei; illic aperientur vobis portæ regni, et intrabitis in penetralia regni Patris; illic vobis ostendet omnes sanctos suos; illic apparebit vobis sol justitiæ; illic egrediemini et lætabimini, tanquam vincti soluti a vinculis. Illic transformabit Deus corpus humilitatis vestræ conforme corpori claritatis suæ; illic renovabitur, sicut aquilæ, juventus vestra; illic terram repromissionis videbitis; illic sub alis protegemini, quemadmodum si mater filium protegat suum; illic videbitis, et lætabimini, de quibus in hoc mundo sine cessatione planxistis. Illic percipietis coronam pulchritudinis et vestem jucunditatis de manu Domini, et dicetis: « Lætetur anima mea in Domino: » induit enim me indumento salutis, et justitiæ; et circum» dedit me veste lætitiæ. Tanquam sponso circumposuit » mihi mitram, et tanquam sponsam ornavit me ornamen-

» to[1]. » Illic « saturabimini quicumque esuritis et sititis justi» tiam[2]. » Illic « fulgebitis sicut sol in throno Patris vestri[3]; » illic immortalia sæcula, et manentia invenietis. Illic donabitur vobis sine perturbationibus et fluctibus longitudo dierum; illic vox lætantium et exultantium. Illic vobis præparatus est locus in domo Dei et muro ejus, et nomen sempiternum, quod non delebitur; ipse enim Dominus nomen est vestrum, nam non erit vestri similis quisquam.

IV. Si conversi fueritis, et feceritis gaudium in cœlis, in die illa in qua judicabit Deus occulta hominum, invenietis fiduciam ubi effugatur dolor, et tristitia, et gemitus. Si enim recordamur de die illa tremenda et adventu Domini glorioso, cum venerit sanctorum omnium multitudine constipatus, in quo cœli magno impetu transient, elementa ignis calore tabescent. Paremus nos sine macula inveniri in illo terribili Christi examine, in quo omnes actus nostri et cogitationes et eloquia arguentur : nam et pro operibus et sermonibus otiosis, et pro dedecorosis et inhonestis aspectibus, et pro omnibus actibus, vel manifestis, vel occultis, quæ ab origine mundi cogitata vel gesta sunt, rationem singuli reddent; et pro meritis suis judicium singuli sument. Ne ergo gloriam nostram in terrenis quæramus; ne carnis curam in desideriis faciamus; ne temporalia et corruptibilia diligamus; ne talentum nostrum confodiamus in terram; ne stultis illis connumeremur virginibus; ne hoc mundo utamur, eo quod præterit ejus figura : quia, « etsi domus » nostra hujus habitationis dissolvatur, non manufactam, » sed æternam in cœlis habebimus[4]. » Hic patriam non quæramus, sed futuram desideremus.

V. Intuitum etiam nostrum deflectamus ad sanctos, et inveniemus eos tam mente quam et cogitatione ad aliud immortale sæculum esse translatos, « qui curcuierunt, *ut*

[1] Isai. LXI, 10. — [2] Luc. VI, 21. — [3] Matth. XIII, 43. — [4] 2 Cor. V, 1, 2.

» *supra meminimus*, in melotis, et in pellibus caprinis; » egentes, angustiati, afflicti; quibus non erat dignus mun- » dus; in solitudinibus errantes, in montibus, et in spelun- » cis et in cavernis terræ[1]; » lapidati, et verberati, et omnium tribulationum opprobriis tentati. Nam laboraverunt sequentes post Deum, nec aliquid horum quæ diximus propositum eorum mentemque turbavit : nam, quemadmodum adamantinus murus non patet insidiis, sic eorum mens non vulsa, et conversatio eorum permansit immobilis. Nihil isti hic requirebant, sed jugiter ibi thesaurizabant, fidelem existimantes qui repromisit, et invisibilem tanquam videns. Unusquisque eorum sustinuit sola intelligentia spiritali, et puro cordis oculo contemplabatur illa quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, in quem desiderant Angeli prospicere, pro quibus constituti in terris, velocem depositionem tabernaculi sui quærebant, et de illa superna commoratione, quam tarde se adipisci sentiebant, gementes proclamabant, dicentes : Quando veniemus, et apparebimus ante faciem Dei? et alius : Bonum est magis mihi mori, quam vivere. Et idem beatus Apostolus omnia mundi oblectamenta tanquam stercora deputabat, propter quod dicebat : « Cupio dissolvi, et » cum Christo esse[2]. » Simeon etiam ille justus, qualem vocem emisit cum Deum in suas ulnas suscepit? « Nunc di- » mittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, » in pace : quoniam viderunt oculi mei salutare tuum[3]. » Quemadmodum enim in vinculis vel carceribus, sic omnes sancti usque ad tempus resolutionis suæ in corporibus commorantur, donec veniant ad tranquillissimum portum, et adipiscantur sine fluctibus vitam.

VI. Propterea et nos, fratres dilectissimi, respicientes ad hos mirabiles viros, et beatissima eorum sequentes ves-

[1] Hebr. xi, 37, 38. — [2] Philip. i, 23. — [3] Luc. ii, 29.

tigia, nec non passionibus eorum communicantes, ad nihil aliud nostrum propositum dirigamus, nisi qualiter Deo placeamus; nec propter gloriam humanam retardemus cursum nostrum quominus ad mensuram patrum nostrorum pertingere valeamus; sed omni virtute æquiparentes merita eorum, cum ipsis in regnis cœlestibus gaudeamus : quia si fuerimus socii passionum, simul et consolationis erimus; et si sustinemus, et conregnabimus : quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; non ignorantes quia qui seminant in lacrymis, in gaudio metent, et qui parce seminant, parce et metent : « Euntes, *inquit*, ibant, et flebant mittentes » semina sua : venientes autem venient in exultatione tol» lentes manipulos suos [1]; » et : « Beati qui lugent, quo» niam ipsi consolabuntur; » et : « Beati qui esuriunt, et si» tiunt justitiam *nunc*, quoniam ipsi consolabuntur [2] » de illa regali mensa in qua Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes sancti a sæculo requiescunt. Beatus ergo est qui in sanctis operibus jugiter conversatur, et immaculatam servat animam suam, de qua nobis grande certamen est. « Quid proderit homini, si universum mundum lucretur, » animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit » homo commutationem pro anima sua [3]? » Igitur festinemus, ne excludamur ab illis promissis æternis, et a thalamo immortalis Sponsi; ne quando incipiamus foris stantes clamare et dicere : Domine, Domine, aperi nobis; quia tunc nobis pœnitentia nihil proderit; sed contrario audiemus : Nescio vos unde estis. « Ibi erit fletus et stridor dentium [4]. »

VII. De anima nostra certamen agitur, de qua si neglexerimus, et periculum immensum est, et supplicium sempiternum : non est enim in inferno confessio, non lacrymæ ibi, non gemitus, quæ Judicis avertant sententiam;

[1] Psal. cxxv, 6. — [2] Matth. v, 5, 6. — [3] Id. xxvi, 26. — [4] Id. viii, 12.

non est dilatio ulla temporis ad agendam pœnitentiam; non est regressio post excessum ad vitam : sed omnia dura, aspera et amara occurrent eis qui tempus pœnitentiæ perdiderunt. Obviabit eis horrenda illa facies suorum delictorum, quæ omni tormento major extabit et durior. Sed et conscientiæ suæ verberibus cruciati, infelicia illa verba crebro loquentur, et dicent : « Væ ! væ nobis miseris, quibus contigit videre hanc diem ! » Ubi enim tunc peccator oculos converterit, contemplabitur suorum imagines delictorum. Tunc videbitis Angelos et Archangelos per universum mundum discurrere, et omnes electos Dei et sanctos congregare [1], qui rapientur obviam Christo, et sic semper cum Domino erunt; quia « ubicumque fuerit cor» pus, illuc congregabuntur et aquilæ [2]. » Peccatorum autem et negligentium nunc vitam suam, exitum videbitis tristem et exitiabilem : sol enim tunc obscurabitur, et cœlum tunc plicabitur tanquam liber, cadent astra, omnia conturbabuntur elementa; Virtutes et Potestates assistent, et ignis velut fluvius currens omnia omnino replebit : ignis enim ille comburet montes, et colles, et maria; et omnia Deus judicabit per ignem. Tunc in illa die videbitis universum orbem tanquam pomorum custodiam, et tubæ illæ Angelicæ terribilia et tremenda clangentes, refulgebunt tanquam claritas firmamenti. Tunc lamentabuntur se et plangent omnes peccatores terræ, et illud amarissimum proclamabunt : Væ ! væ nobis ! cum viderint claritatem lætitiamque sanctorum; cum viderint Abraham, Isaac, et Jacob, et omnes justos percipientes immarcescibiles coronas de manu Domini; cum viderint se ab eorum consortio separari.

VIII. Tunc enim exient Angeli, et separabunt omnes malignos de medio justorum. Tunc audient infelices illam

[1] Matth. XXIV. — [2] Ibid. 28.

Christi vocem terribilem, et potentem : « Recedite a me, » maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo et angelis ejus [1]. » In illa hora necessitatis amare nimis et lacrymabiliter suspirabunt, cum traditi fuerint morti, et inextinguibili igni, et tenebris exterioribus, et vermibus immortalibus; cum in inferno inferiori mancipati fuerint, ubi est fletus et stridor dentium, ubi est tartarus et crudelis gehenna. Hæc namque universa supplicia expectant hos qui non pro suis animabus viriliter decertaverunt, qui non multiplicaverunt talentum sibi creditum, qui non castitatem cum fraterna charitate servaverunt. Festinemus ergo reconciliari proximis nostris, ut sol non occidat super iracundiam nostram, nec malitiæ reminiscamur in cordibus nostris. Infirmum etiam in operibus confortemus, et in ægrotis et languidis Dominum visitemus, et cum viderimus eum in pauperibus esurientem, saturemus; sitientem, et potemus; nudum, et vestiamus; infirmum, et visitemus; hospitem, et colligamus; in carcere, et eamus ad eum; petentem etiam eleemosynam per manus pauperum non despiciamus, ut et ipse in adventu suo vocet nos ad se, et dicat : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod » vobis paratum est ab origine mundi [2]; » quia propter vos pauper factus sum, et mihi in ipsis pauperibus ministrastis.

IX. Ego autem, fratres charissimi, hæc vobis scribens, fortiter defleo, nec a luctu nec a lacrymis cesso, quia ab his bonis alienus existo, et in me impletum est illud Apostoli : « Ne cum aliis prædicaverim, ego reprobus efficiar [3]. » Spero autem per orationes vestras tempus pœnitentiæ promereri, ut stare possim adversus insidias Diaboli, « quia non » est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed » adversus principes et potestates, contra spiritalia nequi» tiæ in cœlestibus [4]. » Orate ergo pro nobis semper, fratres

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Ibid. 34. — [3] 1 Cor. ix, 27. — [4] Ephes. vi, 12.

charissimi, et orantes non deficiatis, ut hoc medium profundum, quod est inimicus et Diabolus, totum prætermeare possimus, et effugiamus illa quæ futura sunt mala; ut veniant tempora refrigerii in adventum Christi, quæ suis temporibus ostendet Beatus et solus potens, et transferet nos, si digni fuerimus, in illam beatam spem, et ineffabilem lætitiam, et mansionem æternam, de quibus nunc ex parte narrantes, tanta evangelizavimus vobis, tanquam si quis ex maris hujus pelago aquæ guttam possit digito suo auferre. Sit nomen Domini benedictum, qui paravit cœlos in prudentia sua, qui præparavit sanctis suis regnum, et gaudium ante constitutionem mundi, de quo suspirant et lugent qui tunc audient : « Venite, omnes qui ploratis, gaudete in gaudio meo, et videte me, et lætetur cor vestrum, et ossa vestra tanquam herba florebunt. Ibi laudatio, et exultatio, et jucunditas sempiterna est. »

X. Dilectissimi fratres, illic fulgebitis sicut sol; illic lætabimini lætitia inenarrabili; illic Deum videbitis, quod est bonorum omnium potissimum; illic vobis Christus demonstrabit omnem gloriam Patris et officia sanctorum Angelorum; illic adorabimus Patrem in atriis sanctis; illic sine fluctibus et perturbationibus vitæ vivemus; illic choris miscebimur sanctorum; illic auferentur ab oculis nostris lacrymæ quæ pupillas oculorum nostrorum obnubilant. Illic cantabimus et dicemus : « Mirabilis es, Domine, in » sanctis tuis; » illic confitebimur Domino, et dicemus : « Quia repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus » et lætati sumus in omnibus diebus nostris [1]: delectati su» mus pro omnibus diebus quibus nos humiliasti [2]. Quam » magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia » fecisti [3]. Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci » omnes retributiones ejus, qui propitius sit omnibus ini-

[1] Psal. LXXXIX, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Psal. CIII, 24.

» quitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit » de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et » miseratione [1]. » Gloria tibi, Christe, gloria tibi, quia « ju- » dicia tua abyssus multa [2], » et promissiones tuæ inscrutabiles et investigabiles divitiæ tuæ.

XI. « Quis sapiens et intelligit hæc [3] ? » Quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt per eas : impii autem infirmabuntur in eis. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

DE DIE JUDICII.

I. Obsecro igitur vos, fratres charissimi, venite projiciamus a nobis omnem sollicitudinem actuum terrenorum : ne obligetur mens nostra in terrenis negotiis, quia omnia terrena pertranseunt, omnia depereunt, omnia evanescunt; nequaquam nobis prodesse poterit in illa hora judicii, nisi conversatio sancta, et bona opera quæ hinc detulerimus nobiscum : futurum namque est ut unusquisque nostrum et actus suos et cogitationes ante tribunal tremendi judicii deferat. Contremiscit cor meum, et renes mei dissolvuntur, quotiescumque recogito quod revelandæ sint cogitationes et sermones, et actus nostri in die judicii; grandis enim timor erit, fratres dilectissimi, et grandis tremor, o amici mei. Quis est enim qui non timeat, aut quis non contremiscat, ac lamentetur, ac lugeat, eo quod ibi omnia manifestabuntur quæ hic in occulto tenebris gesta sunt?

II. Intelligite, fratres mei, hoc quod vobis dico, et consi-

[1] Psal. CII, 2-4. — [2] Psal. XXXV, 7. — [3] Psal. CVI, 43.

derate exemplum quod vobis ob vestram intelligentiam profero, arboris fructiferæ in tempore suo : primum intrinsecus concipiunt fructum, postea vero divino nutu extrinsecus proferunt, secundum naturam, et fructum, et folium; sic et in illa die terribili omnes homines quæcumque in hoc sæculo, quasi in tempore suo occulte intrinsecus, sive bona, sive mala, gesserunt, ibi quasi fructus proprios ante tribunal Domini proferunt. Tunc justi bonos et jucundos proferunt fructus; sancti similiter, fructus suavissimos, et omnibus gratiarum floribus exornatos; martyres vero, suppliciorum et pœnarum fructus patientiæ gloriosos; monachi autem sanctæ conversationis suæ, id est continentiæ, humilitatis, vigiliarum, et orationum, atque in obedientia immarcescibiles proferunt fructus. Peccatores vero et impii ac profani proferent fructus turpissimos et execrandos, plenos confusione et opprobrio, ululatu et luctu, vermium quoque immortalium, et ignis inextinguibilis cum gemitu. Tremendum vero, o dilectissimi fratres, ibi judicium, in quo sine testibus omnia manifestantur : ibi assistunt millia millium, et decies dena millia Angelorum et Archangelorum, Cherubim et Seraphim; ubi justorum chori circumstant, Patriarcharum et Prophetarum, Apostolorum et Martyrum, et omnium omninoque sanctorum.

III. Quid ergo negligimus, dilectissimi fratres? ecce nunc tempus concluditur; dies appropinquat, in quo omnia occulta nostra a lumine arguuntur. Si sciremus, fratres, quid immineat vel incumbat, jugiter plangeremus, obsecrantes Dominum diebus et noctibus sine cessatione, ut liberet nos ab æterna confusione et perennibus tenebris. Observetur enim omnes hos peccatores ante tribunal gloria ejus cum metu animo [1] et tremore, et contremiscet omnis creatura;

[1] *Forte* : Observentur enim omnes hi peccatores ante tribunal gloriæ ejus cum metu animi, etc.

et ipsa agmina sanctorum Angelorum expavescent in die adventus ejus. Quid ergo tunc dicemus, si in hoc tempore parvo negligenter vixerimus? ipse enim nos patienter expectat, et omnes ad suum regnum invitat. Rationem enim exquiret a nobis propter hanc negligentiam nostram, et dicet nobis : « Propter vos incarnatus sum, propter vos in terris palam conversatus sum, propter vos consputus sum, propter vos in palmis in facie verberatus sum, propter vos crucifixus sum, propter vos suspensus sum in ligno, felle cibatus sum et aceto potatus sum, ut vos sanctos et cœlestes efficiam; regnum meum donavi vobis, paradisum meum aperui vobis, omnes vos sanctos vocavi, Patrem meum obtuli vobis, Spiritum sanctum vobis misi; ampliora bonorum omnium quid debui facere et non feci vobis tamen ut salvemini? humilem voluntatem vestram solummodo quæsivi, non vos coegi, ut ne saluti vestræ causa necessitatis esset occasio : dicite mihi, peccatores, et mortales atque passibiles secundum naturam, quid passi estis propter me dominatorem vestrum, cum ego pro vobis impassibilis passus sum? » Ecce itaque præparatum est regnum, et vita requiescit, lætitia in lumine sempiterno; præparata est etiam mors et vita, pœna, luctus et tenebræ : eligat unusquisque, ut propria voluntate voluerit, rectam viam incederit.

IV. « Venite adoremus, *dilectissimi frâtres*, et procida» mus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos [1], » dicentes ei : « O Dominator et Domine, hæc omnia ut Deus sustinuisti pro nobis : nos autem peccatores semper te exacerbamus, et beneficiis tuis sumus ingrati. Tu Deus sine initio, natura incomprehensibilis, misericors et pius, complacuisti gratia tua per passionem crucis peccatores salvos facere, qui te non noverunt, donans eis post indulgentiam delictorum etiam lumen scientiæ tuæ. Quid ergo retribuit

[1] Psal. xciv, 6.

genus humanum tibi invisibili, et benignissimo Domino? nam cum impii essemus, non secundum naturam, sed propria voluntate, quasi pius atque amator omnium salvasti nos; sed iterum per negligentiam nostram atque peccata incidimus : tu autem idem ipse es semper misericors et miserator, terribilis et gloriosus, conditor sæculorum, patienter ab initio sustinens perversitatem nostram, donans nobis tempus pœnitentiæ, et remissionem peccatorum pro ineffabilibus miserationibus tuis, quas ostendisti nobis. Filius Dei, victus nobis es Domine Deus noster charitate tua et sanctis miserationibus tuis, ut per crucem tuam totum mundum servares : nisi enim victus fuisses charitate, misericors Christe, temetipsum hostiam vivam et immaculatam nunquam pro peccatoribus obtulisses. Qui illuminasti gratia tua universum mundum, illumina quod in me est tenebrosum : oculus enim meus velatus est et cæcus, illumina eum semper et miserationibus tuis, ut crassante Diabolo penitus obscuretur; illumina etiam nostros interiores oculos, dominator Domine. Voce igitur diligamus, tibique confiteamur : ex charitate omnes voluntates tuas perficere valeamus. Hoc ergo præsta nobis, misericors Christe, ut pleni gratia et illuminatione scientiæ tuæ, cum fide et sanctificatione accedamus ad calicem tuum, ut proficiat ad remissionem peccatorum, non ad condemnationem in die judicii; quia quicumque mysteriis tuis indignus accesserit, suam animam ipse condemnat, non se castigans, ut te cœlestem Regem atque immortalem Sponsum in sui pectoris purissimum suscipiat thalamum. »

V. Nam anima nostra sponsa est immortalis Sponsi : copula autem nuptiarum, cœlestia sacramenta sunt; quia cum manducamus corpus ejus et sanguinem ejus bibimus, et ipse in nobis est et nos in eo. Attende ergo tibimetipsi, festina cordis tui thalamum jugiter virtutibus exornare, ut

mansionem cum benedicto Patre suo faciat apud te; et una cum Angelis coram et Archangelis erit tibi laus et gloriatio, et cum magna exultatione et gaudio ingrediaris in paradisum. Quid enim præter salutem tuam, o homo, Deus quærit a te? si autem neglexeris, et salvus fieri nolueris, rectasque vias Domini non ambulaveris, nec mandata ejus custodieris, temetipsum interficies, et a cœlesti thalamo Domini temetipsum expellis. Dominus solus sine peccato proprio Filio non pepercit, et tu infelix tui non misereris? Expergiscere itaque a somno tuo parumper, o miserande: aperi os tuum, obsecra eum, projice a te onera peccatorum, ora frequenter, sine cessatione lacrymas funde, mollitiem animæ fuge, negligentiam execrare, malitiam non ama, ama vero mansuetudinem, dilige continentiam, meditare psalmodiam; festina, frater, ora, donec tibi datum est tempus; dilige Dominum ex tota anima tua, sicut et ille dilexit te. Es tu templum Domini, et Dominus excelsus habitavit in te; anima autem Dominum habens in se, templum est Domini. Divina etiam mysteria celebrant in ea Angeli, et Archangeli lætantur ei, et frequenter eam visitare festinant.

VI. Beatus vir qui Dominum ex toto corde dilexerit, et mundum istum, et omnia quæ in eo sunt, tota virtute odit, ut te solum sanctum possideat pretiosam margaritam, et vitæ suæ thesaurum. Vere enim dilectio Domini gratia et dulcedine plena est, et beatus est qui custodivit eam, nec est exsatiatus ab ea: ignis enim immortalitatis est charitas Domini. O mollissimum charitas Domini vinculum, stuporis et miraculum plenum, quod nec secare potuit nec solvi: bis acutus cum gladius non secavit, flagrans ignis non solvit; membra secabantur, charitas non secabatur; comburebantur viscera, et vincula non solvebantur; mergebantur iterum in profundum sancto-

rum corpora, et charitas Domini non potuit aliquid demergi. Quis putas non admiretur de hoc vinculo charitas? Quicumque ergo puro corde Dominum et sincere dilexerit, talem charitatem habere probatur. Hanc charitatem dedit Dominus Ecclesiæ suæ, ut ipsa semper exornetur et polleat; hæc charitas columnæ firmamentum est diligentibus Dominum; hæc charitas unigenitum Deique Filium ad nos de cœlis attraxit : propter hanc charitatem Deus homo factus est; propter hanc charitatem Deus incorporeus incarnatus est; propter hanc charitatem invisibilis visibilisque est; propter hanc charitatem paradisus reserandus est; propter hanc charitatem sponsa Christi anima effecta est : et propterea impassibilis passus est. Sine hac charitate si fieret anima, non placebit in ea Dominus, nec delectabitur super ea.

VII. Credite mihi, fratres mei, quia in proximo est adventus Domini, in quo reddit unicuique secundum opera : sanctis quidem et electis suis requiem et lætitiam; peccatoribus vero, et qui eum exacerbaverunt, supplicia et tormenta. Beatus homo qui invenerit fiduciam in illa hora, et qui audierit beatam illam vocem : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi! » Tunc justi cum se viderint in lumine in illam inenarrabilem gloriam, intra semetipsum singuli obstupescent, et dicent : Putas, ipse ego sum, et quomodo hinc gloriæ dignus inventus sum? Angeli autem accedentes cum gaudio magno ad sanctos, enarrantes eis conversationem eorum immaculatam, continentiam, vigilias, orationes, voluntariam paupertatem, solum Dominum mercati sunt. Modicus labor est institutionis nostræ, fratres charissimi, et magna est requies; parvi temporis est afflictio continentiæ, et retributio ejus, id est deliciæ paradisi, et exultatio, et lætitia, in sæculum sæculi permanet. Quicumque

sibi conscius est quod peccaverit Domino, et per negligentiam sua voluntate peccaverit, donec tempus est, ex affectu lacrymæ ei jugiter defluant. Credite mihi, fratres, non est dulcius super gratia lacrymarum; si quis in oratione sua Dominum contemplatus est, illum semper desiderans, lacrymarum dulcedine satiatus est hujusmodi, elevatus est a terris, totus extra corpus in cœlo est : et quid dico extra corpus? totus cœlestis est, et non invenitur conversatio ejus in terris, hujusmodi cum Domino loquitur. In Christo loquitur, a sancto Spiritu sanctificatur. Grande miraculum! homo terra et cinis in sua purissima oratione cum Deo fabulatur.

VIII. Beatus homo qui habet compunctionem jugiter secundum Dominum. Compunctio, fratres, sanitas animæ est, illuminatio mentis; compunctio, fratres, remissionem delictorum nobis conquirit; compunctio, fratres, Jesum unigenitum habitare facit in nobis, cum eum desideramus et quærimus. Volo vobis, fratres, enarrare pœnitentiam lacrymarum : Anna per lacrymas Domino Samuelem prophetam accepit, ad sublimitatem et gloriationem animæ suæ : mulieris autem peccatricis debita in domo Simonis a Christo Domino dimissa sunt, quæ lacrymis pedes ejus rigabat, et crine tergebat. Grandis virtus est lacrymarum, multumque prævalent lacrymæ : semper acquirent lacrymæ; sordidas cogitationes expellunt, nec proximare eas permittunt animæ compunctionem cordis habentis. Quid hac beatitudine potest esse sublimius, cum ipsum Dominum anima in oratione propria contemplatur? Nam cum eum desiderat, eique semper fabulatur. Thesaurus indeficiens est compunctio cordis, gaudium ineffabile. Exultat anima quæ habet compunctionem cordis; fons enim purissimus est compunctio cordis, irrigans semper plantaria fructiferæ animæ : semper ergo sanctæ plantationis tuæ irrigentur a te per be-

nedictionem et gratiam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

DE RESURRECTIONIS DIE I.

I. Sicut media nocte dormientibus omnibus repente fit sonus magnus e cœlo, et horrenda tonitrua ac fulgura terribilia, cum terræ motu, exterrenturque omnes facientes mala ; hæc reputantes percutiunt pectora sua, jacentes in lecto suo, quod non habent quo confugiant aut abscondantur : sic in illa hora tanquam fulgur ex improviso fiet, et terrebit universam terram. Tuba enim cum terrore resonabit e cœlo, et suscitabit dormientes. Cœli etenim cum virtutibus eorum commovebuntur, et omnis terra, tanquam aqua maris, trepidabit a facie gloriæ ipsius : ignis enim terribilis præibit a facie ejus, ipsam expurgans ab omnibus qui eam maculaverunt. Infernus portas suas aperiet, mors evacuabitur, quia pulvis humanæ naturæ, audiens tubam, vivificabitur.

II. Mirabile enim erit, fratres dilectissimi, videre illa hora, in ictu oculi, velut piscium multitudinem in mari versantium, multitudinem profecto innumerabilem, humanæ naturæ ossa singula circumcurrentia ad aptam compositionem. Suscitari igitur clamabunt, et dicent : « Gloria ei qui collegit nos et excitavit propter suam bonitatem. » Tunc justi gestiunt, et cum gloria rapiuntur in nubibus, ad occurrendum immortali Sponso, omnes qui eum dilexerunt et curarunt perficere omnes voluntates ejus : prout quisque ex-

purgavit hic cor suum, sic videt tunc ejus gloriam; ac sicut hic concupivit, sic ejus amore satiatur. Mirabitur vero etiam protoplastus Adam illa hora, aspiciens ingentes et formidabiles populos; quo pacto ex ipso et ejus conjuge immensi ac multitudine innumerabiles homines prodierint; supra modum autem admiratus, opificem Deum laudabit, quomodo ex una natura, atque ex una geniti creatura, tum in paradiso, regnoque ex ipsis, tum in inferno hæredes facti sunt. Gloria soli sapienti Deo.

SERMO XVI.

DE RESURRECTIONIS DIE II.

I. Dilectissimi, recordatus sum horæ illius, et contremui; cogitavi horrendum illud judicium, et consternatus sum; lætitiamque in paradiso suspirans ingemui, quousque non permansit robur in me, quia in negligentia atque mentis evagatione præterii dies meos, et in sordidis cogitationibus. Heu mihi! quid faciam ob ignominiam horæ illius, quando aderunt undique amici mei, qui videntes me in hoc habitu religioso, etiam me beatum dixerunt; intus autem plenus eram nequitiæ atque immunditiæ, et oblitus sum scrutantis corda et renes. Profecto ibi est pudor : infelix quicumque ibi pudore afficietur.

II. Deus, per misericordias tuas te adjuro, ne me statuas a sinistris tuis cum hædis, qui exacerbaverunt te ; neque dicas mihi, Nescio te : sed concede mihi, secundum magnam misericordiam tuam, indesinentem fletum et compunctionem; et deprime cor meum, ipsumque expurga, ut fiat templum sanctum charitatis tuæ. Quamvis enim et pecca-

tor sim, et indignus, semper tamen ad januam tuam pulso; ac licet sim piger et negligens, tamen per viam tuam vado.

III. Studeamus igitur, fratres mei dilectissimi, placere Deo, cum tempus est. Ploremus die ac nocte in conspectu illius, in oratione nostra et in psalmodia, ut eripiat nos ab illa sede, quæ finem non habet, atque a stridore dentium, et ab igne gehennæ, et a verme qui non dormit, et gratiam nobis largiatur in regno ipsius atque in vita æterna, unde fugit dolor, mœror et suspiria.

SERMO XVII.

DE TIMORE ANIMARUM.

I. Ego Ephræm peccator, ignavus ac piger in certamine spirituali, in quo assidue ob negligentiam meam animique torporem vincor, vobis, strenui pugiles, Deique amantissimi fratres, ingentem animi mei timorem atque tremorem, qui quodam die me miserum atque distractum invasit, enarrare volo. Solus sedebam in loco quodam quieto, tranquillo atque sublimi, et inanes hujus vitæ curas, tumultus ac perturbationes mente revolvebam; et illacrymans dicebam : « Quomodo vita hæc velut umbra fugit, et instar velocissimi cursoris pertransit, et tanquam flos matutinus marcescit? » Rursusque cum dolore ac gemitu : « Quomodo, inquam, sæculum hoc prætereat, ignoramus. Quare ignavia rebusque ac cogitationibus inutilibus distrahimur? »

II. Hæc dum mecum expendo, repente oculos in cœlum sustuli, et pene a sensibus alienatus, magno timore perculsus, oculis cordis mei Dominum summa in gloria seden-

tem prospexi, et sic animam meam compellantem audivi: « Cur, o anima, cœlestem tuum thalamum lumine gloriæ plenum contemnis ? cur, o anima sponsa mea, me immaculatum et immortalem sponsum tuum odisti ? cur, o anima, spernis illa bona quæ ego in lumine vitæ præparavi tibi ? cur, o anima, te a me per res cogitationesque indecentes alienasti ? cur, o anima, omni cum studio adventum meum non præstolaris ? cur, o anima, lampadem tuam non tenes, expectans dum clamorem illum audias : « Ecce sponsus » venit, exite obviam ei [1] » cum lætitia ? cur, o anima, non contendis tibi vestem ad nuptias dignam parare ? cur, o anima, cum gaudio cœlestem illum sanctumque thalamum non ingrederis ? cur, o anima, me qui bonus sum, teque a morte in vitam asserui, odisti ? Ego, o anima, tui causa mortem oppetii, ut te sponsam mihi conciliarem; ego, o anima, regnum tibi in hæreditatem sine invidia præstiti ; ego, o anima, cuncta bona mea tanquam rex tibi largitus sum; ego, o anima, homo propter te factus sum, ut vitam tuam a corruptione liberarem; ego, o anima, vitam tuam cunctis operibus meis prætuli; ego, o anima, thalamum tibi in cœlis præparavi, Angelisque mandavi ut in eo coram te ministrarent, ut cum gaudio illuc intrares. Tu vero, o anima, me cœlestem sponsum et ineffabilia quæ tibi paravi, bona sprevisti. Sed quis, quæso, præferri mihi potest, qui res omnes creatas meis miserationibus conservo ? Quis pater vitam donat ut ego, quem tu, anima, reliquisti, et alienum odioque dignissimum concupivisti ? »

III. Ad hæc, fratres, in illa hora vehementer contremui, dum formidabilia illa Domini verba, maximamque animæ meæ confusionem atque turbationem oculis mentis meæ considerarem. Unde præ timore atque confusione defeci,

[1] Matth. xxv, 6.

cogitabamque ubi me absconderem, quod tantam ignominiam ferre nequirem; dicebamque apud me : « Venite montes, et me peccatorem ac impiumo perite. » Et demisso capite confusus, alta voce meipsum deflere lamentabiliter cœpi, dicens : « Cur ego ex utero matris prodii, ut Dominum sanctum, bonum et misericordem exacerbarem? Conceptionem in utero matris et corporis incrementum contempsi; dona cœlestia, ac sancta gratiæ tuæ remedia aspernatus sum. » Flens tamen procidi, et cum planctu ac dolore cordis mei rogavi, et illacrymans exclamavi, dicens : « Exaudi, Domine, fletum meum, et suscipe verba deprecationis meæ, quæ ego peccator timore tuo perterritus offero tibi, longanimis, misericors et clementissime. Ne feceris mihi secundum cuncta opera mea, neque memineris pessimarum exacerbationum mearum, quibus ego gratiam tuam, optime Domine, irritavi. Sed potius tantum mihi peccatori temporis concede, hominum amator benignissime, ut pœnitentiæ spatium habeam. Gratia tua, quæ innumerabilia delicta juventutis meæ tulit, et nunc senectutis spretum, offensionem et proterviam perferat. Novi ego jusjurandum tuum, clementissime, quod per temetipsum jurasti, dicens : « Vivo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem peccatoris » et impii; sed magis ut convertatur ab omnibus iniquita» tibus, quas fecit [1]. » Jurasti, Domine misericors, optime hominum amator, pro tuis miserationibus, te mortem peccatoris nolle, sed potius ut converteretur et viveret : miserere mei peccatoris, qui adjuro te per misericordiæ tuæ viscera ut mihi propitius sis; miserere, parce, et ne adjurationis meæ libertas te offendat. Tu qui corda scrutaris et renes hominum, omnesque cogitationes perspicis, nosti, Domine, me acerbissimo animi dolore coactum, ista ausum in conspectu tuo eloqui. Respice, Christe Salvator, fontes

[1] Ezech. XVIII, 23, et XXXIII, 11.

lacrymarum mearum, contritionesque ac gemitus indignæ meæ animæ : et veniat terribile præceptum, et me protegat, antequam formidabilis jussio adveniat, meque imparatum et confusum deprehendat; sed potius gratia tua concedat mihi exiguum tempus veræ pœnitentiæ. Nequit, clementissime, gratia tua peccatorem despicere lacrymantem. Ignoscit omni animæ quæ supplex ad te recurrit, et peccatorum quæ patravit veniam ei donat. »

IV. Exaudivit sanctus et benignus vocem meam, et ploratum lacrymarum mearum, et misertus est mei. « Et nunc respice ut longanimis et misericors, ut ego quoque fructum pœnitentiæ referam. Quamobrem supplico ut pœnitentiæ spatium mihi largiaris. » Suggerit mihi semper salutis viam Salvator, et nunquamnon me ad vitam trahit, ut salvus fiam. Quoties in mentem mihi venit illa dies et hora in qua me repente timor hic invasit, totus horreo, lacrymor ac ingemisco; iterum mox omnium simul obliviscor, precum, lacrymarum, timoris et spatii pœnitentiæ mihi divina gratia concessi. Sed unde mihi ista duritia, negligentia et oblivio? unde ita subito fio impudens, timoris expers, distractus et iracundus, adeo ut plane nec timor Dei nec judicium futurum mihi versetur ob oculos? Numquid injustus est Deus, aut vult dissimulare opera mea? absit. Omnes vos rogo obtestorque, Dei amantes amici mei, ut pro me homine peccatore et minimo apud Deum misericordem et benignissimum intercedere velitis. Quæ mihi acciderunt ideo patefeci vobis, ut misericordiam a Deo obtineam; neque dubito quin, si volueritis, mihi peccatori vestris apud Deum orationibus et supplicationibus succurrere possitis. Novi ego multorum deprecationes etiam Apostolos e carcere et vinculis et morte liberare valuisse [1] : quanto magis vos me peccatorem et impium a morte liberare potestis!

[1] Act. XII.

V. Succurrite ergo qui timetis Dominum, preces vestras pro me fundite, ut divina gratia inanima mea resplendeat, mentemque tenebris circumfusam illuminet, promptusque ac dignus efficiar precum vestrarum adjutorio, qui pœnitentiam agam; et adveniente in animam meam eadem divina gratia, dulcescat omnis amaritudo mea : gratiæ enim præsentia dulcedinem, tranquillitatem et compunctionem affert; gratiæ fluctus jubarque sancti Spiritus exhilarant cor, faciuntque ut anima repente rerum terrenarum cupiditatumque carnalium ac noxiarum obliviscatur; gratiæ fluctus mentem et animam fovent; gratiæ fluctus similes sunt in anima horto regio pulchris fructibus plantisque fructiferis pleno, qui tum vario sapore, tum odore, tum jucunditate sua, mirificam oculis delectationem, et ori atque odoratui recreationem afferunt : ita et divinæ gratiæ fluctus illuminant, dulcefaciunt et exhilarant. Beata illius animæ opera, quæ in seipsa habet undas gratiæ; illustratur enim, afficitur dulcedine, gaudio perfunditur, contemplatione ac suavissimo odore repletur. Iterum dico : Beata illa anima, quæ cunctis divinæ gratiæ donis ornata est! Nihil anima illa intuetur in terra, sed tota defixa hæret in Deo; cum thalami suavitas et gratia illam aliorsum se vertere nequaquam permittat. Ecce rursus ad fores Domini mei procido, supplicans, obsecrans, adorans, et continue dicens : Ignosce mihi, et dimitte delicta mea, clementissime. Expedit enim servo, posteaquam peccavit, non effugere manus Domini sui; sed omni potius cum submissione et humilitate cordis ab eo veniam expectare. Nam sic etiam homines delinquentibus servis suis offensas condonare consueverunt : quod si homines mortales et improbi errata conservis dimittunt; quanto magis sanctus et bonus Dominus, omnium nostrum conditor, omniumque creator Deus, multum misericors, miserator et patiens, iniquitates atque delicta peccato-

ribus remittet, qui supplices ad eum assidue confugiunt?

VI. Thesaurus siquidem misericordiæ ejus saltem modicam animi promptitudinem a nobis requirit, et mox gratiæ suæ divitias profundit in eos qui ipsum cum magna contritione requirunt. Nam similis est thesaurus ille fonti uberrimo, qui aquam haurientibus abunde præbet : unde facile est cuivis explicare quo pacto fons ille divinis miserationibus comparetur. Quemadmodum enim fons volentem non prohibet; ita gratiæ thesaurus nullum hominem arcet quo minus particeps illius reddatur. Modo igitur voluntas accipiendæ gratiæ potiendique thesauro adfuerit, illico totus gratiæ thesaurus quærenti patebit. Haurite ex hoc fonte, charissimi, cœlestium donorum rivos atque fluenta, dum licet : tempus enim veniet, et dies, quando ex eo bibere plane nemini licebit. Quamobrem immensam benignitatem tuam, Domine sancte, cuncti mortales rogamus, ut nobis largiaris spatium pœnitentiæ, et veniam peccatorum, ut tibi puro corde cunctis diebus vitæ nostræ serviamus, gratique tibi in bonis operibus effecti, sic vitam nostram transigere mereamur, ut ad æternam tuam beatitudinem perveniamus, quam omnibus sanctis tuis præparasti, qui tibi per singulas generationes placuerunt. Quæso obtestorque vos, hæredes Dei, et Christi fratres, ut mei memineritis, assidueque pro me Salvatorem exoretis, ut per Christum ab hoste maligno, qui me singulis horis oppugnat, liberer. Sanctissimæ Trinitati sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. P. N. EPHRÆM SYRI

OPERUM

CLASSIS VIII. — DE BEATITUDINIBUS.

SERMO PRIMUS.

SEU BEATITUDINUM CAPITA LV.

I. Beatus qui a cunctis rebus terrenis vanæ hujus vitæ totus est liber in Domino, ac Deum solum bonum atque misericordem diligit.

II. Beatus qui virtutes excolit, et velut terra fertilis exculta, uberes vitæ fructus profert in Domino.

III. Beatus qui bonus virtutum cultor est, vineamque spiritalem plantavit, ac vindemians torcularia sua fructibus vitæ replet in Domino.

IV. Beatus qui spiritali gaudio suos reficit conservos ex fructu virtutum quas suo plantavit labore, ut fructum vitæ referret in Domino.

V. Beatus qui, Angeli cœlestis instar, synaxi atque orationi vacat, puras quotidie cogitationes retinens; nec aditum maligno patefacit, quo animam suam captivam a Deo Salvatore abducat.

VI. Beatus qui prudenter et cum judicio planctum desiderat, et cum compunctione lacrymas in terris coram Domino fundit, velut pretiosas margaritas.

VII. Beatus qui vitæ sanctimoniam, ut lucem, diligit, et corpus suum non coinquinat tenebrosis maligni operibus, coram Domino.

VIII. Beatus qui corpus suum in sanctificationem servat Salvatori, et non dedecorat animam suam operibus alienis, sed gratus placensque permanet in Domino.

IX. Beatus qui odio habet omnem turpitudinem peccati, et seipsum hostiam viventem et beneplacentem obtulerit Domino.

X. Beatus qui in seipso semper memoriam Dei retinuerit : erit enim totus ille tanquam Angelus cœlestis, super terram cum timore et amore serviens Domino.

XI. Beatus qui pœnitentiam, qua peccatores salvantur, diligit; neque iterum, velut in Salvatorem nostrum Deum ingratus, animum ad peccandum appellit.

XII. Beatus qui in sua sedens cella instar generosi militis, regni thesaurum, hoc est, corpus suum cum anima, sine reprehensione conservaverit in Domino.

XIII. Beatus qui in cella sua, tanquam Angelus in cœlo, castas retinet cogitationes, suoque cum ore collaudat qui omnium spirituum potestatem habet.

XIV. Beatus qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in spirituali liturgia nunquam est segnis, sed assidue glorificat Dominum.

XV. Beatus qui semper spiritali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit : coronabitur enim in gloria.

XVI. Beatus qui se purum et incontaminatum servat ab omni sorde peccati, ut confidenter in domum suam suscipiat Regem gloriæ Dominum nostrum Jesum Christum.

XVII. Beatus qui ad immaculata mysteria Salvatoris cum timore, reverentia ac tremore accedit, certo sciens se vitam in ipso recipere sempiternam.

XVIII. Beatus cui ob oculos quotidie versatur meditatio mortis, fœtidasque destruit cupiditates, quæ in ignavo-

rum cordibus latitant : quoniam in separationis hora consolationem accipiet.

XIX. Beatus qui assidue animo secum timorem gehennæ complectitur, et in lacrymis ac suspiriis sinceram pœnitentiam agere satagit in Domino : quia ex magna angustia liberabitur.

XX. Beatus qui sponte se assidue humiliat : quoniam ab illo coronabitur qui pro nobis seipsum ultro humiliavit.

XXI. Beatus qui omni cum pietate in cella sua sedet, quemadmodum Maria juxta pedes Domini; et sicut Martha sollicitus est in suscipiendo eodem Domino ac Salvatore nostro.

XXII. Beatus qui, divino timore incensus, semper in se Spiritus sancti ardorem retinet, et spinas ac tribulos pravarum cogitationum exurit.

XXIII. Beatus qui operibus alienis manus suas non polluit, sicut solent profani : etenim super hoc in die illa tremenda judicium erit coram Domino.

XXIV. Beatus qui pulchras ac bonas quotidie cogitationes excolit, et spe improbam desidiæ affectionem vincit, qua ascetæ Domini impugnari solent.

XXV. Beatus qui in opere Domini se gerit instar strenui militis, desides excitando, et pusillanimes in via Domini adhortando.

XXVI. Beatus qui fructibus in Domino abundarit, ut sanctos Angelos sibi custodes habeat, sicut fructifera arbor a proprio custodiri solet agricola.

XXVII. Beatus qui cum prudentia spiritali mansuetudinem amat, et supplantari non se permittit a serpente improbo, cum spem suam in Domino bono et misericorde defixam habeat.

XXVIII. Beatus qui sanctos honorat, et proximum dili-

git, et invidiam, qua Caïn concitatus fratrem occidit, ex sua propellit anima.

XXIX. Beatus qui opere Tyrannum reprehendit, et a conspectu flammæ voluptatum non inhorruit : nam rore Spiritus sancti perfundetur anima illius.

XXX. Beatus qui menti suæ tenebrosam Diaboli nebulam offundi non est passus, neque dulci lumine justorumque lætitia est privatus.

XXXI. Beatus qui oculis cordis illuminatus, semper contuetur Dominum : quoniam hic a cupiditatibus cogitationibusque improbis liberabitur.

XXXII. Beatus qui bona et honesta amat colloquia, et pravos ac turpes detestatur sermones, qui corrumpunt mores bonos : quoniam non reddetur captivus maligni.

XXXIII. Beatus qui proximum suum admonet cum timore Dei, nec animam suam decipit, ferream magni Pastoris virgam assidue pertimescens.

XXXIV. Beatus qui proximo morem gerit secundum Deum, et tribulationes æquo perfert animo : coronabitur enim talis, velut confessor in Domino.

XXXV. Beatus qui se ab ignaviæ vitio, velut parum virilis, vinci nequaquam patitur; sed perfectam amplectitur patientiam, qua sancti coronas acceperunt.

XXXVI. Beatus qui continentiam secundum Deum diligit, nec ventris causa damnatur, tanquam deliciis ac sordibus indulgens : magnificabitur enim talis in Domino.

XXXVII. Beatus qui non inebriatur vino, quasi gulæ luxuique deditus; sed semper se oblectat in recordatione Domini, in quo cuncti sancti sese oblectare solent assidue.

XXXVIII. Beatus qui suas facultates secundum Deum dispensat, et non condemnatur a Deo Salvatore, velut avarus et immisericors in proximum.

XXXIX. Beatus qui precibus ac lectionibus, bonisque operibus intentus est : illuminabitur enim talis, ne in mortem obdormiat.

XL. Beatus qui bona evasit sagena spiritalis, multosque optimo capit Domino : commendabitur enim ejusmodi valde inDo mino.

XLI. Beatus qui proximo bonum præbet exemplum, nec illius offendit conscientiam, faciens ea quæ non conveniunt : benedicetur enim talis in Domino.

XLII. Beatus qui longanimis est et misericors, barbaræque se iracundiæ mancipium non facit : quoniam talis exaltabitur in Domino.

XLIII. Beatus qui in charitate sublimis est, velut civitas super montem posita, quam cum aspexerit hostis, recedit cum timore, ab ejus sibi munitione metuens, in Domino.

XLIV. Beatus qui fide Domini clarescit, velut lucerna coruscans super altum candelabrum, et animas tenebrarum caligine obductas, quæ infidelium impiorumque hæresim sequuntur, illuminat.

XLV. Beatus qui amore semper capitur veritatis, et os suum, tanquam impietatis instrumentum, non accommodat mendaciis, illud de verbo otioso præceptum reformidans.

XLVI. Beatus qui non judicat proximum suum, tanquam insipiens; sed, ut prudens atque spiritalis, enititur trabem ex oculo proprio ejicere.

XLVII. Beatus cujus cor, instar palmæ, floret in rectitudine fidei; neque infidelium impiorumque hæresi, tanquam spinis, impellitur.

XLVIII. Beatus qui palpebras oculorum suorum continet, neque cum cogitatione aut sensu decipit pellis carnis, unde paulo post distillat sanies atque putredo.

XLIX. Beatus cui ob oculos versatur dies emigrationis ab hac vita, quique superbiam abominatur, priusquam im-

becillitas naturæ nostræ in sepulcro putrefacta redarguatur a morte.

L. Beatus qui mente sua versat mortuos tumulatim in sepulcris dormientes, omnemque fœtidam a se repellit concupiscentiam : nam in gloria excitabitur, quando cœlestis tubæ clangor audietur omnes filios hominum expergefaciens.

LI. Beatus qui prudentia spiritali stellarum chorum gloria resplendentem, cœlique pulchritudinem contuetur, et amore ac desiderio rapitur contemplandi Creatorem universorum.

LII. Beatus in cujus mente versatur ignis ille qui descendit super montem Sinai, clangorque tubarum, et Moyses in medio cum timore atque tremore consistens; quique salutis suæ non est immemor.

LIII. Beatus qui non confidit in homine, sed in Domino, qui iterum venturus est cum gloria multa ad judicandum totum orbem terrarum in justitia : erit enim velut arbor fertilis prope aquas posita, et fructum facere non cessabit.

LIV. Beatus cujus mens, tanquam nubes pluviis, gratia plena est, animasque mortalium ad incrementum fructuum vitæ capiendum irrigat : quoniam gratia ipsius in sempiternam cedet gloriam.

LV. Beati qui secundum Deum quotidie sunt vigiles ac sobrii; siquidem a Deo protegentur in die judicii, et velut filii thalami, in exultatione et lætitia Sponsum aspicient. Sed ego, meique similes, inertiæ ac voluptatibus dediti, gementes ac flentes contuebimur fratres nostros in gloria incomparabili, nos ipsos autem in tormentis.

Atque ista dum mecum perpendo, charissimi, in lacrymas prorumpo; quippe qui post cursum inceptum mox defeci, et in medio stadio a cursu destiti, miserandum spectaculum aspicientibus me præbens. Quomodo igitur segnitiem ac negligentiam meam maximam non deplorem? alii siqui-

dem in sacco ac ferro seipsos humiliarunt; alii vero in clausura et jejunio Domino servierunt; alii super columnas certamen absque reprehensione consummarunt; alii in deserto ac solitudine virtutem excoluerunt; alii in obedientia coronas acceperunt : ego autem miser, meique similes ignavi atque ambitiosi, forma quidem ac habitu pii religiosique sumus; sed re ipsa pietatem atque religionem exuimus. Quis enumeret passiones sanctorum martyrum, non virorum duntaxat, sed etiam fœminarum, et mente non obstupescat? Illi Dominum suum imitantes, humiliabant seipsos; nos autem honores et salutationes in foro expetimus: illi pietatis amore in custodiis conclusi, famem, tormenta et vincula sunt perpessi; nos vero ne minimum quidem laborem atque molestiam sufferre æquo animo possumus, sed delicias atque voluptates totis viribus consectamur : illi contumelias atque contemptus ad mortem usque libenter sustinuerunt; at nos etiam admonitiones aspernamur : illi flammas non curarunt; at nos ne durum quidem verbum perferimus : illi ad cruciatus et tormenta gaudentes atque lætantes publice incedebant; nos autem eorum audientes certamina, demiramur quidem, verum imitari ea nolumus. Quocirca multis opus est nobis gemitibus ac lacrymis, ne e regno ejiciamur cœlorum, cum magna certantibus proposita sit gloria. Ne simus ergo negligentes ac pigri in divinis officiis : « Non enim injustus est Deus, ut » obliviscatur operis[1] » servorum suorum, qui quidem se totos divinæ ejus voluntati submiserunt devoveruntque; qui propter sanctum nomen ejus huic sæculo renuntiarunt; qui, propriis relictis parentibus, se longe fecerunt; qui ad fores ejus pulsant hora tertia, sexta, nona, vespere et mane, aut potius tota die ac nocte. Et existimas hujusmodi humilitatem a Deo parvipendi? absit. Clausuras namque tole-

[1] Hebr. VI, 10.

rant, manibus operantur, jejuniis vigiliisque incumbunt, insultus malignorum spirituum sustinent, genua ad orationem flectunt, frontem assidue in pavimentum concutiunt, divinam ejus bonitatem suppliciter deprecantes : et horum ipse preces despiciet? absit. Homo, quantumvis horridus atque austerus, ab aliis ad eum accedentibus placari se permittit : et Deus, qui benignus est et bonus, qui dives est in misericordia, et ingratorum quoque miseretur, ejusmodi afflictionem, religionem, gemitus, lacrymas, compassionem, sanctitatem, humilitatem, silentium, continentiam, patientiam, superborumque submissionem aspernabitur? Nullo sane modo.

Caveamus ergo animos despondere, et in divinis officiis negligentes esse, charissimi : quin potius confidenter atque audacter pulsemus : nam quanto diutius perseveraveris pulsando, tanto locupletior tibi merces erit. Assidue vigila : qua enim hora minime expectas, mittet Dominus qui te congregent in horreum vitæ, in cœtum justorum; ut deinceps quiete perfruaris, et ab omni sollicitudine liber sis, ubi non est bellum neque adversarius : sublatus siquidem ibi erit hostis qui in pugnam descendat, simul cum belli occasionibus : est autem belli occasio, cupiditas pulchritudinis ad congressum : at in cœlis, neque nubent, neque nubentur; sed sunt sicut Angeli in cœlo[1]. Rursus occasiones belli sunt divitiæ et gloria terrena : verum hæc cuncta corruptibilia sunt, cum sint terrena. Idcirco et quidam nos sanctorum instruens, ait : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, » non est charitas Patris in eo : nam concupiscentia car» nis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ non » est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et » concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei,

[1] Marc. XII, Luc. XX.

» manet in æternum [1]. » Sicut enim qui in senticetum incidit, a spinis et vepribus pungitur, quousque exsilierit in locum mundum; at ubi jam se inde extricarit, non amplius timet spinas illas : ita et sancti homines, dum in similem locum sentibus ac spinis plenum incidunt, studio atque industria pro calceis utuntur; unde fit ut, per medium illarum euntes, ab iis minime vulnerentur. Inertiam vero sectantes, ac otio ad finem usque dediti, ab iis detrimentum capiunt, intereuntque. Atque hoc significans Dominus, filio qui reversus erat mandavit dari calceamenta pro pedibus, cum stola et annulo [2], ut audacter atque intrepide caput calcaret serpentis. Similem vero dicit esse loco spinis referto præsentem vitam, in qua spinarum instar germinant peccata [3] : loco autem puro supernam Hierusalem comparat, quæ est civitas Regis magni, ubi exulat tristitia, dolor et gemitus. Qua utinam perfrui nobis omnibus liceat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi. Amen.

SERMO II.

BEATITUDINES ALIÆ. CAPITA XX.

I. Beatus qui præsentem hanc vitam odit ac deserit, et in solo Deo meditatio vitæ suæ est.

II. Beatus qui odit ac detestatur pessimum peccatum, Deumque solum bonum atque hominum amatorem diligit.

III. Beatus qui in terra est tanquam Angelus cœlestis, et, imitator factus Seraphim, castas assidue cogitationes habet.

IV. Beatus qui castus est Deo, et sanctus ac purus a cunc-

[1] 1 Joan. II, 15-17. — [2] Luc. XV. — [3] Id. XVI.

tis immunditiis, cogitationibusque, ac operibus improbis.

V. Beatus qui totus in Domino est liber a cunctis hujus vanæ vitæ rebus.

VI. Beatus qui mente versat formidabilem illam futuri judicii diem, et qui lacrymis vulnera animæ suæ curare studet.

VII. Beatus qui prorsus est ut nebula in lacrymis, assidueque flammam ignis improbarum passionum restinguit.

VIII. Beatus qui in via mandatorum Domini ambulat, mansiones jugiter sibi sincere faciens per fidem et charitatem.

IX. Beatus qui in bonis asceticæ vitæ moribus proficit, et a Deo se regnum cœleste accepturum sperat.

X. Beatus qui horribilis mandati de verbo otioso meminit, et ori suo custodiam ponit, ne excidat a mandato.

XI. Beatus cujus anima facta est tanquam lignum nuper satum, semper lacrymas secundum Deum, tanquam flatum aquæ, continens.

XII. Beatus qui pro optimis plantis virtutes ac vitas sanctorum in sua plantat anima.

XIII. Beatus qui plantas suas plantat, irrigatque lacrymis ac precationibus, ut fructus gratos proferant Domino.

XIV. Beatus qui flamma amoris Domini incensus, sordidas quascumque cogitationes et animæ suæ inquinamenta comburit.

XV. Beatus qui suapte voluntate est velut terra pulchra ac bona, fructificans semen bonum in centesimo, trigesimo ac sexagesimo.

XVI. Beatus qui ex instituto inventus est semen bonum in agro quod in suo agro seminavit Dominus.

XVII. Beatus qui electam et cœlestem illam invenit margaritam, venditisque universis suis in terra bonis, emit illam solam.

XVIII. Beatus qui in agro absconditum thesaurum inve-

nit, et gaudens vendidit sua omnia, et illum solum possedit.

XIX. Beatus qui animo suo versat assidue diem ex hac vita discessus, studetque sedulo paratus et intrepidus in hora illa inveniri.

XX. Beatus qui in hora illa emigrationis, quando cum timore atque dolore anima separabitur a corpore, fiduciam invenerit : venturi enim sunt Angeli, qui animam accipiant et a corpore separent, sistantque ante tribunal immortalis ac tremendi Judicis. Magnus timor erit, o fratres, in hora mortis, quando cum timore atque dolore separabitur anima a corpore : siquidem in hora illa separationis præsentabuntur animæ sua quæ gesserit opera, diurna atque nocturna, sive bona sive mala ; impellentibus autem eam jam Angelis ut exeat e corpore, illa respiciens ad sua opera, egredi pertimescet. Peccatoris vero anima cum timore e corpore recedet, et tremebunda abibit, statuenda ad tribunal immortalis Judicis : cum autem jam emigrare e corpore cogetur, contuebiturque sua opera, tunc cum timore dicet eis : « Concedite mihi unius adhuc horæ spatium donec egrediar. » At cuncta ejus opera simul una voce respondebunt, dicentque ei : « Tu nos fecisti, tecum una ad Deum ibimus. »

Despicientes igitur vanitatem hujus vitæ, fratres mei charissimi, Christum unicum desideremus, sanctum ac redemptorem animarum nostrarum. Ignoramus, fratres, qua hora noster exitus futurus sit : nemo diem et horam separationis exploratam habet. Nobis super terram absque omni sollicitudine ambulantibus, et deliciis ac voluptatibus vacantibus, repente formidabile mandatum emittitur, separationis animæ a corpore ; migratque peccator die et hora non expectata, animam plenam peccatis habens, nec iis excusationem reperiens. Quamobrem hortor moneoque, charissimi, ut efficiamur liberi, neque vanæ et fugacis vitæ hujus servitute detineamur : hæc vita offendiculis et laqueis

mortis plena est; ab his animam nostram quasi alis quibusdam extollamus. Improbus dæmon perpetuo nostris animabus struit insidias, ut, cum eas scandalis affecerit, ad æterna supplicia pertrahat.

In medio offendiculorum incedimus, charissimi : quare attendamus nobis, ne in laqueos mortis incidamus. Dulcedine pleni sunt laquei malignæ mortis; caveat anima nostra, ne laqueorum ejus dulcedine relaxetur : est autem istorum laqueorum dulcedo, sollicitudo rerum terrenarum, ac pecuniarum, necnon pravarum cogitationum atque actionum. Cave dulcedine laqueorum mortis capiaris, frater; cave, dissolutus laxeris meditatione improbarum ac turpium cogitationum. Quod si aditum sibi in animam cogitatio mala fecerit, iniqua meditatione eam oblectat, ut ipsam morti tradat; fitque mala cogitatio tanquam laqueus in anima, neque expellitur, nisi precibus, lacrymis, continentia atque vigiliis. Idcirco advigila, et liber esto a cunctis rebus terrenis, ut a laqueis et a cogitationibus actionibusque iniquis libereris. Cave, ad momentum quidem temporis in improbæ cogitationis meditatione relaxeris : cave, frater, ne cogitatio perversa in anima tua immoretur. Assiduis ad Deum precibus, jejuniis ac lacrymis confugito, ut ab universis laqueis, offendiculis et passionibus libereris. Cave tibi longam adhuc in terris vitam persuadeas, o frater, et interim in meditatione pessimarum cogitationum actionumque mollescas ac dissolvaris; edictum autem ex insperato emissum a Domino te peccantem offendat, nullumque tibi pœnitentiæ ac remissionis tempus reliquum tribuat.

Et quid dicturus es morti in hora illa tuæ emigrationis, o frater ? accidit enim ut ne puncto quidem horæ te patiatur præceptum Domini in terris remanere. Cum longam multi sibi persuadeant in terris vitam, venit ex insperato mors, et hominem reperit peccatorem ac divitem sibi mul-

tos adhuc annos, quibus se tranquille super terram victurum credit, computantem, summamque pecuniarum suarum atque usuræ in digitis supputantem, et in multa annorum tempora numerum suarum divitiarum partientem : venit autem mors ex insperato, et omnem ejus computum una cum divitiis et sollicitudinibus vanissimi temporis in momento destruxit. Venit rursus mors eadem ad virum justum, quem bonas et cœlestes divitias precibus ac jejuniis congregantem, mortemque assidue ob oculos habentem, mortisque adventum ac corporis separationem nullatenus metuentem invenit. Sic et tu semper, velut intelligens ac spiritualis, quotidie mortem, ac separationem animæ a corpore, apparitionemque ad tribunal Domini, expecta. Lampadem tuam quotidie, tanquam paratus ac prudens, instructam habe, eamque iterato singulis horis cum lacrymis et precibus, ut parata sit, adverte. Quamdiu tibi est integrum, neque oppugnaris, serio tuis rebus consule, charissime. Veniet enim tibi tempus incredulitatis, negligentiæ, ignaviæ atque duritiei plenum, quod præ confusione sua quæ sint potiora cogitare non sinet. Attendite, charissimi, quo pacto omnia jam mala vigeant, quomodo pessima quæque suos quotidie progressus faciant, quomodo malitia accrescat : quæ omnia futuram confusionem, magnamque illam tribulationem superventuram in omnes fines terræ portendunt. Propter nostra peccata quotidie ista omnia proficiunt, et propter nostram relaxationem atque ignaviam vitia in terris regnant.

Simus ergo vigiles, o Dei amatores, et strenui bellatores, ut quotidie hostem improbum in pugna superemus, velut perfecti amatores Dei. Instruamur et moribus hujus belli : siquidem invisibilis est hostis; sunt autem in hoc positi mores belli istius, ut nos rebus spoliemus terrenis. Si mortem assidue ob oculos constitutam mediteris, non peccabis;

si rebus terrenis exutus fueris, in pugna non superaberis; si terrena oderis, et momentanea, charissime, despexeris, tunc victoriæ palmam, tanquam optimus belligerator, consequeris. Cum enim res terrenæ deorsum ad se trahant, et passiones oculos cordis in bello obfuscent, hanc ob rem nos in belli conflictu improbus vincit hostis, quod terreni simus, rerumque terrenarum nimium satagamus, et cupiditatibus serviamus. Nam quotquot sumus, charissimi, terrena hodie diligimus, et in terris mentem nostram defixam habemus, ob nostram mollitiem atque segnitiem. Dies inclinat ad vesperam; tempus nostrum effluxit; nos autem, ob nostram incredulitatem, horam adhuc matutinam esse putamus. Ecce præ foribus est regnum cœlorum; et nos interim de hoc nolumus audire signa et prodigia quæ Dominus prædixit. Pestilentiæ, terræ motus, terrores, bella ac gentium motus jam contigerunt : hæc autem omnia nobis pro somniis referri videntur, neque quidquam commovemur eorum auditu vel etiam aspectu. Electi, ne videant magnam illam confusionem atque pressuram, quæ iniquum hunc mundum obruet, colliguntur. Jam tempus advenit messis, et maturuit seges : finem habet hoc sæculum, et Angeli, arreptis falcibus, nutum præstolantur.

Timeamus ergo, charissimi. Hora est jam undecima diei, et prolixum adhuc iter nobis superest. Ad hoc incumbamus, ut in via inveniamur. Sobrii simus, et evigilemus a somno, velut insomnes. Ignoramus qua hora Dominus universæ terræ venturus sit : quare a nobis onus atque sollicitudinem rerum terrenarum deponamus; vetat enim Dominus sollicitos omnino nos de quacumque re super terram esse [1], commendatque mutuam inter nos charitatem [2]. At a nobis potius charitas exterminata est, et e terris profligata : peccatis plena sunt omnia; cunctos pariter occupavit injusti-

[1] Matth. VI. — [2] Joan. XVIII.

tia; unusquisque terrena concupiscit, et cœlestia spernit: futura diligit nemo. Cupis cœlestis fieri? sint tibi semper odio atque detestationi quæcumque res terrenæ: exercitationem, tanquam perfectus, cole, et ad regnum cœleste, aspira. Cave autem tecum cogitando sic dixeris, monache: « Magnus in exercitatione consistit labor; ego vero pusillus sum et imbecillis, nec exercitationum laborem perferre valeo. » Auribus tuis pulcherrimi optimique consilii verba percipito, et quæ tibi, charissime Christique amantissime frater, dicturus sum memoriæ manda. Si ad aliam longinquam regionem et patriam peregrinari velis, non poteris totius itineris intervallum unico temporis momento absolvere; sed pedetentim quotidie per multas mansiones proficiscens, post magnos tandem itineris exantlatos labores pervenies in eam quam expectabas regionem. Sic quoque de cœlesti regno et paradiso deliciarum agitur, quo per jejunia, per continentiam et per vigilias unusquisque pervenire potest; siquidem continentia, lacrymæ, preces, vigiliæ et charitas, ipsæ sunt mansiones quæ in cœlum ducunt. Ne verearis pulchrum initium bonæ viæ suscipere, quæ ad vitam ducit: per illam solum incedere viam velis, et promptus in te animus invenietur, eademque mox via ante pedes tuos dirigetur. Gaudens et incedens non sine oblectatione per iter illud mansiones facies; gressus animæ tuæ per singulas mansiones reddentur firmiores. In hac via, quæ ducit ad cœlum, nullam invenies difficultatem: Dominus ipse cœlestis per seipsum factus est via vitæ his qui cum gaudio ad Patrem luminum pervenire cupiunt.

« Tu mihi, Christe Salvator, factus es via vitæ, ad Patrem ducens. Sola hæc gaudium in se continet, finisque ejus regnum cœlorum est. Factus es mihi, Domine Jesu Fili Dei, via vitæ et illuminatio, hausique per me ipsum ex tuo fonte dona, plenus desiderio. Facta est tua gratia in

corde servi tui lux atque lætitia, dulcior in ore famuli tui super mel et favum. Facta est gratia tua in anima servi tui velut thesaurus, paupertatem ditavit, egestatem et putredinem depulit. Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, protectio et exaltatio, gloriatio et cibus totius vitæ. Quomodo ergo servus tuus, Domine, magnam charitatis et gratiæ tuæ dulcedinem silere poterit? Indignum os meum aperui; sed quo pacto lingua mea largitorem bonorum pro dignitate laudare et glorificare poterit? aut quomodo rursus ego peccator excludere audebo gratiæ tuæ fluctus in corde meo pullulantes, ac suavitate multiplicium donorum plenos? Canam gloriam cœlorum Domino, qui famulo suo dona cœlestia per multiformia munera est largitus. Magnificabo gratiam tuam, Christe Salvator : in hac etenim magnificanda ego ipse magnificabor. Non cessabo, Domine, lingua mea gratiam tuam collaudare; non silebit mea cithara modulans cantica spiritualia. Ad te, Salvator, qui gloria es vitæ meæ, desiderio tui trahor; tua gratia mentem meam ad sequendum te, dulcedine quadam, trahit. Fiat tibi cor meum terra bona, quæ semen bonum suscipiat, illamque rore vitæ æternæ perfundat gratia tua : eademque gratia manipulum optimum e terra cordis metat compunctionem, adorationem, sanctificationem, cujusmodi semper tibi sunt gratissima. Converte meam animam cum ove illa inventa ad ovile paradisi deliciarum : anima mea in illo lumine inveniatur; et sicut ovem illam inventam in humeros tuos sustulisti, ita quoque indignam hanc meam animam ad te manu tua trahe, offerasque utrumque immaculato atque immortali Patri; ut cum omnibus sanctis in deliciis illis paradisi dicam : gloria Patri immortali! adoratio ei qui cœlestia dona vili atque abjecto contulit, ut gloriæ drachmam ipse offerat Regi universorum in sæcula! » Amen.

SERMO III.

DE BEATITUDINIBUS ATQUE INFELICITATIBUS.

I. Beati qui Deum diligunt, et propter amorem ipsius omnes res spernunt terrestres. Beati qui lugent nocte ac die, quoniam ipsi a ventura ira liberabuntur. Beati qui voluntarie se ipsos dejiciunt, quoniam ibi exaltabuntur. Beati continentes, quoniam paradisi deliciæ ipsos suscipiunt. Beati qui affligunt sua corpora per vigilias atque exercitationes, quoniam exultatio paradisi ipsis præparata est. Beati qui purgant se a pravis cogitationibus, quoniam Spiritus sanctus habitat in ipsis. Beati qui diligunt Deum ex tota anima super omnia, quoniam ipsi amici Christi invenientur. Beati qui libenter ferunt crucem ipsius, et in veritate Christum subsequuntur, quoniam ipsi occupabunt supernam Hierusalem. Beati qui præcinxerint lumbos suos in veritate, paratas habentes lampades suas, expectantes cœlestem sponsum; quoniam cum ipso regnabunt in regno cœlorum. Beatus qui possidet intelligentes oculos, stabili mente revolvens contemplationem futurorum bonorum, quoniam occupabit illa. Beatus qui assidue habet ante oculos diem qua rationem reddet, quique acceptus inveniri studet. Beatus qui victor extitit voluptatum carnis, quoniam fiduciam habebit ultima die judicii. Beatus qui luget in terra propter Deum, quoniam illius fructus in cœlis germinabunt. Beatus qui gratis panem non comedit, sed in sudore manuum suarum, juxta Apostolum, et aliis erogat ex propriis laboribus, quoniam in sinu Abrahæ requiescet.

II. Væ illi qui in erroribus existit, et non novit tempus pœnitentiæ; quoniam ibi eum pœnitebit cum ejulatu inutiliter in sæculum. Væ illi qui dicit : Quoniam in præsentia voluptatibus carnis fruar, et in senectute pœnitentiam agam; quoniam sicut laqueus, ita superveniet illi mors improvisa et expectatio illius peribit. Væ illi qui voluntarie peccat, et cras vult resipiscere : non enim intelligit quid pariat superveniens et media nox. Væ illi qui dat manum scelesto, bonum cognoscens; quoniam Angeli mali illum suscipient in die obitus ipsius. Væ illi qui ponit offendiculum proximo ex iniquis suis operibus, quoniam rationem reddet in die judicii, pro quibus et aliis scandali occasio fuit sui ipsius malis facinoribus. Væ illi qui mundo renuntiavit, et rursus ea quæ mundi sunt sapit; quoniam parabola aratri persequetur ipsum. Væ illi qui sequitur voluntates carnis, et parvi facit curam animæ suæ; quia resolvetur in terram vita ipsius, et ipsius spes. Væ ei qui non studet omnibus suis viribus dehinc parare, ut hinc afferat defensionem. Væ iis qui patientiam amiserunt! et quid facient cum visitabit Dominus?

III. Satagite, dilecti, hoc brevi tempore vobismetipsis opitulari, et per pœnitentiam et lacrymas propitium reddere patientem ac misericordem Deum, qui suscipit conversionem nostram, et vitam præbet. Ne spernamus salutem nostram, ne delectemur voluptatibus hujus mundi; quoniam ad tempus sunt, et postea displicentiam inducunt, et vicissim ad alios transeunt : et omnis mundi hujus gloria de terra in terram redit, nihilque aliud nos comitatur præter solum peccatum, atque ex hoc supplicium. Nemo nobis illa die auxiliabitur, non amicus, non cognatus, nisi hinc pœnitentia, virtutesque adjutrices ipsius, vera dilectio, humilitas, obedientia, continentia : hæ nos ex hac vita comitantur : hæ obsistunt adversis potestatibus, quæ nos com-

prehendere volunt in exitu hujus nostræ vitæ. Illæ offerunt nos Salvatori Christo, ut adoremus et glorificemus una cum Patre et sancto Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

DE MANSIONIBUS BEATIS.

I. Salvator noster mansiones multas Patris, vocat mensuras intelligentiæ eorum qui in regione illa commorantur : dico autem discrimina ac differentias quibus mente et intelligentia gloriam participant; non enim locorum diversitatem, sed charismatum ordinem, mansiones multas appellavit. Quemadmodum enim unusquisque pro puritate et capacitate visivæ potentiæ sensibilibus radiis solaribus fruitur, et quemadmodum unica lucerna in una domo lucente, aliter atque aliter luminis splendor diffunditur, licet etiam per multas lucernas non fuerit divisus : ad eumdem modum in futuro sæculo justi omnes indivisibiliter habitabunt, unius gaudii participes. Cæterum pro sua ipsius mensura ac capacitate, ab uno sole intelligibili splendorem suum quilibet accipit, et pro dignitate, gaudio et exultatione perfruitur, tanquam ab uno aëre, et loco ac cathedra, et contemplatione atque forma. Neque contemplatur quis alterius præcellentioris inferiorisve indigentioris mensuras : ne videns superabundantem sodalis sui gratiam, suique ipsius defectum, sit hoc ei doloris et mœroris causa. Absit autem ut id fiat ubi dolores et suspiria desunt.

II. Verum quisque secundum datam sibi gratiam, pro sua capacitate atque mensura interius lætatur; licet una foris

sit omnium contemplatio et gaudium unum. Et extra duos hosce ordines alius non est ordo medius (1) : loquor autem de altero quidem superno, altero vero inferno, inter quos medians est varietas differentiæ retributionum. Quod si verum sit ut constat esse verissimum, quid insipientius absurdiusve iis qui dicunt : Quoniam suffecerit mihi gehennam effugisse, ingredi autem regnum cœlorum mihi non est curæ : cum effugere gehennam, hoc ipsum sit regnum ingredi; quemadmodum, et eo excidere, in gehennam est introire. Neque enim tres nos regiones Scriptura edocuit [1]. Quid ergo ? « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, » statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinis- » tris [2]. » Non enim tres ordines recensuit; sed unum a dextris, et alterum a sinistris : separavitque regiones horum a tabernaculis istorum, dicens : « Quoniam abibunt hi in sup- » plicium æternum [3], » peccatores videlicet; « Justi autem in » vitam æternam, fulgebunt sicut sol [4]. » Et rursus : « Ve- » nient ab oriente et occidente, et recumbent in sinu Abra- » hæ, in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in te- » nebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium [5]. »

SERMO V.

DE LOCIS BEATIS.

I. Hæc ipsa præcepta complentes, istuc eorumdem fructus præmittamus : hæc, charissimi, hic quidem perficiuntur, at ibi præoccupant : hæc, fratres, hic quidem apparent parva, sed ibi magnam et incomparabilem nobis mer-

[1] Matth. xxv, 31. — [2] Ibid. 33. — [3] Ibid. 46. — [4] Matth. xiii, 43. Sap. iii, 7. — [5] Matth. viii, 11, 12.

cedem præparant. Illud quodcumque mandatum receptum antevertit observantem illud; illuc omne præceptum et opus bonum, sive magnum sive parvum, in promptuaria cœlestia abit, reponiturque ubi neque tinea neque ærugo demolitur, neque fures perfodiunt [1]. Illuc aliquid bonorum operum præmittere studeamus, ut hac vita lacrymabili et ærumnosa defuncti, cum fiducia istuc properemus, gaudentes præstolantesque in nubibus occursum, mereamurque introire ubi omnes quoque sancti in magno gaudio regnant, pro nobis deprecantes Dominum ut digni habeamur qui possimus intrare in gaudium illud ineffabile, incomparabile et inenarrabile, in quod desiderant angeli prospicere [2], ubi chori et agmina justorum. Ibi sinus Abrahæ excipit eos qui hic tribulationes, instar Lazari, passi sunt : ibi thesauri æternorum bonorum aperiuntur, ubi superna Hierusalem mater primogenitorum, tanquam sponsa ornata, excipiens mandatorum Domini observatores : ibi in terra beata mansuetorum, ubi cuncta sunt pacifica atque tranquilla, ubi cuncta lucida et spectabilia, ubi nullus injuriæ illator aut tyrannus, ubi nullum est peccatum ac denigratio, ubi lux inaccessibilis et gaudium ineffabile, ubi nec labor nec lacrymæ; ubi nec cura, nec sollicitudo, nec planctus; ubi non est masculus et fœmina, ubi non est diabolus et mors, ubi neque jejunium neque dolor, neque contentio neque æmulatio, sed universim et undequaque gaudium, pax, lætitia; ubi aqua est refrigerii, et locus herbæ virescentis, et fons in quatuor partes divisus, ac vinea ab universorum Deo exculta in illa terra beata pulcherrimorum germinum ac fructuum, quæ lignum vitæ portavit, quæque spiritalibus gratiarum fontibus distillat, in qua vinea vera germinat, cujus agricolam spirituum novimus : vita est immortalis, et bonum inexplicabile, nulloque nomine exprimen-

[1] Matth. VI. Luc. XII. — [2] I Petr. I, 12.

dum, ubi pulchritudo illa ineffabilis, ubi lumen verum et omnis bonitatis fons, et potestas quæ omnibus rebus præest, quæque sola amabilis est, atque perpetua exultatio, ac lætitia sempiterna, lux nesciens occasum, sol non occidens : ubi civitas Regis est de qua magnifica et gloriosa sunt prædicata, in qua festos dies agentium voces resonant, in qua sapientiæ thesauri et intelligentiæ arcana. Ibi, fratres mei charissimi, dona maxima, gaudium incomparabile, quod hominis voce explicari nequit : ibi Angelorum myriades, primogenitorum celebritates, Apostolorum throni, Prophetarum præsidentiæ, Patriarcharum sceptra, coronæ martyrum, laudes justorum : ibi audacter atque intrepide versantur qui arctam et strictam ingressi sunt viam, chorosque cum Archangelis jungunt qui in solitudinibus, montibus, speluncis, terræque foraminibus jejunando, vigilando, ac lacrymando se ipsi confecerunt : et Pater orphanorum judexque viduarum in æterna tabernacula recipit pupillos et eas quæ vere viduæ sunt. Ibi omnis principatus ac potestatis merces reposita est, locusque paratus pontificibus, sacerdotibus, diaconibus, subdiaconibus, lectoribus, regibus, principibus, militibus, divitibus, pauperibus, virginibus, conjugatis, servis, liberis, viduis et orphanis : omnibus, inquam, his ibi reposita sunt præmia, fructus et actiones, et quod quisque istuc præmiserit, sicut scriptum est : « Quia in manu ejus » et nos et sermones nostri [1]. » Et rursus apud Apostolum : « Quia uniuscujusque opus manifestum erit [2]. » Et alibi dicit : « Quod enim seminaverit homo, hoc et metet [3]. »

II. Quamobrem ista scientes, seminemus opera justitiæ, seminemus, inquam, in pauperum, viduarum et pupillorum manibus; ut istic liceat metere vitam æternam. « Dum tem» pus habemus, operemur bonum [4], » præmittamusque istuc quisque pro viribus eleemosynam, compassionem, hospita-

[1] Sap. VII, 16. — [2] 1 Cor. III, 13. — [3] Galat. VI, 7. — [4] Ibid. 10.

litatem, pœnitentiam, lacrymas, jejunium, vigilias, continentiam, orationem, psalmodiam, abstinentiamque a conviciis, injuriis ac certaminibus, tribulationem, tolerantiam, humicubationem, virginitatem : majora autem cunctis tria ista, ne hæresi ulla polluatur fides, ut in pauperes amor vigeat, et fratribus offensiones condonentur, utque nullæ simultates nullæque inimicitiæ cum aliquo suscipiantur. Quæ et similia, fratres mei, facientes præmittamus singuli istuc pro viribus, unus quidem unum præceptum, alter autem duo; unus quinque, alter decem, alius vero triginta; alius sexaginta, alius autem centum. Deus autem miserationum, cui vel duo sola minuta viduæ accepta fuerunt, suscipit ab unoquoque et multa et pauca, et retribuit singulis, sicut scriptum est : « Quoniam unusquisque propriam mer» cedem accipiet[1],» secundum proprium laborem. Saltem ne prorsus quis infructuosus inveniatur.

Reliqua hujus sermonis habentur classe III, serm. I, *de festis Diebus*.

[1] I Cor. III, 8.

DE PARADISO EDEN

SERMONES DUODECIM.

SERMO VI.

DE PARADISO EDEN I.

I. Divina Moysis doctrina posteri profecere omnes : hanc ille gravissimis et certissimis monumentis testatam accepit, et Pentateucho complexus est, Hebræisque suæ disciplinæ alumnis tradidit. Opus profecto venerabile, quod cœlestium arcanorum ærarium jure appelles. Ab hoc fonte nobis manavit paradisi Eden notitia, de quo hic agendum erit. Magnum sane argumentum de cujus veritate quanquam ambigere nefas est, ab ejus tamen tractatione me semper absterruit mysteriorum eo comprehensorum majestas, et scriptoris in iis exponendis concisa et astricta oratio, circa ea præsertim quæ de geminis arboribus narrantur plane admiranda.

II. Hæsi enimvero animi varius, cum duplex affectus velut anceps æstus incertum raperet; amor quippe cognoscendi Paradisum, ad explorandas ejus naturam et proprietates trahebat; retrahebat contra avertebatque metus ob rei difficultatem et amplitudinem. Affectui utrique, quantum fas fuit, aliquid indulgendum statui : quæ proinde per se arcana prodenda non esse ducebam, tacitus pie veneratus sum ; quæ autem clara et aperta prostabant,

accuratius expendenda suscepi : eam itaque disquisitionem mihi proposui, per quam rerum utilium cognitione proficerem, illudque mihi indixi silentium, per quod officio et reverentia auctoris mihi demerer gratiam.

III. Equidem de Paradiso multa scribere mihi jucundissimum est, etsi pauca de ipso legere licuerit, cum multa sint quæ si quis examinare velit, operosum studium, curam longissimam deposcant; oculis igitur in ea quæ sibi subjecta erant intentis, animus ad sacratiora Paradisi adyta transvolavit, in ejusque gloriam totum se mersit; non quod confiderem assequi me posse qualis ille et quantus sit, sed quod discere vellem quæ homini de illo scire fas esse putabam.

IV. Paradisum oculo mentis vidi; in editissimo loco ille positus est, despicitque depressos infra sua pomœria altissimos quosque montes; quamobrem affusæ orbi nostro diluvii aquæ summis radicem ejus tantum rasere fluctibus, pedibusque ejus velut oscula libantes, aditum adoravere, subitoque recessu in circumjectos colles montesque defluxerunt. Generalis ergo illa aquarum alluvio calcaneum Paradisi innocenti affluxu lambit, reliquorum vero montium capita contundit.

V. Attamen etsi Paradisi altitudo immensa sit, nec ideo arduus et difficilis est ejus ascensus illis, quibus tam præclara hæreditas obvenit, tales Paradisus sua pulchritudine allicit, et gloriosa luce ex interioribus adytis promicante, indeque spirantis odoris suavitate trahit. Claræ nubes tentoria componunt iis qui illam meruere sedem; inde filii lucis in orbem nostrum delapsi, cum libuit, terras in quibus passi sunt frequenter revisunt, insultant fluctibus maris : incolas nempe Paradisi reverentur freta quæ Simonem, cum esset petra, submisso dorso sustinuerunt. Fortunatum illum cui obtigit spectare suos illorum choris admixtos !

VI. Qui porro supernas obtinent sedes, infra posita cognatorum tecta respectant, et nubibus per aërem vecti, notas repetunt oras quarum accolis recte vivendi præcepta dederunt, et quasi principes et moderatores præsunt. Talium curruum ornatus et magnificentia laboribus pro Deo haustis respondet, et triumphi numero populorum quos unusquisque erudivit. O vos beatos quibus licebit videre Prophetas et Apostolos sua ducentes agmina, et singulos suis stipatos alumnis ! ratum enim et certum est illud : « Qui » fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœ» lorum[1]. »

VII. Et quoniam Paradisi locus ab orbe nostro remotissimus hominem spectatorem non admittit, audendum nihilominus, et illuc aditus, qua dabitur via, pertentandus ; symbolis itaque et undecumque quæsitis comparationibus ad cognitionem, quæ per se incomparabilis, enitendum. Qualem cernis orbem lunæ, talem finge tibi Paradisum, in eam conformatum figuram ut undique mare terram que ambiat et intra se contineat.

VIII. Ex quo autem huc defluxit oratio, et dulce est de Paradiso loqui, alias præter allatam imagines hic subjiciemus. Moyses pulcherrimum tabernaculi altare corona cinxit, quam ex auro conflavit ; simili quippe metallo splendebat, quo cingebatur, altare : talem commentare tibi Paradisum, diadema scilicet mira summi Opificis arte fabrefactum, mundoque circumductum.

IX. Cum autem peccasset Adam, Deus illum e Paradiso expulit, et in subjectam vallem ex gratia relegavit ; cumque ejus posteri illic obdurarent obstinati in flagitio, dissipati sunt ; et quoniam vicinas Paradiso obtinere sedes non meruere, inde rursus ejecti, Deo jubente ab Arca in Cardoos montes deportati sunt.

[1] Matth. v, 20.

X. Illic diviso contubernio geminæ duorum fratrum familiæ ab invicem discessere; et Cain in terra Nud habitavit infra devexa montium, quos Seth et Enos cum sua stirpe jam ab initio insederant, qui et filii Dei nuncupati sunt, hæsitque ipsis cognomentum, donec, relicto patrio solo, in planitiem descenderunt, indeque duxere sibi uxores filias hominum, nempe Cainitarum.

XI. Hic porro mente consurge, et contemplare filios lucis in Paradisi arce locatos, indeque velut e sublimi specula horribilem Tartari faciem intuentes. Recole divitem ibidem detentum et superos respectantem, atque in eorum ordinem Lazarum beata sorte cooptatum. Rogat infelix Abrahamum, ut afflicto ferat opem; at ille, quo certe non mitior alter, quique ut a Sodomitis miserandam cladem averteret nil intentatum omiserat, severus tamen divitis casum miseratus non est, iniquum ratus misericordiam ei tribuere qui fratri negaverat.

XII. Interjectum porro immane chaos, sublata utrisque commeandi facultate, dirimit commercium, quod si daretur, amorem aliquando pareret, nec mediocrem justis de pœna iniquorum animi ægritudinem. Qui enim fieret ut illi, cernentes in Tartaro filios, fratres aut quavis alia necessitudine sibi conjunctos acerbissimis affectos suppliciis, non commoverentur, si eos amarent? At enimvero ea est sanctorum felicitas, ut nec pia mater de impii filii dolore perturbetur, nec ægre ferat hera miserabilem exitum ancillæ, quam in schola fidei habuit sodalem.

XIII. Deridebunt justi persecutiones passi impios persecutores suos, torti tortores, et interfectores interfecti, Prophetæ lapidibus obtriti, Apostoli trabibus suffixi tyrannorum capitibus insultabunt. Porro filii lucis ab illa gloriæ atque felicitatis altitudine, in qua se positos aspicient, sontes tartareo carcere detentos identidem prospectabunt,

animoque revolventes quem illi vitæ tenuere cursum, mirabuntur qui factum ut homines mente et ratione præditi, abjecta salutis spe et pœnæ metu, vitiis sese dediderint!

XIV. Oh! quale paratur malum sceleratis qui ea quæ in frequenti celebritate et clara luce committere erubescebant, tenebris occultari posse credebant! integumenta proinde quærebant quibus sua involverent flagitia, eaque non solum oculis intuentium subducerent, verum etiam audientium aures mendaciis illudere ineptissimis contenderent. Ego vero extra misericordiæ tuæ, Domine, gratiam alia velamenta non petam. In illa certe omnium maxima celebritate peccator digito monstrabitur, et ejus scelerum flagitiorumque notitia omnia inde sæcula pervagabitur.

XV. Sed audaci ingenio meo hæc commemorando indulsi satis; fortasse non deerit qui dictis addere audeat, benigna Dei dispositione provisum iri ut indocti ac rudes, qui ex insipientia legem violarunt, culpæque taxatas pœnas pependerunt, per loca Paradiso adjacentia distribuantur, alimenta statui suo convenientia inde petituri.

XVI. Hæc tamen si existit regio alia Paradisi, perinde ac si non existeret, minime attenditur, ardentissime tamen appetitur a nocentibus in infima gehennæ loca relegatis; ejus certe prospectus ipsis exaggerat pœnam, dum rivos per subjecta Paradisi prata salientes intuentur, indeque micat cor hausto istinc humore sitim sedare cupiens. Hasce, inquiunt, flagitabat aquas dives ille, incassum tamen; qui enim flammarum quo is cruciabatur ardorem utcumque mitigare vellet, neminem invenit. Sic miseri intrinsecus igne, extrinsecus aqua torquentur.

SERMO VII.

DE PARADISO EDEN II.

I. Nemo felicior illo qui Paradisum desiderat; vix alium extra istum Paradisus impensius amat aut cupit ardentius : homini sic erga se affecto venienti in limine lætus occurrit, sinu complectitur, condit intra viscera; aversum autem et ab ipso alienum merito fastidit, abominatur, fugit. Janua scilicet Paradisi homines explorat et discernit, quanquam neminem non amet.

II. Age itaque, dumque vita manet, fabricare tibi clavem Paradisi : janua illa, jam audisti, te desiderat, tuum læta præstolatur adventum, jamque præsenti jucundissime arridet; rationalis est, suum intrantibus commetitur ambitum, modo major, modo minor; ad staturam et dignitatem singulorum se conformat, suisque incrementis et decrementis signat illorum majores aut minores in virtute profectus.

III. Quam istæc omnia caduca sint, nemo aliquando tandem non agnoscet : periere divitiæ, oblectamenta et voluptates evanuerunt, defluxit eximia oris species, et potestatis insignia ablata sunt. Ducta videlicet ultima vitæ linea omnes in ignotam deportabuntur regionem, ubi recursante præteritæ fortunæ memoria, præsentis status calamitatibus et miseriis ingemiscent; animadvertent opes esse somnia et ampla patrimonia umbram : quæ possidebant bona, dolebunt amissa; quibusque carebant, malis se miserrime obrutos deplorabunt, potentiam inutilem, invidiosam opulentiam, quibus hactenus cohæserunt, jam avolasse; quæ

vero nunquam non oderunt, egestatem et animi corporisque ægritudines jam adesse; quibus confidebant, præsidia defecisse, illisque repente oppressos, quæ nunquam timuere, malis : hinc mœsta ducentes suspiria, mirabuntur quomodo victi, quomodo ex improviso capti spoliatique nec hostem nec latronem præsenserint. Fefellit incautos falsa propriæ fortunæ gloria, quos vera commissorum scelerum pœna premit : brevis felicitas defluxit, in ævum duraturæ miseriæ usque manebunt.

IV. Tum vero justi clare perspicient umbram fuisse et plane nihil vitæ transactæ calamitates, quasque sustinuere pridem ærumnas jam nullas esse, quibusque conflictari solebant incommodis, jam datum finem; pia jejunia, quasque sponte suscepere pœnas somnium avolasse, dissipata proinde rerum falsa imagine veræ felicitatis sibi diluxisse diem, et quæ regni cœlestis propria est, rerum omnium copiam affluxisse.

V. Etsi Paradisus, ut dixi, ob immensam altitudinem extraneis inaccessus sit, facili tamen aditur clivo a justis; his enimvero se totum indulget impertitque. Universam ambit terram et magnum mare, proximus cœlitibus, suorum amicus, inimicus externorum.

VI. Vidi secus clausum subolescentes læto proventu ficus, quarum foliis contextæ coronæ damnatorum capiti non male congruerent : cæterum etsi earum frondes expeterent fortasse alii suis spoliati indumentis, iis tamen in Paradiso vestiri neminem non puderet; nam etsi nudum vestirent, rubore tamen et mœrore suffunderent quia nuditati tegumenta quærere, quanquam alibi fieri debeat, in sacrario tamen sanctitatis vertitur in dedecus.

VII. Fallitur quisquis capere se posse putat quæ Paradisum exornant decora; non enim hominis est comprehendere ejus constitutionem, præstantissimum magnæ mentis

opus, aut partium ejus distributionem earumque mutuam inter se habitudinem, aut domicilia, aut thalamos incolis amplissima ornatissimeque disposita. Perennes rivi felicia ejus arva oberrant, qui, etsi a natura loci suavissimum trahunt odorem, non servant tamen, uti nec saporem; mutant enim, postquam nostras attigere terras; nostri quippe soli qualitatibus imbuuntur, ut nostris aptentur usibus.

VIII. Suprema igitur illa voluntas, cui cuncta parent, aquas quæ per Paradisi prata vagabantur coëgit in fluvios, et per subterraneos meatus ad nos derivavit, scatebrasque eisdem distinxit, quo fere modo nunc illas extenuat, et in nubem concretas suo nutu, per aërem diffundit.

IX. Age vero, summus ille Artifex uti Paradiso, quæ ejus loci dignitas exigebat, ornamenta dedit, sic eorumdem copiam et qualitatem distinxit, simul etiam variavit, ut ex ipsa ornatus varietate constaret differentia et series graduum ex eo quod inferioribus altiores amplitudine et splendore præstarent : infimos conditionis infimæ habitatoribus concessit, medios mediæ, supremos supremis.

X. Cum ergo justi Paradisi instituti hæredes ad cernendam suam singuli hæreditatem convenerint, magnus ille Judex unicuique propriis competentem meritis locum attribuet, intra quem se quisque continere debebit. Incolarum multitudini et varietati recipiendæ graduum amplitudo et distributio statuta est. Pavimentum pœnitentibus relictum est, mediam regionem habent innocentes, et quæ huic proxime supereminet triumphatores, supremam Divinitatis thronus obtinet.

XI. Ipsum hunc ordinem in Noëmica arca servatum fuisse inde colliges, quod Noë animalia per infimos arcæ thalamos distribuit, volucres per medios, ipse quasi Deus supremos sibi reservavit. Simili serie ad Sinaï juga promiscuum vulgus intra vicinos campos se continuit, sacerdotes

circumstetere clivum montis, in ipso medio clivo Aaron cum sociis substitit, Moyses ad culmen progressus est, summum montis apicem insedit Deus.

XII. Arca itaque et Sinaï geminæ sunt Paradisi figuræ, in quibus nobis ejus conditor constitutionem ejusdem descripsit, indicavitque Paradisum fuisse locum deliciis, qua corporis, qua animi refertissimum, in quem quidquid ipse reliquis mundi partibus contulerat, optimum congessisset, securitatem videlicet ob immensam suam altitudinem, ob florum et aromatum plantarumque cujusvis generis copiam et varietatem sensibus gratissimam amœnitatem. Is fuit Paradisus, qui tamen Ecclesiæ umbra et figura fuit.

SERMO VIII.

DE PARADISO EDEN III.

I. Sed enimvero Paradisum illum, fratres, qui in summo positus est, ut modo aiebam, et in quo velut in sua sede moratur Deus, nobis profecto penitus interdictum est invadere, vel cogitatione apprehensum describere; quæ enim mens adeo perspicax fingi potest, cujus aciem ille Paradisus non fugiat, aut discursum non antevertat, aut processum non prætervolet? Longe enimvero remotus est locus, et a nostris sensibus sejunctus, ejusque amplitudo et opulentia nostram plane superat intelligentiam.

II. Nota vitæ arbor, opinor, innata luce Paradisum ubique collustrans, est ejusdem sol; ejus folia in modum speculi posita ac tersa universum horti ornatum repræsentant; circum satæ arbores dum spirantibus impulsæ auris verticem

curvant, illam tanquam generissui caput et reginam adorare credas.

III. Arborem scientiæ Deus in medio Paradisi plantavit; custodes dedit Horrorem et Metum, qui areolam in qua posita erat tuerentur. Duo sibi Adamus imperata præsensit in illo unico præcepto, quo ipsi et conjugi vetitæ arboris fructus decerpere et comedere cautum fuerat; intellexit enim non modo eam arborem sibi esse magnopere verendam, sed etiam ejus aream; nec proinde sibi fas esse eo pedem inferre.

IV. Serpens, cui Paradisi ingressus negabatur, nec enim animalibus aut volucribus eo accedere permissum ab Adamo, dum hic e Paradiso egressus per ejus fines spatiabatur, didicit quid rei Paradisus esset, cum callidus veterator eam notitiam ab Eva vafre percontando captaret.

V. Cum autem execrandus ille subodoratus fuisset gloriam illius adyti quod intra scientiæ arborem condebatur, divinoque velabatur præcepto ea ferme religione qua postmodum ostium Mosaici tabernaculi subducto velo vulgi aspectibus subducendum fuit, simul conjectavit ejus fructum clavem esse justitiæ, qua eadem scelerum vindex scelestorum oculos recludere parabat, qui præceptum violare ausi fuissent tantisper, dum propriam agnoscerent stultitiam.

VI. Protoplastorum itaque oculi simul aperti erant, ut obvia quæque cernerent; simul clausi erant, ne gloriam vel ignominiam viderent, ne scilicet adyti gloriam introspicerent, aut proprii corporis nuditatem : geminas hasce scientias Deus in arbore reposuit, eamdemque quasi judicem inter eas sedere fecit.

VII. Ut autem Adamus interdictam escam invasit, in ejus oculos involavere simul ambæ, appositaque tegumenta detraxerunt. Tum vero gloriam interioris adyti perspexit, et contremuit; propriæ nuditatis ignominiam sensit, et erubuit,

doluit, ingemuit : quanquam geminæ istæ cognitiones ad poscendam exorandamque veniam postea magnopere ipsum juverunt.

VIII. Quisquis ejus arboris poma libavit, visum inde recepit, eoque a munere mirabilem hausit voluptatem ; vel visum quidem recuperavit, sed contrario plane effectu, ut haberet unde acerrime torqueretur; id nempe accidit peccatoribus qui saturantur, ut doleant. Felices illos quibus, quod habere non licuit, nec spectare contigit ! contrarium diviti illi accidit cui pœnam acuit et auxit vidisse pomorum illorum putamina, nec impetrare potuisse, etsi esuriens ea vehementer appeteret.

IX. Suam Adamo nuditatem velavit Deus, ut eam ipsi post transgressionis culpam detegeret, unde vehementer illum suæ dementiæ puderet; sed nec ei, quod dixi, adytum ostendit, ut majore gaudio post obedientiæ meritum illum remuneraretur : ambo illa arcana texit, ut præmium conduplicaret, neve citra pugnam Adamus coronam consequeretur.

X. Constituitque Deus Adamum judicem inter utramque sortem, ut si arboris poma decerpsisset, mox ei honoris gradum unde sua ipsum superbia dejecerat manifestaret, nec non ignominiam crimini debitam pœnam : sin autem, prostrato hoste, victor ex acie rediisset, tum eum gloria et magnificentia exornaret, ac simul edoceret cujusmodi et qualis futura fuisset ejus ignominia si ab officio discessisset; adeo ut corpore et animo sanus et integer, ægritudinis tamen et miseriæ notitia non careret; ratione scilicet discerneret utramque, perfecta tamen valetudine et plena felicitate frueretur : sic enim quod possidebat beneficium fuisset, nec inutile ornamentum quod sciebat. Et vero si quis gravi morbo oppressus exactam tamen sanitatis scientiam haberet, utrinque cruciaretur, et quod morbi vim et molestiam

sentiret, et quod sanitatis, cujus pretium non ignoraret, jactura torqueretur.

XI. Si Adam invictus tentationi minime succubuisset, eum statum assecutus fuisset in quo felicitatem re ipsa possideret, miseriam specularetur, et in se ipso quidem quasi nobilis arbor nova in dies caperet incrementa, et ad discernendas rerum naturas mente intelligentiaque semper proficeret. Hunc Serpens pervertit ordinem, exitium Adamo re ipsa intulit; solum veteris gloriæ speciem memoriamque reliquit, ut ob id quod invenerat pudore suffunderetur, et de eo quod amiserat lugeret.

XII. Mystici illius tabernaculi ostium arbor fuit, poma velum; quo autem Adamus illa decerpsit, velum reduxit, quia præceptum violavit. Continuo ex interiori adyto erupit lux, qua perculsus Adam expavit, fugamque arripuit, atque perfugium quæsiturus sub puras ficus foras procurrit.

XIII. Geminos porro sinus in arbore distinxit Deus; in superiore Sanctum sanctorum posuit, in inferiore Sanctum. Adamus, quem postea rex Ozias imitatus fuit, utrumque adytum temere pertentans, repulsus est. Rex fœda lue, Adam ignominiosa nuditate punitus, ambo proprii corporis turpiter deformatam speciem erubuerunt, trepidique latibula appetivere.

XIV. Profecto si Paradisi arbores clarissima circumornatæ gloria singulæ suam habuere comam, uti suis Seraphim alis, sic illæ suis se texere ramis, ne proprium dominum nudatum spectarent; utrique Adami sensere pudorem, quod cernerent repente suo se decore spoliatos : suum ei ornatum abstulit serpens, proptereaque pedibus multatus fuit.

XV. Quod autem Deus Adamum ab aditu interioris tabernaculi prohibuit, id porro fecit ut ille suam operam in ministerio exterioris sanctuarii tantisper probaret, atque

ibidem velut ejusdem ædis institutus sacerdos incensum adoleret, præceptum videlicet observaret, jussus istud thuris habere loco, dum se compararet ad ministerium interioris tabernaculi, quod ei tunc spectare minime licebat, mox in aspectum fugiente templo omnes fugientem sensus Deum adoraturus.

XVI. Paradisi antigraphum Moyses exhibuit, quando duo sanctuaria in illo discrevit, alterum simpliciter appellans Sanctum, et alterum Sanctum sanctorum; et ad illud quidem nunquam non patebat accessus, ad istud vero semel duntaxat in anno: simili Deus dispositione interiorem Paradisum clausit, aperuitque exteriorem, et utendum Adamo concessit.

SERMO IX.

DE PARADISO EDEN IV.

I. Enimvero cum ignorare non posset Adamum ex sua in eum indulgentia audaciorem evasurum, ut si ei frena laxaret, atrociora etiam ausurum, et quandoquidem repagula ei ante opposita leviora fuisse exitus docuerat, Deus, qui arborem ante voce duntaxat et præcepto munierat, postea aciem gladii opposuit, objecitque Cherubim propugnaculum inexpugnabile.

II. Protoplastus, etsi propria immunditia prohiberetur, intrare tamen obstinavit in Sancta sanctorum, cui utique placere non poterat qui similis ei non erat. Et quoniam interdictum sibi sacrarium immundo pede temerare est ausus, ab exteriore etiam templi aditu sibi alias permisso repulsus est. Ea est natura maris; objecta undecumque sibi cadavera rejectat.

III. Simili lege postea populo Hebræorum cautum fuit ut si quis in castris lepra correptus fuisset, inde foras protinus abigeretur, tantisper dum, miserente Deo, purgata cute, mox hyssopo, sanguine et aqua elutum, sacerdos mundum jam esse declararet ; eaque ceremonia expiatus, communi contubernio propriæque hæreditati restituebatur.

IV. Adamus quidem Paradisum mundus et integer intravit; in ea tamen munditiæ sede lepram contraxit omnium fœdissimam, proprio scelere et Serpentis halitu corruptus. Sed Paradisus, omnis impatiens immunditiæ, inquilinum turpissime deformatum e sinu statim excussit, et longe procul a se abjecit. Hunc tamen miseranda clade fractum projectumque conspicatus Altissimus, ille sacerdotum Princeps et Deus, majestatem suam ad ejus usque curam deduxit, detersaque hyssopo cute, Paradiso illum restituit.

V. Nudus Adamus decorus erat; vestem conjux manu sua elaboratam ei accommodavit, vestem scilicet sordidam, et omni sorde culpa pejore fœdatam. Lapsum Protoplastum vidit Paradisus et luxit casum, cui ipse causam dedisset : vestem Maria aliam latroni quæsivit aptavitque, et addito promisso in spem fortunæ melioris erexit. Hunc item Paradisus vidit, et effuso sinu complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit.

VI. Moyses, eo quod circa divini promissi effectum aliquantisper titubasset, ingressu Terræ Sanctæ multatus fuit, citra Jordanem subsistere jussus. Adamus post lapsum Paradiso ejectus diu profugus et exul erravit, reditum prohibente Cherubim. Utrumque divino consilio actum ac dispositum fuit : venit tandem illa dies quando ambo ab exilio revocati, Moyses promissionis terram intravit, Adamus Paradisum revisit.

VII. Atqui fatendum est neminem ea dicendi facultate

pollere, ut adumbrare sufficiat vel interioris aditus excellentiam, vel exterioris apparatum describere; quando nec simplicem ornatum, qui Paradisi pomœrium illuminat, explicare pro dignitate cuipiam concessum sit : nemo sane exponere queat quales Paradisi indigenarum oculos oblectabant lætissimi colores, quos naribus profundebant odores, aromata, flores et herbæ; quanta gustatui manabat ex saporibus voluptas; quæ tandem fuerit omnium ejus partium dispositio pulcherrima et venustissima species.

VIII. Quemadmodum igitur nullius tantum est flumen ingenii, tantaque dicendi copia quæ Paradisi thesauros adumbrare valeat; ita neque excellentiam qua ipsius pomœrium præstat, quisquis satis enarrare potest. Nam, etsi ornamenta illa et opes quibus pomœrium hoc abundat, cum superioribus Paradisi deliciis conferri nullo modo queant, si tamen cum terrestribus divitiis contentio quædam et comparatio fiat, perspicuum profecto erit nihil adeo magnificum ac singulare in toto terrarum orbe reperiri, quod ab earumdem præstantia quam longissime non superetur.

IX. Quæ cum ita sint, nolite, precor, audaciæ succensere meæ, qui meis viribus majorem tractare materiam mihi sumpserim. Res magna est Paradisus, ut qui illum laudare contendat, ejus laudes deterere videatur, cum æquare non possit. Atenim si speculum invenire non licet quod ejus imaginem repræsentet, nec adsunt colores quibus penicillus inimitabilem ejus imitetur formam, equidem reprehendendus non sim, qui ex hujusmodi argumento qualemcumque tandem utilitatem mihi vobisque afferre studuerim.

X. Paradisi nempe cogitatio mœrentem solatur, erudit parvulum, sanctum ad profectum accendit, humilis atque egentis inopiam spe sublevat. Utinam unam mihi singuli

minam, minutum saltem unum conferant quicumque Paradisum adepti sunt, et universi pro me orent, similemque contingat exorare sortem mihi, qui pro mea tenuitate ista de Paradiso disserui.

XI. Te, Deus optime, cui omnia patent, precor, ne meum damnes consilium, aut meum arguas in his disquirendis arcanis studium; tu, qui abditus et retrusus omnium mentium intelligentiam superas : nec enim de æterna tua generatione disputare sum ausus; quam quis enarrabit? Quoniam vero ad tantum et impenetrabile secretum attonitus hæsi et tacui [1], adorandum conceptum partumque admirandum reveritus, Paradisi me, quæso, colonum decernito, cum te super omnia diligam, et incomprehensum tuum numen laudare non cessem.

SERMO X.

DE PARADISO EDEN V.

I. Summi Opificis dictum mihi ejus effecta consideranti visum est simile Petræ populum per deserta vagantem consequentis [2], quæ, etsi nullum in se contineret humorem, aquarum nihilominus torrentes fundebat rivos : dura scilicet silex suapte natura cujuslibet liquoris expers referentia pelagus fluenta eructabat; sic Dei sermo e nihilo cuncta molitus est.

II. Moyses mundi opificium volumine descripsit, ut Conditoris potentiam natura et scriptura loqueretur, et illa uteremur, et ista erudiremur : ambæ omnes pervagantur locorum regiones ac temporum spatia, per singula se nobis

[1] Isa. LIII. — [2] 1 Cor. IX, 10.

offerunt momenta; quam oppido id factum bene, ut qui Conditorem esse negant, totumque hunc orbem ejus numine natum, propriæ perfidiæ præsentem haberent ubique reprehensorem.

III. Cum in eo, quod sæpe laudavi, volumine, lineas et elementa diligenter expenderem, ac versuum seriem et ordinem explorarem, quæ prima legenti incidit periocha me peramanter deosculata ad sequentem pertraxit; sic deinceps ab altera ad alteram deductus ad illas pervasi in quibus occurrebat Paradisi descriptio; ea statim me rapuit, et a codice in illius sinum conjecit.

IV. Exarati versus, quasi porrecti a nostro continente ad Paradisi usque ostium pontes, oculis mentique locum spectare avide cupientibus, expedivere trajectum. Oculus mentem legendo præverterat, oculum mens speculando ab ea cura mox relevavit : oculum requies, labor mentem excepit.

V. Enimvero postquam ex codice didici vada et ostia Paradisi, continuo interjectum fretum trajeci; utque ad locum ventum est, oculus quidem substitit ad limen, mens et ratio introgressa interioribus adytis involitare cœpit, quæ scripta non legerat indagatura. Eden Scriptura vocat editissimum locum, amœnissimum, mira luce nitentem, visu pulcherrimum, et omnium bonorum complexione copiaque beatissimum.

VI. Illic spectare datum tabernacula justorum, et ipsos gratissimum balsami odorem expirantes, floribus pomisque intexto serto redimitos : rerum gestarum claritati tabernaculi dignitas respondet. Et aliud quidem videre erat humili structura depressum, aliud vero in sublime assurgens splendido instrumento ornatum, quædam specie non admodum decora, quædam forma ad miraculum exculta.

VII. Sedenimvero, etsi Paradisi species magnopere me

recreabat, præcipue tamen oblectabat tranquillitas et pax, quæ velut in sua sede illic consedisse videbatur. Pulcherrimus Paradisus est ab omni sorde purissimus, pacatissimus item est, ubi metu solutus animus ab eventu non pendet.

VIII. Ducem sciscitabar meum, utrum qui ante oculos versabatur Paradisus omnibus justis suffecturas sedes haberet in promptu? Quæ scripta non erant percontabar, per ea quæ scripta erant me ille docebat : « Cogita, respondit, notum illum energumenum quem dæmonum legio invaserat; in eo erant, in eo esse nemo videbat; adeo vel animam immundi spiritus subtilitate præcellunt, cum unius animæ corpus tantam multitudinem dæmonum capere potuerit. »

IX. Atqui centuplo magis defæcatum et subtile e sepulcro emicaturum est cujuslibet justi corpus immortali jam vita donatum; sic ut menti quæ ipsum informat evasurum sit simile, similisque ei accessura sit in sua membra potestas tanta, ut eadem pro libito vel intendat et amplificet, vel contrahat et colligat, sique astringere placeat, intra puncti spatium cogat; sin contra explicare velit, omnia loca permeet, pervadat et penetret.

X. Perge porro, occurrent statim exempla unde quæ modo audis plane intelligas. Quanta unum conclave radiorum copia, sole intrante, subit; quanta in unum viridarium, adulto vere, confluunt ex floribus et herbis odores? nullam tamen odorum numerus confusionem parit, aut obstat quominus omnes per exiguam areolam sese diffundant. Talem imaginare Paradisum; etsi enim corporibus plenum statuas, ordinatissimam tamen distributionem admittit, non tam ex loci amplitudine quam ex ipsorum corporum conditione.

XI. Cor item scis rem esse minimam, species tamen nec fine nec numero circumscriptas capit et superat. Ex his facile colligas fieri posse ut Paradisus, opus summi Arti-

ficis præstantissimum, intra se receptet corpora spiritibus affinia, etsi tot esse fingas ut ea suis calculis numeralis scientia assequi non possit.

XII. Eam admiratus Paradisi amplitudinem et ornatum, Conditoris majestatem summopere laudavi, jamque reditum cogitabam, cum subito emissæ ab adyto voces aures pepulere meas, audivique chorum cantantium concinentibus tubis notum mihi hymnum : *Sanctus, Sanctus, etc.* atque intellixi quibus divinitas intra Paradisum laudetur modis. O felicem illum qui Paradisum consecutus est, seu id ei ex merito, seu ex gratia obtigerit, sive uti præmium labori repensum, sive uti beneficium ex mera liberalitate collatum !

XIII. Me contra miserum, quem e Paradiso egressum dux reliquit me meus et retrocessit ! Ut enim fines terræ hujus spinarum altricis attigi, excepere me in ipso aditu calamitates et ærumnæ, luctus et dolor, expertusque didici orbem nostrum carcerem esse et publicam facinorosorum custodiam.

XIV. Atqui si res sic est, cui non videatur miraculum homines ejusmodi ergastulo inclusos suam inde flere dimissionem, adeo ut ipsi vel pueri suum inde exitum plorent, etsi ad lucem e tenebricoso carcere educantur, et ex angustissimo loculo eductis detur cœlo liberiore frui? Talis profecto videri debet in hunc orbem relegatis mors, novæ videlicet nativitatis typus et imago : fletur tamen mors, quæ morientes a terreno domicilio miseriarum ærumnarumque cloaca in cœlum veræ felicitatis arcem evehit.

XV. Te, summe, precor, Dominator Paradisi, in ejus pomœrio mihi commorari concedito, et inde victum quærere, quandoquidem ultro commeandi mihi omnis facultas adimitur. Quæ intra conduntur obsonia sanctorum mensas instruant, fruges in ejus agro sponte nascentes velut inde

cadentes micæ peccatoribus annona fiant; nec enim nisi tuo munere vivere possunt.

SERMO XI.

DE PARADISO EDEN VI.

I. Divinæ litteræ scientiæ claves sunt, quibus instructus casu oblatum volumen evolvere cœpi, occurritque statim antiqui fœderis arca, legumque codex, quibus perlectis ad primum divinæ Scripturæ librum totum appuli animum; summi quippe Opificis existentiam docet, ejusque operum descriptionem continet, apparatum et ornamenta velut oculis conspicienda proponit.

II. Liber illud Paradisi me adduxit ostium, quod nactus apertum, continuo animus a materia defœcatus invasit. Hic enimvero loci apparatu perculsus obstupui, hæsitque velut in salebra mens: nec enim ulla rationis humanæ facultas, nullus sensus Paradisi divitias comprehendere potest, aut sapores discernere, aut colores aut ornamenta æstimare, aut explicare naturam et proprietates.

III. Omnia ille felicis inquilini membra complectitur, et afficit voluptatibus non labentibus et fluxis, sed immortalibus atque perpetuis, et oculos quidem rerum speciosissimarum aspectu, auditionem liquidissimis cantibus, olfactum et gustatum ambrosiis et odoribus. Disce laudare bonum qui ad hoc beatissimum domicilium vocavit homines vigiliis et jejuniis exercitos, ut pro talibus pœnis sponte susceptis immensa voluptate fruantur, prataque omnigenis referta deliciis possideant.

IV. Paradisum aspiciens in sublime feror, ipsum cogi-

tans dives fio, et paupertatis obliviscor meæ; suo ille anhelitu temulento similem me fecit, desii esse qui fui; mira rerum in eo spectandarum varietas et concursus adeo me rapuit, ut mihi naturam mutasse viderer, et animus beatis pulsatus undis anceps fluitaret. Hic locus ille fuit qui velut succensa fornax Adamum corripuit et spoliavit: at at meam quale vinum mentem ibidem mersit, meorumque mihi maleficiorum memoriam abstulit?

V. Hoc spectabam, cum repente in altum abripior, et qui fluctus in quos me Paradisi aspectus conjecerat sustinere non poteram, alius me paradisus illo augustior ad contemplandam rerum præstantissimarum speciem transtulit. Hic porro mecum cogitabam si quem vides hortus tanta venustate nitet, quali decore fuisse putas vivam tanti Opificis imaginis Adamum, vel quo splendidiorem affulsuram crucem quæ Dei Filium portavit?

VI. Non enim propter Paradisum factus est homo, sed propter hominem Paradisus unice creatus est. Paradisi proventu pretiosior est amor, ejusque pomis longe præstantior hymnus; sermone sapidiores fructus nullus gignit ager, nulla species cum fide comparabilis est, neque charitati æquanda aromata.

VII. Pulcherrimum Deus Paradisum molitus est, quando sanctam ædificavit Ecclesiam, arborem scientiæ in illa sevit, arborique mandatum affixit, amplissima homini præmia proposuit; attamen quod mirere, nec ei illa consequendi desiderium injecit; horrenda supplicia intendit, nec ad ea cavenda metum incussit; disciplinam in Ecclesia instituit magnis refertam promissis, unaque sævis armatam minis, edixitque omnes perituros qui illam contemnerent, neminem contra quem illam cautiorem faceret, salutem non consecuturum.

VIII. Paradisus itaque Sanctorum cœtum adumbravit:

in eo, fratres, divinus carpitur fructus per omnes dies, omnibus aptus perennem impertire vitam; quotidie e mystico racemo exprimitur merum immortalitatis pharmacum; serpens pedibus multatus maledicto simul devinctus jacet; salutari suppressum silentio os Evæ ad suum Opificem ducitur.

IX. Neminem in eo populo videre est nudum, quia omnes gloriam induerunt; nec foliorum integumentis involutum rubore suffusum, quia omnes, favente Domini gratia, stolam Adæ noxa deperditam recuperarunt. In hunc porro cooptatum cœtum aures tersere suas veneno serpentis olim infectas, qui auscultantes nostri generis auctores novam et candidam vestem fecere atram, continuoque deposuerunt.

X. Æternum numen et divina vis, quæ nec laborem sentit nec defatigari potest, alium Paradisum plantavit, quem liberum hominis arbitrium studio operaque sua omnigenis frugibus ditavit, adeo ut amœnitate loci delectatus rerum ille supremus Conditor sibi in eo sedem fixerit; sic enim hominis voluntas hunc Paradisum Dei cultui addixit, uti Deus alterum hominis utilitati voluptatique aptaverat.

XI. Enimvero strenui et fortes proventum arvorum suorum secum ferentes, suum ecce intendunt iter ad Paradisum illum omnis generis frugum divitem; suis illi profecto tropæis speciosissimum illum hortum superant. Sentiet ille justorum opibus suarum plantarum splendorem obscurari, suaque ornamenta illorum dotibus minora.

XII. Qualem te dicam beatum, cui obtigit Paradisi pomaria visere ejusque speculari poma! inde reor compertum tibi quantum ejus loci proventibus præcellant justorum fœtus. Virginum certe et sanctorum lilia et rosas cum aliquando vidissent Paradisi flores, retrocesserunt, victique dedere manus; talibus consertæ floribus coronæ mundum mundique Opificem delectant, et ab utroque quibuslibet arborum fœtibus anteponuntur.

XIII. Omnia naturæ decora vincit illa in animo pars, qua ratiocinamur et intelligimus; hujus porro tanta vis est, tanta item liberæ voluntatis est dignitas, et intelligentium facultatum amplitudo, ut si in altera ponantur paradisus, arvorum proventus, terrenaque omnia, ne appareant quidem. Admirare et lauda illum qui ad hanc gloriæ altitudinem Adamum evexit. Quamobrem si quæ de Paradiso prodita sunt cum sanctorum actis conferas, statim intelliges ut hæc, illis penitus exclusis, totam sibi vindicent æstimationem.

XIV. Paradisi exemplis se justi ornarunt, amplissimeque ejus loci decora ipsi in se transcripserunt. Arbores ergo prætereamus, heroüm victorias prosequamur, hæredes, non hæreditatem laudemus.

XV. Profecto si Paradisi speciem admiramur, quam oppido admirabilior videri debet magna virtute quæsitus animo decor! illa quippe naturæ, hic liberæ est voluntatis opus. Humana voluntas ea qua pollebat arbitrii potestate hortum Eden æmulata est, protulitque flores qui Paradisi splendorem suo fulgore hebetarunt.

XVI. In ea porro admirabili mentisque oculis perjucunda regione locati quicumque coluere justitiam ad sua nos vocant subsellia, suos cupiunt nos esse, fierique socios, fratres et velut unius corporis membra. Quid igitur, fratres, cessamus? quin trepidi eo contendimus, ut si quidem eorum contubernales fieri nequeamus, circa eorum tecta moremur.

XVII. Beatus sane prædicandus est qui tales consecutus est opes, vel certe tenui licet rore inde meruit aspergi. Te, magne Deus, precor, dignare me magnæ illius hæreditatis portiunculam obtinere. Videat me adversarius meus, invidiaque disrumpatur, sua spe dejectus, ratus me ocyus compingendum in eum quem mihi destinavit carcerem:

cernat ille me potius in ea regione locatum, quam mihi tua liberalitas et munificentia paravit.

XVIII. Felix cui obtigit videre stolam sanctorum, et loquentem Sapientiam auscultare! beatas aures illorum vocibus saturas, et fortunatos ipsorum in eadem felicitate socios! Euge, qui primos assequi contendis! vah! quem piget postremos sequi!

XIX. Periculum evasit cui tales in divino judicio obtigere deprecatores, causa cecidit quisquis tales offendit actores. Paradisus illorum receptat amicos, inimicos hausit infernus. Constat «in die illa Sodomis remissius fore quam «illi civitati [1]» cujus pulverem e pedibus excusserunt suis. In qua oravere domo, mortuus revixit; cuique pacem apprecati sunt, omnem ademere metum.

XX. In Ægyptum recepti fuere, periclitanti succurrerunt: horribilem solitudinem ingressi, accensa in modum columnæ face illustrarunt; quodque subiere mare æquum et jus docuere virga et verbere, quod mente sensuque careret; in ardentem fornacem conjecti, infuso rore restinxere flammam; in quem detrusi fuere lacum descendit Angelus, docuitque jejunare feras.

XXI. Sal terræ illorum Ecclesia est, terram condivit ut incorruptam servaret; eo mundum Conditoris dextera aspersit, ubicumque is habitabilis est: sic nempe ratum ipsi fuit, ut sicut cœtus ille, cum sit Adæ proles, aliquid undique decerpsit, vicissim ubique in communem orbis terræ utilitatem disseminaretur: dispersus tamen ille se collegit, collectusque se diffudit, ut e rebus omnibus tractum bonorum suorum in se reciprocaret, unde mox pleniore alveo ad eosdem redundaret.

XXII. Justorum doctrina positas ad ortum gentes illuminavit, inde lucem accepere qui occasum spectant populi,

[1] Luc. x, 12.

illorum opera Boreales revixere nationes, et Australes ipsorum imbutæ disciplina sapientiam didicerunt. Cum cœlum conscenderent, patuit via; cum in pelagus descenderent, cessere fluctus, siccata sunt freta. Mysterium quod Apostoli parabolis involutum accepere, cunctis exposuere gentibus, claramque ejus notitiam per omnes disseminavere regiones : mundus evangelium complexus est, vitam sibi ab illo spondens opem et salutem.

XXIII. Cum aliquando ex eo quem dixi cœtu quidam curru vectus ætherem transcenderet, rei novitate excitati confluxere cœlites, alienigenam in decretas sibi regiones translatum spectaturi. Obstupuere hominem luto argillaque fictum, cœlesti nunc lumine circumfusum per aërem vehi. Quem ergo dices illorum sensum fuisse, quando rerum Dominus nostras miseratus ærumnas ipsis videntibus descendit in terras, corpus induit, mox nube receptus homo Deus cœlum conscendit, atque superis inferisque jura dedit?

XXIV. Angelos ex igne spirituque delibatos obstupefecit Elias, eo quod gemmam in limum demersam suavissimo nihilominus odore spirantem gestaret, quanquam longe majore admiratione perculit Opificis sapientia, quæ ejusmodi formaverat margaritam : hæc proprio vocabulo virginitas appellatur, quæ nostram nobis sortem gratulantibus Angelis, genus nostrum extulit, et cœlitum ordines ad admirationem traduxit. Magnum paratur virginitati certamen in terra, nec porro minor in cœlo corona.

XXV. Charitas et scientia, comite veritate, mentem sursum elevant, eique novam fœnerantur lucem, cujus ductu alta arcana speculari assuescit. Paradisum desideravi, doctus comperi portum esse paratum enavigato mari et hoste debellato illuc appellentibus. Magne Deus, qui mihi Paradisi notitiam tribuisti, accessum, quæso, ne deneges.

SERMO XII.

DE PARADISO EDEN VII.

I. Quicumque vitam ducitis miseram, divinis animum confirmate promissis; non enim ad illa præstanda fiet impotens remunerator, cujus ærarium majus est quam ut de ejus constantia cuipiam ambigendum sit. Filium pro salute nostra nobis tradidit, ut pro certo haberemus et corpus ejus apud nos mansurum, et datam fidem nunquam ab ipso deserendam. Corpus dedit, dedit cum corpore thesaurorum suorum claves, professus eos nobiscum habere communes, nobisque proinde repositos.

II. Sol occidit, incumbentibus tenebris quisque se somno dedit, redit postera dies, omnes discusso sopore surgimus; mysterium est, unius videlicet noctis spatio noster a nobis Judex dirimitur, statim ac diluxerit ipsum jam adesse senties. Sollicite rem vestram agite, fratres, neve torpori et inutili otio vos ipsi dedatis, existimantes longo vos adhuc distentum iri certamine vestrumque proinde judicium diu protrahendum. Nostra nos fata ecce premunt, nostrisque observatur oculis supremæ diei species, ut in prospectu illa esse videantur.

III Quicumque in mœrore luctuque jacetis, vestram sustinete sortem tantisper, dum a Paradiso, quo tenditis, abestis. Cum indictum iter emensi eo appuleritis, peregrino, quo locus perfunditur, rore vestræ tergentur sordes. Felix in eam stationem appulsus vos ad eam, quam dolor ademit, jucunditatem evocabit, concessa requies terminum laborum statuet, corona beabit. Esuriem depellent poma su-

mentem purgantia, sitim restinguet nectar depulsor errorum.

IV. Felicem pauperem, qui in illam respectat oram circum undique fartam opibus; uniones et lapides pretiosos, quos nostra fert regio, ejus loci dignitas non admittit; sua adyta putat talibus inquinari quisquiliis, ut si quis gemmas et margaritas illuc importet, terram puram et sanctam profanis et immundis mercibus temerasse videatur.

V. Viri fœminæque pura prodibunt amicti luce, præsens gloria veteris nuditatis ignominiam obliterabit, turpes membrorum motus subsident, concupiscentiæ lutulenti fontes obstruentur, excutietur iracundia, et anima lolio depurgabitur; quasi triticum in Paradiso voluptatis satum.

VI. In beata illa regione exultabunt virgines : Eva læta videbit exterminatum Serpentem, qui venenum ejus auribus olim infudit; illam porro conspicata ficus ovabit : « Tuam retracta, dicet, insontem pueritiam; memoranda dies illa vide ne mente excidat, quando nudata perfugium quærens, in sinum te meum conjecisti. Euge, nunc lauda Optimum, qui te, qua nites, purpura contexit. »

VII. Illic illustres juvenum acies victoriam sibi mutuo gratulabuntur : Josepho plaudent, qui impudicitiam in insano pectore ferventem caute vitavit, et feliciter elusit : «Macte animo, juvenis qui aspidem in proprio cubili elisisti, quando Samson ille leonum terror a vipera prostratus jacuit, capillorum insuper abscissionem passus, et Nazarenis insignibus spoliatus. »

VIII. In illa beatissima regione fœminæ conjugalis vitæ incommodis periculisque defunctæ respirabunt : quali putas gaudio triumphaturas cum, post puerperii dolores, et exantlatos in educatione natorum labores, aspicient parvulos suos, quos pridem extinctos tanto cum luctu acerbissimaque comploratione extulerunt ac tumularunt, modo

vivos veluti teneros agnos per Paradisi areolas oberrantes purpura nitentes, sublimi gradu locatos, et factos, omni detersa labe, Angelorum cognatos !

IX. Laus sit pio Domino et gratia, qui subolescentes pueros in primo ætatis flore decerpsit, velut postremos senescentis autumni fructus, quos mox in primos transmutaret hortoque suo transcriberet; novum vides spectaculum, poma sibi congeneres fructus legunt, et agri primitiæ ab agris demetuntur sui similibus, adeo decerpti decerpentibus sunt puritate pares.

X. Ad Paradisum appellite animum, senes; confidite, afflante Paradisi aura, effœta vobis repubescet ætas, annis labefacta species reparabitur; ejusmodi metamorphosim adumbravit in sua facie Moyses, quando detrita senio oris venustas refuso divinitus vigore reviruit : quo quale aptius symbolum exhiberi debuit, unde intelligeremus victi corporis reviviscentem in cœlo decorem ?

XI. Justi sine labe nitent, quia omni noxa vacant; nullo aguntur furore, quia nulla inflammantur ira; neminem fallunt, quia simplices et ingenui sunt; nec lædere nec lædi possunt; odisse nesciunt, quia nec invidere norunt; neminem calumniantur, quia neminem accusant.

XII. In ea positi altitudine felicitatis atque gloriæ torti pro fide martyres, et ad fidem conversi tortores, statum et locum corporum suorum repente mutatum spectabunt et obstupescent, suavissimo placidissimoque otio perfruentur; extrinsecus clara voce, intra animi puritate nitebunt, corpora patente animæ lumine clarescent.

XIII. Quibus pedum aut manuum vitio nec incedere nec reptare prius licuit, jam per aërem volitant : sed et oh ! qualis cæcos ac surdos manet illic felicitas, quibus astra videre et audire sonos eatenus negatum fuit ! qualem enim putas, quam solidam, quam liquidam voluptatem eos haus-

turos a natura loci deliciarum refertissimi! qualis oculos figurarum venustissimarum species exhilarabit! qualis aures musicorum instrumentorum concentus recreabit!

XIV. Probus quisque, qui nefas sibi esse putabit maledicta conviciave in quemquam jacere, hunc enimvero Paradisi pia vota et adprecationes celeri sequuntur pede: cui semper displicuit lascivia et contumacia oculorum, huic admirabilis pulchritudinis aspectus reservatur: qui animi sui acerbitatem mitigare studuit, hujus membra suavissimi liquoris rivi influent.

XV. Puella caducam perosa coronam in eo quem præoptarunt justi thalamo clara micabit luce; lucifuga namque opera et ipsa fugit: sed et virgines quæ a virorum colloquiis sequestratæ solitudinem pie coluerunt, cœlitum consuetudine epuloque fruentur gratulantibus Angelis, Prophetis exultantibus et plaudentibus Apostolis.

XVI. Qui legumina sibi in victum quotidianum delegit, Danielis imitatus exempla, quem idcirco reges deposito diademate submissaque cervice adorarunt, huic Paradisi arbores, quæ Prophetæ præstiterunt principes, obsequia deflexis ramis testabuntur, ipsumque sua amœnitate ad suavem sub illarum umbra quietem invitabunt; matutinum rorem suis exceptum frondibus, pomaque e suis pendentia ramis offerent.

XVII. Qui pedes sanctorum lavit, illo perfundetur rore, et illos colliget fructus dextera egentes sublevare sueta. Paradisi flores ægros invisentis coronare pedes certatim ambient, et deosculari plantas.

XVIII. Sobrietatis temperantiæque studiosos Paradisi palmites spectant, et istis suos singuli racemos offerunt. Quod si virginitatem abstinentiæ adjunxerunt, tales in suum contrahunt sinum cælibes, qui jugalis thori luxum et delicias continentiæ castitatique postposuerunt.

XIX. Martyres illic suas præferent coronas præterito certamine partas, quando pro Domino tyrannorum aspernati minas, impavidi strictis gladiis rogisque ardentibus occurrerunt. Quasi micantia sereno cœlo sidera fulgebunt septem fratres filii lucis, quorum magna triumphi pars ad gloriam matris redundavit; omnes quippe pari virtute tyranni furorem, decretaque risere supplicia.

XX. Felices oras in quibus piæ fœminæ a servitio sanctorum fatigatæ recreabuntur. Ibi videre erit viduam Eliæ hospitam in hortum deliciarum receptam, et Paradisi arbores corvis substitutas, subductisque hydriæ lecythoque, alimenta ministrantes ei quæ pauperes aluit.

XXI. Nullum illic olus inutile, omnes feraces sunt plantæ; talibus pasti cibis repubescunt, tali odore afflati reviviscunt. Ejus nempe flores legentibus mortis pharmacum profundunt inexhaustum thesaurum. Nemo illic fatigatur, esurit nemo; nullus rubori locus, nullus errori adest nec pœnitentiæ : unde abest peccatum, et ærumnis, incommodis belloque pax et beata successit quies. Non illic senectus, non mors, non funera, ubi filiorum procreatio cessabit.

XXII. Nulla hic animum mordet cura, nullus laniat membra dolor, nullus concutit agitatque terror, nullæ instruuntur insidiæ, nullus denique tergo incumbit hostis, ubi pugnam diremit palma. Ipsi sibi mutuo bellorum finem sine fine gratulabuntur, redditamque coronam et pacem sempiternam.

XXIII. Cum oculis forte meis Paradisi species incurrisset, hæsi subito mœrore profligatus; inde mecum ipse revolvens miserandam cladem meam, meique similium communem vicem lamentabar : « En, aiebam, defluxere dies mei, quasi dies una transacti sunt et evanuerunt; repente raptus raptum non sensi, tot scilicet malorum concursu perculsus dolori succubui meo : en periere mihi omnia, corona, nomen,

26.

gloria, dignitatis insignia, lucida domus, et regalis mensa. Næ ille solus beatus cui obtigit talibus potiri bonis.

XXIV. Vos precor, filii lucis, casum meum videte; vestris, oro, lacrymis unam hanc redimite animam, unde mihi nova accedat causa laudandi illam Majestatem cujus dextera ad utrumque porrecta manet, pœnam juste repetens, et gratiam misericorditer tribuens; mihi, precor, contingat ut, ingenua erga me utens clementia, misericordiæ mihi suæ profundat thesaurum. »

XXV. Illam intrare regionem prohibetur quisquis amari non meruit; nec ego me tali honore dignor: mihi si dabitur perfugium in Paradisi pomœrio, majora non appetam. Paradisum esse dico magni divitis mensam, poma caduca legam, eaque extra Paradisum ex gratia comedam, ut in me illud compleatur: « Catelli comedent sub mensa do- » minorum de micis [1]. »

XXVI. Tum vero intelligam quod in actis noti illius divitis legi, qui decidua a prandio panis frustula inopi esurienti negavit : cernam item appositas Lazaro in opulenta mensa dapes; ignea contra fame tortum immitem divitem. Inde fiet ut tua ab extra fremens me terreat justitia, et ab intra spirans gratiæ tuæ aura reficiat.

XXVII. Te, summe Deus, precor quæsoque, meis fave votis, et jube me in pomœrio considere, ut ejus regionis incolis propinquus fiam, et invidiosus externis. Spectare quis potis est gaudium et Paradisum? Merces repensa justis receptis me meæ ignaviæ redarguet, pœna inflicta relictis iniquis quanta in me usus fueris clementia declarabit.

XXVIII. Qui oculi loci aspectum sustineant, vel quæ aures ferant voces inferum superumque resonantes, modo iniquos contra æquissimum Judicem in gehenna vociferantes, modo justos immensas pio remuneratori gratias

[1] Matth. xv, 27.

agentes? respectabunt scilicet se mutuo partes, et manifesta fient singulorum opera, tum bona ad laudem, tum mala ad ignominiam et probrum.

XXIX. Ne mea, quæso, acta in illa luce exponantur; qua quidem in parte despicabiles admodum sumus, et despiciendi, dum crimina nostra tibi manifesta aliis occultare conamur. Me miserum, qui personarum rerumque privatarum respectum mihi feci Deum! Averte malum, precor, et propitius præsta mihi ut te timeam, reverear et colam, quia benignissimus es.

XXX. Quem tu tibi fecisti Deum hunc erubescis, si tuus ab illo deprehensus fuerit error; hunc times, perpetrati criminis conscius. Hujus notæ homo laudabile etiam opus laudis appetitione corrumpit; quisquis hoc vitio laborat servorum servum se facit. Bonus impedimenta sustulit, quo minus id quod placebat facere possemus: ipsimet concessam libertatem alieno subjecimus arbitrio. Quid hoc est consilii? Siccine majestati tuæ, Deus, quem ipsi creavimus dominum anteferemus?

SERMO XIII.

DE PARADISO EDEN VIII.

I. Cum ea quæ in actis noti illius latronis leguntur, ad aures meas pervenissent, gaudio cumulatus sum maximo, et anima præsertim mea, quæ præ vitiorum multitudine in luctu ac squalore jam pridem versabatur, quæque malorum consolationem nullam inveniebat, spem concepit maximam in eo qui latronis adeo misertus fuerat unice collocatam; confidens scilicet se olim, ut latroni conces-

sum est, Paradisum esse assecuturam, cujus me vel nomen mirifice recreavit, et omnes, quibus angebar, curæ sollicitudinesque consedere. Quamobrem remissis animo habenis ad Paradisi felicitatem liberius contemplandam lubens contendo.

II. Tabernaculum ibi lucis sedesque splendidissimas prospiciens, auribus accepi vocem, ter beatum fortunatumque latronem, quod Paradisi claves gratis sibi comparaverit, prædicantem. Hunc proinde inibi præsentem adesse rebar; sed mecum reputans, non posse animam a suo vase ac receptaculo, corpore videlicet, sejunctam Paradisi delicias sensu percipere, in ipso loco jucunditatis lætitiæque pleno tristitiam cepi maximam, quod arcanorum scrutatio omnis irrita mihi esse atque imprudens videbatur.

III. Latronis itaque status mihi quæstionis faciendæ occasionem præbuit : si nimirum anima absque corpore videndi audiendique vi polleat, cur eadem in illo inclusa detinetur? si vero seorsim a corpore ejusmodi sensu careat, nec vivere possit, cur illo pereunte non moritur?

IV. Equidem anima sine corpore videre non potest; id enim peculiare corpori est, ut si hoc luminibus orbetur, illa etiam aspectum amittens, dubiis veluti manibus viam cum eodem prætentare cogatur. Ex quo sane evincitur, alterum alterius exigere consortium; sicuti enim anima corpus indiget ut vivat, ita et corpore anima ut videndi audiendive munere fungatur.

V. Rursus si corpus obmutescit, anima quoque sine voce consistit, sique illud ex diuturna ægritudine delirare contingat, desipit et anima, quæ etsi a corpore sejuncta in se etiam ipsa recte valeat, corpori tamen unita, conditionem ipsius sequatur necesse est, eo plane modo quo infans in utero materno constitutus parentem consequitur; ex eo potissimum, quod discretionis expers est atque sermonis.

VI. Si ergo in corpore puernli anima inhærescens tum sui ipsius, tum socii corporis cognitione caret, eo magis ab eodem sejuncta debilior ad percipiendum erit intelligentiæque inops, cum ex se nullos, quibus utatur, sensus habeat, et nonnisi per corporis species atque instrumenta videat, audiat, cogitatumque proferat.

VII. Equidem laudata deliciarum sedes nullam rerum patitur inopiam, sed plane cumulateque perfecta est; unde animæ soli sensuum cognitionisque experti, cui propterea quam multa desint vides, illuc ingredi non licet, nisi in resurrectionis die, (2) cum scilicet corpus omnibus suis expletum sensibus ad absolutionem perfectionemque perducetur.

VIII. Præterquamquod, cum sapientissimus mundi conditor Deus ad nominis sui laudem corpus humanum veluti organum effinxisset, nullius id sane vocis aut sermonis compos fuit ante inflatam in ipsum animam, quæ ubi cantus movit, vocem dedere fides, per quas et ipsa sermonem auditu facilem obtinuit.

IX. Adamum itaque perfectum expletumque omnibus suis numeris et partibus Deus in Paradisum transtulit: neque enim sine corpore anima, vel corpus animæ expers illuc penetrare potuit; sed ambo simul omni scilicet ex parte perfecti integrique sedem illam, in qua nihil ad recte beateque vivendum desideres, adivere, quemadmodum et una sordibus affecti inde excesserunt; atque adeo liquet ambos simul in die resurrectionis illuc rursus ingressuros.

X. Adamo namque haud sollicitam Paradisi custodiam agente, limen fraudulentissimus prædo intravit, pomisque ejus loci, quæ alioquin homines cursim surripuissent, minime curatis, ipsum pomarii custodem atque colonum rapuit perdiditque, quem Dominus noster ad quærendum egressus in inferos descendit, repertumque inde eduxit, admisitque in Paradisum, hoc est, in mansiones optatissimas, quæ in

ejus pomœrio occurrunt, ubi justorum animæ confidunt et amica sua corpora expectant; ut, cum aditus sibi in Paradisum patefiet, suis conjunctæ corporibus clament : « Hosanna ! benedictus qui Adamum ex inferis eduxit, et in Paradisum una cum pluribus intromisit. »

SERMO XIV.

DE PARADISO EDEN IX.

I. « Militia est vita hominis super terram[1], » et in Eden corona gloriæ asservatur; nobis scilicet resurgentibus, cœlum terramque renovabit Deus, creaturas eximet in libertatem, easque nobiscum exhilarabit : terræ siquidem communi mortalium parenti, quam propter peccatores non semel ignominia atque execratione affecerat, optimus ille, justorum causa, benedicet, et cum filiis nutricem instaurabit.

II. Calicem miscuit Diabolus, sua omnibus mortalibus pocula porrexit, laqueos tetendit et retia, ut pios et probos perderet, spinas seminavit et noxias herbas. Bonus in Paradiso succos amaros in dulces servis suis convertet, coronas reddet splendidas, et quia crucis improperium portarunt, præteritam ignominiam gloria compensabit.

III. Si tibi forte sedit arborem vitæ conscendere, en illa tuis occurrit pedibus, submissisque ramis, et curvato vertice ad ascensum invitat; pulvillos capiti component floribus vernantes rami; humilis est, flectitur et contrahitur, hospites fovet et mulcet, non aliter quam uterus maternus infantem.

IV. At tu cuinam credes visum in arbore triclinium omnigenis instructum dapibus, aut opsonia undique certo or-

[1] Job, VII, 1.

dine importata aggestaque poma famis sitisque remedia roris pixides, florumque stromata lavantibus opportuna? Tenuis et parvus esse non potest magni Principis thesaurus, cujus numine rerum copia a principio nata usque virescit.

V. Renidente cœlo, et sereno sub aëre incolæ in pomariis convivia agitant : prata gramen, poma arbores, catastromata rosis ac liliis intexta pavimentum ornant. Quisnam talia vidisse aut audisse se meminit, umbraculum pomis structum in modum nubis capiti obtensum, aut floribus tapete textum, instar catepetasmatis, pedibus substratum?

VI. Æquabili constantique amœnitate notabiles fluvii totam circum regionem alluunt, quorum alter te venientem statim excipiet, mox inde digredienti alter occurret; tuo præterea adventu læti incolæ, alter pomorum calathos, nectaris alter calicem offeret, alius vas rore plenum; alius opobalsama porriget, abluet ille, iste te unget : species odoratæ hic ad narium oblectamentum uruntur, illic ad aurium voluptatem funditur suave melos. Mirare et lauda Protoplasti Conditorem, qui ad tantam felicitatem ipsum condiderit.

VII. Spirantes auræ lenes undique Martham et Mariam repræsentant, dum ad ministerium discursant : illud quippe triclinium convivis vacuum nunquam fuit; intelliget enimvero Martha, cuinam olim domestici ministerii laborem ægre ferens obstrepere ausa fuerit; eum videlicet esse discet qui convictores suos vocat ad epulum, ubi famuli citra laborem ministrant.

VIII. Auræ quippe conglobatæ aliæ cibum, potum aliæ suppeditant; quod illæ ministrant, opimat; quod istæ fundunt, ungit ac lavat. Rem novam audis, flatus esculenta et poculenta ferentes, fundentes rorem et oleum inepte tamen rem certam negabis. Quas enim audis auræ spiritus sunt, nec substantias a concretione corporea secre-

tas corporeo modo afficiunt : quamobrem nec mirum si ab ea epulari accubatione longe distat labor, sique nec manus fatigantur nec dentes, neque stomachus gravatur; singulare est et admirabile epularum genus, ubi cibi potusve copia fastidium non generat, nec officit jucunditati largitas; constat nimirum sine cibo saturitas, et sine potu hilaritas, ubi omnia spirituum ministerio transiguntur.

IX. Jam satis istuc arcanum in arvis plane descriptum habes. Terra sparsum semen excipit, mox diffundit; ventus herbescentem ex eo viriditatem fovet, adultam culmoque erectam suo vapore alit, donec gravidata frugem pariat et fundat. Quidni idem præstent auræ benedictionis segeti ratione præditæ et a materia secretæ? Quod enim a corporea concretione remotum est, hujus cibus corpus esse non potest.

X. Auræ igitur intelligibiles intelligentium mentium alimenta sunt; in hunc sensum dicta accipe, quod audis tibi odores suaves parari, opobalsama odorata, opiparas dapes; indeque intelliges Paradisi cives nec ore nec manibus ad cibum potumve sumendum indigere : torrens nimirum intelligibilis voluptatis illis cibi, potus et vestis sustinet et supplet vicem.

XI. Rem oculis repræsentat tritici spica, quam nostra profert terra maledicto subjecta et sentibus horrens; frugem illa, ut supra tactum est, a vento concipit, supremo id rerum Moderatore jubente; vitalis aura lactat utramque, et quasi porrecto ubere nutrit et perficit, unde haberemus ob oculos imaginem epularum quibus beatissimæ mentes mortalis concretionis expertes sustentantur.

XII. Et sane cum frumentum nostro datum corpori alimentum, inque retrimentum magnam partem excernendum videas ambientis aëris, utique incredibile videri non debet fieri posse ut substantiis incorporeis cibi naturæ suæ

congeneres et liquores subtilissimi ex adyto Paradisi per puras auras subministrentur et affluant.

XIII. Aër alit ignem, et respiratio aëris omnia; sique objicias aëri impenetrabiles esse abditissimos terræ recessus, disce aëris influxum et vim insinuare et pervadere intimos quosque terræ sinus; ætherea nimirum aëris natura communis est rerum parens, se tota totum quidquid est lactat et nutrit, ab illa suspensa sunt omnia, ipsaque ab illo ex quo nata sunt omnia.

XIV. Errorem jam damnasse suum Chaldæos credo, quod astra tanti hactenus fecerint, ut ea esse animam mundi æstimarent, eorumque vi vivere agique omnia. Credimus enim ab aëre seu æthere contineri alique solem et reliqua lumina, pecudes et homines, plantas et semina, cum, sicut mox aiebam, videamus aëris ductu ali ignem siderum cognatum.

XV. Age vero, anima utique aëre nostro non indiget, prætervolat enim : eadem est corporis columen, quod totam ejus sustinet compaginem, alimentaque altori nostro suppeditat, et nostrum fœcundat agrum. Qualem animam esse dixisti, talem imaginare Paradisi ætherem, seu aërem subtilem et defæcatum; hic substantiis a materia secretis congruentem ministrat victum et ornat convivia : per hujusmodi aëris regiones cogita beatissimas meare mentes, et in eumdem se immergere; immensæ quippe voluptatis est interminabile pelagus.

XVI. Paradisi exhalationes per se solæ medicantur esuriem, uti sitim inde expirantes auræ; tanta porro est animi voluptas, ut in subjectos sensus redundet, eosque infinita rerum jucundissimarum varietate delectet. Quos ergo ea gaudii copia beatos facit, nulla perturbat cura; majestatis namque admiratione capti, ad ejusdem contemplationem perpetua mentis contentione feruntur.

XVII. Dum præsens agitur vita esuriem corpora patiuntur, et appetunt cibum; cum autem vivere desierint, exanima sine sensu jacent, ut anima eorum famem induere videatur; omne tamen alimentorum aspernata genus, de illo unice saginari petit quo omnia aluntur et vivunt, cujusque claro intuitu se quandoque beandam confidit.

XVIII. Corpora modo in materiam immersa ad puritatem tunc et candorem animæ assurgent; nostri vero pars melior anima facultates suas ita expolitas accipiet, ut mentem nobilissimam hominis partem plane assimilet, et ipsa mens perturbationibus nunc obnoxia, perfecta et constanti pace potiatur, divinæ facta similis naturæ.

XIX. Præstat corpore anima, et ipsa excellentior est mens, et mente incomprehensa Divinitas. Sua corpori anima accommodabit ornamenta; cum anima suas mens communicabit dotes, mens ipsa ad Majestatis archetypum conformabitur.

XX. Cum audis corpus ad animæ dignitatem promovendum, et animam in mentis decorem assurrecturam, mentem vero in divinam transformandam naturam, disce tuos moderari motus, amorem præcipue ac timorem, et ubique tenere modum ut otium otiosum tibi non sit, nec sine utilitate labor.

XXI. Quocirca si forte cibi potionisque voluptate caperis, intemperantiæ tuæ sugillatorem senties Moysen, qui montem subiturus nullam reficiendi curandique corporis cogitationem suscepit, ut et a potione remotus formosior evaderet, et deficiente cibo mirabiliter saginaretur. Vidistin' unquam hominem qui stomachi vacua compleret simplici oculorum obtutu, indeque ori incredibilem venustatem conciliaret; quive ad humoris explendum desiderium, curandumque cutis nitorem adhiberet cantum? Moyses hic

fuit, qui psalmorum concentu vires corpori, ori claritatem procuravit et auxit.

XXII. Quid istuc est? in quod tandem excernitur? quod gulæ conceditur? ejus certe recrementis oculis nil fœdius, naribus nil gravius, onus alvo nil molestius, et excessu vix aliud corporis valetudini infestius. Cæterum si epularis te exhilarat accubatio, et lautus ciborum usus pinguem te facit, qualem reris oblectationem hausturum animum ex eo deliciarum pelago, in quo ejus facultates ab ubere Sapientiæ lactabuntur; vel quantam voluptatem redundaturam puram cernentibus lucem a Patre per Filium diffusam, et quam jucunda spectacula exhibenda justis? nec enim talia quis unquam vidit : hi scilicet sunt quos audisti laborasse, vigilasse, cum vitiis decertasse, et omnes exorbuisse difficultates; ipsi modo epulantur splendide, et inebriantur torrente voluptatis defluente a claro Divinitatis obtutu.

XXIII. Sic enim illa se diffundit, ut nihil ipsi decedat; ita omnia complectitur, et velut thesaurus comprehendit. Omnibus proinde pro cujusque modulo se impertit, et velut redacto velo se conspiciendam offert. Clarissima et purissima lux est, amoris sui abundantia omnia collustrat : ipse quidem in se pleno orbe nitet; exiguum tamen esse oportet quidquid extra se rebus quæ vere magnæ esse non possunt, dispensat. Non habet Genitor extra Unigenitum, quid ad immensæ suæ gloriæ radios non conniveat.

XXIV. Attamen qualem quisque, dum vita manebat, suis oculis perspicacitatem comparavit, talem moriens feret ad cernendam Divinitatis majestatem; quales hic nactus est aures, talibus utetur illic ad audienda supremæ Sapientiæ oracula; qualem hic adeptus fuerit altitudinem mentis, cordisque amplitudinem, talem illic inveniet magnis cumulandam beneficiis.

XXV. Summus ille rerum Dominus sua dona cum su-

scipientium qualitate metitur; vultus proinde sui lumen nostris attemperat oculis, et auribus suas admodulatur voces, et quibus se laudari modis velit ipse docet : sed et quibus ad beatitudinem ducimur auxilia ab ejus gratia nobis affluunt; ipsa vero gratia celsa sublimis nullius se mancipat servitio, permeat sapores et condit, odores acuit, colores illuminat, animæ facultates versat; laudem ejus buccinatores habet cœlitum choros, quos alit cantus, lux vestit, et Divinitatis fulgor illustrat : divinæ gratiæ charismata illorum corda meditantur, eructant fauces; ipsorum quippe ora sunt sapientiæ fontes, et pectora sedes pacis, oculi veritatis testes; nec citra periculum est illorum rationes disquirere, nec eorum prædicare laudes sine quæstu.

XXVI. Utinam, Domine Deus, mihi meisque contingat invenire relicta gratiæ tuæ frustula ! Dilecti tui obtutus beatitudinis est fons, ut quisquis in eum se merserit, omnium inde ciborum oblivia trahat; quisquis enim te aspicit, aspectu tuo saturus nihil extra te appetit : ea est immensæ pulchritudinis tuæ vis.

SERMO XV.

DE PARADISO EDEN X.

I. Non tibi si adsit summa dicendi facultas, Paradisi magnificentiam enarrare queas ; nec si lingua disertissimus sis, ejus ornamenta describere; sed nec si mente perspicacissimus sis, adhuc ineptus es ad conspiciendam ejus pulchritudinem. Cum itaque oculis impenetrabile sit quod intra Paradisum conditur, quæ extra posita sunt pervagabor ad-

mirabundus, quo tandem intelligam quam longe absim a summo.

II. Aër a proximis suapte natura mutabilis, omnes in Paradiso induit anni tempestates, sic ut quod habent optimum ab ipsis accipiat : quamobrem non ibi tristis alget februarius ; ita vim omnem hiemis retundit jucunda cœli temperies, et perpetuo renidens solis fulgor in maio mense quatit. Sed nec illic gelu torpidus riget december asper horridus, sed augusto mensi similis pomis ubique vernat; talis item junius qualis aprilis; lenibus auris calores suos julius mitigat, uti suos copioso rore september ; reliqui menses injucundi et horribiles mitescunt continuati junctique aëri Paradisum ambienti, ejusque suavissimo halitu suffusi.

III. Per omnes anni menses soli fertilitas se movet, plenoque sinu flores effundit, quibus per omnes anni tempestates corollas intexit Paradisi pedibus, caput attingere non ausa. Non illuc furentes venti, non turbines grassantur, quippe ac pacis et tranquiliitatis sedes turbulentis flatibus impenetrabilis est, illorum impetus elidente qui Paradisum obsidet vapore, ne videlicet ipsorum contagione inficiatur purissimus æther, cujus aura mortalibus vitam profundit immortalem.

IV. Quam enim spiramus auram fœminæ quidam similem esse dixerunt duodecim nuptæ viris; totidem namque annum componunt menses, a quibus illa opprimitur et gravidatur.

V. Talis certe non est sacra et purissima regio Paradisi, nec tales patitur congressus ; infœcunda tamen non est, sed suas profert fruges, suis congeneres floribus : æstuant in beatissimo illo solo fontes, factoque gurgite lato gremio patescunt in flumina vini, lactis, butyri et mellis. Commissum december diffundit semen, et elicit herbescentem ex eo viriditatem; subsequens mensis spicas effert maturas;

insilit mox februarius, et adultam arvorum gloriam, demessa segete, aufert.

VI. Quatuor temporum mutationes divisi in totidem spatia menses efficiunt. Ver primas mittit fruges, æstas maturat segetes, autumnus postremos anni fœtus educit, relaxat curas gaudium, hiems annum coronat, quietem et otium parit.

VII. Luna mutabilis multa mutat : ea nascente flores erumpunt; eadem adulta plenoque jam orbe nitente, augescunt et pubescunt; mox illa senescente ac demum nulla, illi flaccescunt et extinguuntur. Mensium exitus signat, et eorum proinde interitum et ortum kalendæ; est luna quasi clavis, uterum naturæ aperit et claudit.

VIII. Paradisi stirpes et plantæ suas singulæ habent proprietates, implantantur tamen aliæ in alias. Florum duas ecce vides propinquas species odore, calore diversas. Jam si surculum ab altera resectum diffisso alterius ramo implicueris, continuo insitus surculis alium a caule seu a caudice florum speciem profundit : idem in pomiferis quibusve stirpibus accidit; procedente namque insitione continuo apparent aliæ frondes, alii flores, et alia poma. Paradisi plantas fœcunditas nunquam destituit, nec frugum interdicitur messis : hic primis fœtibus proximi succedunt secundi ac tertii, secundi primorum velut terga premunt, gemelli quales alter alterius apprehendit plantam.

IX. Humanæ hic sobolis propagationem et perpetuam seriem agnosce. Vides senes, juvenes et mediæ ætatis homines; vides hic fœtum jam editum, alios illic prope edendos. Qualem frugum in Paradiso periodum audisti, cursum talem in nostro genere observa; per omnes videlicet ætates decurrit, perque omnes hominum classes, senum, juvenum, puerorum et infantium. Parvuli ab ubere pendent, fœtus in ventre formantur; simili, ut dixi, fluxu feruntur, seriores succedunt præcoquis et permiscentur

Paradisi fruges, perinde ut unda undam tradit, et cum illa se miscet.

X. Beatum ipse mecum dicebam reum; siquidem ad confinia Paradisi delatus in patronum incideret, qui in ejus pomœrio humile tectum, et parcum victum ei qualicumque conditione transigeret; cum talia cogitantem perculit metus, ne quid perperam agerem dubitando num vita functos medius inter Paradisum et ignem locus exciperet, eoque detenti carcere punirentur sontes? Hic erat hac in re scrupulus, cum audio talia monentem : « Quin tu æquissimum illum supremum rerum Dominum laudas, qui donorum suorum profluentem ex toto nunquam intercidit, quominus etiam ad peccatorem excurrat, ejusque rigent nubes utilibus imbribus agros? Quidni ergo tanta bonitas illum ignem pio humore perfundat, ejusque acerbitatem suo rore refrigeret? »

SERMO XVI.

DE PARADISO EDEN XI.

I. Paradisi aura suavissimus fons est, Adamus lac inde suxit natus, eoque alimento crevit; inde animo voluptas robur corpori, ori decor et pulchritudo manabat. Cum autem violasset mandatum, continuo incubuere reo luctus et dolor, ærumnæ et calamitates, postremum, heu! quam gravis sarcina senectus!

II. A Paradiso absunt isthæc omnia, nec voluptatis hortum infestant frigus et æstus, et quæ temporum vicissitudines tristia vehunt. Cum ergo ad eum portum appuleris, illic te omnium bonorum complexio feliciter

excipiet, audies fidicines cytharis et tympanis mutuo certamine colludentes, et ovantium sociabere choris carmen triumphale Hosanna canentium, et laudantium Deum.

III. Otium, securitas ac tranquilla quies ubique regnat, muros et pomœria æterna pax obtinet. Cherubim Paradisi custos tibi occurret, domesticis affabilis et comes, terribilis contra externis, iis scilicet qui locum sanctum et purissimum impuris manibus despicatum habuerunt.

IV. Sincera sunt ista, nec illita fuco; sed nec admixta materiæ, nec enim corpora sunt. Cave ea condemnes, quæ mortalis judicis cognitioni non subsunt. Quamobrem etsi indoctis ad obviam vocum significationem hærentibus terrenus videatur Paradisus, hujusce tractatus subjectum, reapse talis non est, terreno quanquam adumbratus; sed locus purus, et a materia secretus. Vocabula quidem utrique Paradiso communia sunt; at tu sacrum a profano excernito : nec enim res arcanas et a sensibus abstractas pingere cuipiam licet, nisi a conspicuis et patentibus colores mutuetur.

V. Enimvero si Paradisi Conditor ejus magnificentiam nostris non vestiret vocabulis, qua arte illius natura, proprietates et ornamenta exponenda forent? Quisquis ergo ad hunc, quem dixi, scopulum hæsit, et propriam verborum significationem, quæ suprema Majestas ad ipsius captum profectumque usurpavit, inepte attendit, ejus auctoritati detrahit, ostenditque sibi haudquaquam satis compertam magnam summi Dei benignitatem, qui sapientiam ad nostræ infantiæ modos demisit; cum enim mortalis natura ab ipso immensum distet, nostra nobiscum agens vocabula adhibet; ut nos ad suorum conceptuum intelligentiam promoveat.

VI. Ne tuam ergo mentem animumque perturbent vernacula illa, quæ in exponendis Paradisi deliciis adhibui,

nomina; id enim factum crede, non quod terrenis ille symbolis aut comparationibus egeat, quibus expressa ejus pulchritudo atque suavitas fit profecto perfatua, et admodum vilescit; sed quia rudis adeo atque hebes est nostrorum ingeniorum acies, ut tantam Paradisi præstantiam citra corporis species assequi non valeat : neque enim cœlestes ejus radios infirmis mortalium oculis intueri licet; quamobrem ineffabiles Paradisi voluptates nostrarum Deus arborum figuris expressit, nominibusque ficuum et foliorum nuncupavit, utque spiritualia ipsa quibus Paradisus constat nostro captui accommodarentur, ad corporeorum quodammodo rationem traduxit.

VII. Cœlum vides, indeque micantia astra admiraris? atque illius terræ flores isthæc suo splendore occultant lumina, numeroque etiam superant. Odorem quem Paradisus exhalat, morborum alexipharmacum esse deputa ad nostram terram transfusum, veteri maledicto profligatum; ejus scilicet loci exhalationes antidota sunt veneni quo Serpens totam naturam infecit et corrupit.

VIII. Bonus auræ bonæ vapor expiratus cœli inclementiam temperat, expiatque terram veteri delicto contaminatam; suo idem spiritu mundum laborantem recreavit, quando ei vitale pharmacum effudit.

IX. Spiritus namque Apostolorum cœnaculum concussit, mentesque nactus idoneas suo odore perfudit; inde suos instituit præcones, quorum opera ad erudiendos et convocandos quos suo convivio destinaverat convivas uteretur; gestit enimvero videre suum multos celebrare triclinium; ea est Dei in hominem bonitas et amor.

SERMO XVII.

DE PARADISO EDEN XII.

I. Obsecro quæsoque, Domine, tua me bonitas tuis præstet dignum beneficiis; aromatum ea est et odoratarum specierum myrotheca; me misere esurientem illa reficiet: ejus spiritu cuncta vivunt, et cui eo afflari contigit, hausta inde voluptate omnem cibi appetitionem penitus extinxit: ea est regalis mensæ vis. Illum laudare memento qui in Paradiso tale convivium parat.

II. Inde mihi incidit cogitatio, incessitque anxia cupido sciendi quod ignorabam, quod scire autem verebar, quod puderet haberi impudentem; quod ille meæ inspector mentis comperiens, quæstionem mihi natam scite vestivit et explicuit; dicenti fidem habui, quod enim volebam totum expressit et exposuit.

III. Id porro erat, quo indice Serpenti, qui Protoplastum decepit, occulta veritas patuisset? Tum ille: « Serpens, respondit, arcanum didicit, quod tamen ipse sibi ex ingenua sua sapientia compertum credi volebat, audivitque Deum Adamo caventem ne arborem scientiæ boni et mali contingeret; hujusmodi præceptum audivit veterator nequissimus, et probe intellexit, indeque incauto agricolæ fraudem machinatus est, suasitque ut immaturos fructus carperet; inde factum ut poma, quæ maturo tempore decerpta vitalia et salutaria fuissent, perverso temporis ordine sibi mortifera evaderent. Veritatem callide texit, quippe qui non ignoraret suis contraria promissis eventura protoplastis mandatum violantibus. Beneficium scilicet, si eo præter legem utaris, maleficium fecisti. »

IV. Oziam regem sequere templi penetralia impie temerantem; pontificatum infelix quærebat, regnum amisit. Adamus quæstum meditabatur, sua conduplicavit damna. Agnoscite, fratres, expressam in adytis templi arboris vetitæ arcam, et in thure ab Ozia incenso pomum ab Adamo decerptum; lepra punitus rex, ignominiosa denudatione Protoplastus. Scilicet inde malum erupit utrique, unde velut ex publico ærario magnas sibi uterque opes somniabat.

V. Interea parabatur nostris medicina malis quam ille demum attulit invictus Bellator; quem Diabolus intuens iis indutum armis quibus olim instructum Adamum ipse dejecerat, novum hostem derisit, nec intellexit quocum adversario negotium ageretur : quod enim Diabolo terribile et maxime pertimescendum fuit, latebat; palam prostabat quod ejus alebat spem; sed a sua miser opinione falsus, qui de victoria quasi jam parta triumphabat, conserta pugna victus succubuit.

VI. Geminas rerum Conditor sevit arbores in Paradiso, arborem vitæ et arborem scientiæ, binos videlicet omnium bonorum fontes. Duæ nimirum sunt res quæ hominem Deo similem faciunt : vita morte immunis, et ab errore libera sapientia (3).

FINIS TOMI TRIGESIMI OCTAVI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 370.

Hic sanctum Ephræm non loqui nisi de statu animarum post extremum judicium, ex eo patet quod inferius dicat : « Quid » ergo? cum venerit Filius hominis, etc. » Si enim ante illud tempus non agnosceret medium quemdam locum ubi purificantur animæ quæ peccata non penitus diluerunt in hac vita præsenti, nunquam in suo Testamento dixisset : « Mortui vi- » vorum oblationibus juvantur; » nec discipulis mandatum reliquisset, quatenus precibus, canticis, psalmis et oblationibus funus suum prosequerentur.

Annot. (2), pag. 407.

Quando sanctus Ephræm dicit animas fidelium paradisi deliciis non fruituras ante judicii diem, mens ejus est, perfecta tantum beatitudinis plenitudine, cujus etiam corpus sit particeps, beatas nunc animas carere. Quam ejus esse sententiam ex eo constat, quod tam in Necrosimis, quam multis aliis in locis præsentem justorum beatitudinem in cœlis agnoscat, uti videre est apud Cl. Ludovicum Muratorium in Dissert. de paradiso adversus Burnetum, cap. xx.

Annot. (3), pag. 421.

Tractatus de paradiso Eden in quindecim sermones dividebatur; sed tribus ultimis, utpote omnino deletis, nullus captui et interpretationi locus relictus est, ideoque omissi sunt.

CONCORDANTIA

BIBLIOTECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Sermo in eos qui in Christo obdormierunt, p. 14.	Ejusdem fragmentum, tom. VIII, p. 324—325.
Sermo de mortis recordatione, p. 33.	Ejusdem fragmentum, ibid. p. 323.
Necrosima, seu funebres canones, p. 40—216.	Eorumdem fragmenta, ibid. p. 209-246.
Sermones II et III, in secundum Domini adventum, p. 246 et 267.	Eorumdem fragmenta, ibid. p. 288-302.
Sermo VII, de adventu Domini et de Antichristo, p. 302.	Ejusdem fragmentum, ibid. p. 303-304.

INDEX

TOMI TRIGESIMI OCTAVI.

CLASSIS VI. — DE MORTE.

NECROSIMA, SEU FUNEBRES CANONES.

CLASSIS VII. — DE RESURRECTIONE ET JUDICIO.

CLASSIS VIII. — DE BEATITUDINIBUS.

DE PARADISO EDEN SERMONES DUODECIM.

EXPLICIT INDEX.